




# ENCHIRIDION
# JURIS CANONICI

AD USUM SCHOLARUM SERAPHICI ORDINIS

AUCTORE

R. P. CLARO VASCOTTI

MIN. OBS. REFORM. PROVINCIAE CARNIOLAE LECTORE EMERITO
... M JURIS, AC HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORE.



ROMAE
TYPIS CLEMENTIS PUCCINELLI
MDCCCLII.

*Jesus Christus heri, et hodie: ipse et saecula.*
*Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.*
Hebr. 13, 8 et 9.

REVMO PATRI

# VENANTIO A COELANO

TOTIUS ORDINIS S. P. FRANCISCI

MINISTRO GENERALI

SACRAE CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM

CONSULTORI

ETC. ETC. ETC.

*Reverendissime Pater*

Optimo sane consilio, Reverendissime Pater, et singulari ingenii acie in Conventibus Religiosorum Ordinis Seraphici Tuae curae et sollicitudini commissorum cathedras Historiae Ecclesiasticae et Juris Canonici instituisti, ut etiam filii Patriarchae pauperum, Religionis, quam ubique gentium, praedicare tenentur, et Ecclesiae, cujus sunt ministri, originem vere divi-

nam, celerem in toto orbe terrarum propagationem, innumera impedimenta superata, Hierarchas et Scriptores, qui mysticam ratim rexerunt, et veritatem catholicam non modo illustrarunt, sed etiam adversus impios conatus fortiter defenderunt, haereses et schismata nunquam satis deploranda, quae unitatem fidei et communionis violarunt, cultum publicum externum ejusque mutationes, nec non jura ecclesiastica, eorum fontes et vicissitudines propius, amplius, accuratius, ac solidius cognoscant: arbitror enim has materias ad erudiendum theologum plurimum conferre, imo nostra potissimum aetate, qua malevoli homines omnia ad Religionem et Ecclesiam spectantia impudenter cavillantur, impugnant, negant, diripiunt, quam maxime necessarias esse.

Ab erudito Patre Antonio Maria Testa, controversiarum in Collegio Divi Bartholomaei de Urbe Lectore, cujus necessitudine glorior, Deo ita disponente, certior factus mearum lucubrationum, quae perenne erunt meae exiguitatis monumentum, eas ad Te deferri jussisti, ut praelo subjiciantur, usui et utilitati Confratrum nostrorum inservituras. Obedientiae voto adstrictus potuissem ne sine piaculo mandatis Tuis non obtemperare? Et si voluntati Tuae obsequutus non fuissem, procul dubio etiam hoc Juris Canonici Enchiridion, non minus quam Institutiones Historiae Ecclesiasticae, ob mediorum defectum, ad summum inter latebras alicujus monasterii delituisset, et partim tineae, partim tempus edax corrosissent atque consumpsissent.

Si e tenebris in lucem prodit, Tibi, Reverendissime Pater, omnis honos debetur; etenim, Tu coronae meritorum Tuorum etiam hoc addere voluisti. Tuo igitur Nomini, quod in Ordine Seraphico, imo in mundo sideris instar splendet, quodque facinora Tua immortalitati mandabunt, hoc qualecumque opus in grati animi et filialis venerationis tesseram consecro atque inscribo.

Ne hoc observantiae meae signum benignitas Tua accipere recuset etiam atque etiam rogo. Dignare in hujus tenuis laboris mercedem seraphicam benedictionem impertiri ei, qui omni tempore perseverare cupit

Paternitatis Tuae Reverendissimae

Castagnavitiae prope Goritiam 20 Septembris 1851.

*Addictissimus filius et subditus.*
P. CLARUS VASCOTTI FRANCISCANUS.

# PRAEFATIO

Magnam in mundo literario oxistere Institutionum Jurisprudentiae ecclesiasticae copiam, nemo ullus inficias ibit; quam ob rem novas addere, nonnullis superfluum videtur. Nihilominus animadvertens, plures earum auctores vel ordine ad pertractandam perdiscendamquo materiam necessario carere, vel nimia argumentorum congerie mentem candidatorum obruere, vel ab Ecclesiae Catholicae doctrina recedentes virus juvenum cordibus propinare, desiderio ductus et mihi consulendi et alios juvandi, ingratum negotium subii. Non diffiteor in tanta opinionum et principiorum diversitate librum Juris Canonici scribere votis eruditorum satisfacientem, esse opus arduum et aleae plenum. In colligendo ex variis auctoribus hoc Jurisprudentiae Ecclesiasticae Compendio usibus scholae et brevitati temporis concessi accomodato eo vires meas intendi, ut materiam in ordinem redigerem, breviter et clare exponerem, ac tironibus sana principia traderem. Sola hujus laboris meta fuit, ut juvones quasi manuducerem ad jurium ecclesiasticorum cognitionem. Reor et docentem et discentem aliquam capere posse utilitatem. Docenti patebit campus suam effundendi erudi-

tionem: discenti non erit difficile Jurisprudentiam ecclesiasticam imbibere. Uterque, si aliquod pro coltura intellectuali habuerit emolumentum, grates rependat Deo omnium bonorum largitori, et piis in precibus memor sit illius, qui sudavit et alsit. Quod si aliqua aut minus bene dicta, aut manca, aut alio quocumque vitio laborantia quis invenerit, bonam voluntatem ante oculos habens, meae fragilitati et inscitiae parcat. Caeterum omnia submitto judicio Sanctae Matris Ecclesiae, quae sola, utpote dono inerrantiae praedita, erroris est expers.

# ISAGOGE

## CAPUT I.

### DE NOTIONE, OBJECTO, SUBJECTO, INTERPRETATIONE ET CESSATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ.

### §. 1. *Notio legis ecclesiasticae.*

Lex in genere secundum etymon nominis communiter dicitur a *ligando*, eo quod homines ligentur, seu obligentur ad aliquid faciendum vel omittendum. Ad legis civilis distinctionem lex ecclesiastica vocatur *canon*, quae vox graeca significat regulam seu normam. Est autem lex ecclesiastica voluntas legislatoris ecclesiastici, ad quam fideles actiones liberas componere debent. Cum voluntas legislatoris, quae hominibus norma agendorum vel omittendorum esse debet, sit interna, necesse est, ut manifestetur; inde sequitur, legis ***promulgationem*** esse necessariam, simulque colligitur, legem nunquam ***retroagere*** posse, id est aliquem obligare antequam fuerit promulgata. Praeterea promulgari debet ita, ut omnes, pro quibus lata est, in legis cognitionem venire possint, hoc est, promulgatio debet esse ***sufficiens.*** Promulgatio sufficiens igitur est conditio sine qua lex obligare nequit (1).

### §. 2. *Objectum legis ecclesiasticae.*

Non actus hominis, sed humani tantum sunt legis ***objectum.*** Itaque omnes actiones liberae cum internae, tum externae, habentes nexum cum fine Ecclesiae, ***sunt objectum*** legis ecclesiasticae. Ecclesiam posse fidelium actiones internas legibus suis ad vitae sanctitatem dirigere, patet non solum quia hae non minus quam externae morales vel immorales esse possunt, verum etiam quia Christus Dominus, nulla facta distinctione, Ecclesiae dedit potestatem ligandi et solvendi hisce verbis: « Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo (2) ». Sub hac potestate etiam actiones internae comprehenduntur. Reapse Ecclesia praecipit actiones mere inter-

(1) S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1., Scotus in 4 dist. (2) Matth. 18, 18.

nas, v. g. in collatione baptismi intentionem faciendi ea, quae ipsa facit, contritionem in suscipiendo poenitentiae Sacramento etc.

### §. 3. *Legis ecclesiasticae subjectum.*

Discrimen faciendum inter leges naturales et positivas; ex positivis aliae sunt divinae, humanae aliae, prout a Deo vel ab hominibus originem trahunt; humanae dividuntur in universales et particulares. Legis naturalis subjectum est homo usu rationis praeditus. Legibus positivis divinis sunt subjecti omnes homines, quibus promulgatae fuere. Leges mere ecclesiasticas universales tenentur observare ii, qui per baptismum ingressi sunt Ecclesiam Jesu Christi, et ejusdem communione fruuntur, nemine excepto, quia omnes etiam terrae principes in spiritualibus potestati ecclesiasticae subsunt. Leges vero particulares ultra limites nationis, provinciae, vel dioeceseos vigorem suum non exerunt; particulares leges illos tantum obligant, pro quibus latae sunt. *Peregrini*, qui negotiorum causa in alienas regiones proficiscuntur, stringuntur cum legibus universalibus, tum legibus pro peregrinis latis. Quilibet peregrinus tenetur observare etiam illas leges, quas sine scandalo et ordinis perturbatione negligere non potest, v. g. dies festos, vel dies jejunii illius loci, in quo degit. *Vagabundi*, qui nullibi et ubique domicilium habent, id est, omnia secum portant, tenentur legibus illius loci, in quo commorantur.

### §. 4. *Interpretatio legis ecclesiasticae.*

Nisi quis finem et scopum legis intelligat, haud poterit eam ad casus obvenientes rite applicare; itaque legis interpretatio omnino necessaria est. Legem autem interpretari est verum ejusdem sensum eruere, seu mentem legislatoris attingere; nam omnis legislator ferendo legem certum quendam finem assequi vult, qui sine hac lege obtineri nequit: ille ergo scit legem interpretari, qui legislatoris finem intelligit. Legis interpretatio multifaria esse potest, et quidem *ratione modi* est: 1. *Philologica*, quae solum verba singula legis alicujus exponit. Necessaria est haec interpretandi ratio, praesertim in legibus antiquis examinandis. Saepe enim antiquis temporibus verba quaedam in longe alio sensu accipiebantur quam hodiedum, v. g. *dioecesis* olim vox erat profana, complexum plurium provinciarum significans; hodie est vox ecclesiastica districtum indicans, quo jurisdictio unius Episcopi clauditur. 2. *Philosophica*, quae rationem legis reddit. Haec quoque interpreta-

tio necessaria est, quia opus est finem et scopum legum investigare. Dicitur autem philosophica, quia philosophus rerum quarumcumque causas, effectus, fines etc. investigare debet. 3. *Historica*, quae ex circumstantiis locorum, temporum et personarum finem legum investigat; etenim saepissime legibus condendis ansam dederunt variae circumstantiae, in quas inquirere oportet.

*Ratione interpretantis* dividitur in *authenticam, usualem, judicialem* et *doctrinalem*. *Interpretatio authentica* illa est, quae fit ab ipso legislatore, si de casu quodam dubio consulatur; et dicitur authentica a voce gracca αυτος, quia ipse eam explicat. Interpretationis authenticae eadem est vis, quae ipsius legis; nam interpretatio ipsa est lex, licet in longe alio sensu, quam prius fuit lata, a legislatore interpretetur. - Si dubium sensum legis ipse usus legitime introductus interpretatur, *interpretatio est usualis*, quae ejusdem est auctoritatis, quam authentica. Nulla enim potest oriri consuetudo legitima, nisi legislatoris consensus accedat; quod si fiat, consuetudo vim legis habet. - Cum judex legem interpretatur, *interpretatio dicitur judicialis*. Judex enim, antequam sententiam ferat, legem, ad quam casum obvenientem applicat, prius interpretetur necesse est. Interpretatio judicialis partes solum litigantes obligat, cui adquiescere tenentur, nisi alterutra ad superius tribunal appellet, quia judex interpres est, non legislator. *Interpretatio doctrinalis* illa audit, quam privati juris doctores faciunt secundum regulas hermeneuticae juridicae, quae est ars leges interpretandi. Doctrinalis interpretatio neminem obligat; nam doctores privati solum in variis casibus consuluntur, ut dicant quid juris sit, vel partes suas in judicio tuentur, et tunc causarum patroni vocantur. Interpretatio doctrinalis dividitur in *extensivam, restrictivam* et *declarativam*. *Extensiva* est illa, qua lex ad plures casus applicatur, quam legis verbis contineri videntur, quia ratio legis tunc latius patet, quam verba legislatoris exprimere poterant, v. g. praeceptum: « Honora patrem et matrem etc. » (1). Hic legislator verbis minus expressit, quam dicere voluit; nimirum debemus honorare non solum patrem et matrem, verum etiam alios, qui vices eorum agunt. Ergo necesse est sensum illius legis extendere. *Restrictiva* est ea, qua lex aliqua ad pauciores casus restringitur, quam verbis legis innui videtur, v. g. praeceptum: « Crescite, multiplicamini et replete terram etc. » (2) Haec lex non potest omnes obligare, quia, teste experientia, nonnulli impotentes noscuntur ad finem matrimonii assequendum; et

(1) Exod. 20, 12. (2) Gen. 1, 28.

etiam illi qui matrimoninm ineunt, ob finem altiorem, usui matrimonii renuntiare possunt; ergo lex restringenda ad eos, qui matrimonio uti volunt, quia plus expressum est, quam in mente legislatoris fuit. *Declarativa* illa dicitur, qua lex aliqua neque ad plures neque ad pauciores casus extenditur, quam verba legis indicare videntur, quia supponitur legislatorem mentem suam ad amussim expressisse, et quia tam verba legislatoris, quam ratio legis sibi adaequate respondent v. g. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum » (1). Hic nec opus est legem extendere, neque restringere, sed sufficit explicare quid singula verba significant.

### §. 5. *Legis ecclesiasticae cessatio.*

Leges naturales et positivae divinae nunquam cessare possunt. Legum autem humanarum obligatio potest cessare, quia leges humanae, quae nimirum circa Religionis accidentalia feruntur, necessitatibus et utilitatibus Ecclesiarum accommodatae esse debent, et cum hae temporis successu cessare possint, certum est etiam illas cessare, si ratio finalis talium legum cesset. Cessant autem leges ecclesiasticae disciplinares vel *universaliter*, si omnes fideles ab earum obligatione absolvuntur, vel *particulariter*, si aliqui tantum excipiuntur. Universaliter legis obligatio triplici modo cessat, nempe: 1. *per abrogationem*, si ea penitus, totamque vim obligandi amittit, id est, si a Legislatore abrogatur: 2. *per derogationem*, si legislator legi aliquid derogat, vel ita dicendo eam modificat, v. g. lex de jejunio quadragesimali est modificata; 3. per *surrogationem*, si lex quidem antiquior cessavit, sed in ejns locum alia nova substituta est. - Particulariter legis ecclesiasticae disciplinaris obligatio cessat per *dispensationem*, vel per *privilegium*; licet hoc altero modo minus recte.

### §. 6. *Dispensatio.*

*Dispensatio* est legis et consequenter obligationis remissio a legitimo superiore ex justa causa pro personis et casibus singularibns facta. Dividitur a Jurisconsultis in *dispensationem a jure, et dispensationem ab homine.* Prior dicitur illa, cujus causae in antecessum a lege definitae fuere, v. g. omnes animarum pastores tenentur in loco sui beneficii habitare; attamen

(1) Luc. 10, 27.

Concilium Tridentinum expressit quasdam causas, propter quas abesse possunt. Omnis alia dispensatio a legislatore petenda dicitur *ab homine*. Solus legislator potest in legibus dispensare; nam ille solum potest ab legis obligatione dispensare, qui habet potestatem legem ferendi et abrogandi. Cum omnis dispensatio legi vulnus infligat, ad eam causa gravis et justa requiritur. « Si necessitas urget, ait S. Bernardus, dispensatio excusabilis est; si utilitas provocat, laudabilis: utilitas dico communis; nam ubi horum nihil est, jam non fidelis dispensatio, sed crudelis est dissipatio.» Quapropter Concilium Tridentinum (1) sequentem statuit regulam: « Quodsi urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur ». *Subreptitia* dispensatio audit, si orator nihil quidem falsi adfert, sed veritatem reticet; si vero falsam causam exprimit *obreptitia* vocatur. - Dispensationes tam subreptitiae, quam obreptitiae sunt invalidae, quia superior decipitur. Tantum valet dispensatio, quantum ratio; si ratio nulla est, etiam dispensatio nulla erit. Recte ait Bellarminus: « Sciendum est, pontificiam etiam dispensationem sine justa causa concessam, valere in foro fori, sed non in foro poli ».

## §. 7. *Privilegium.*

Privilegium est constitutio specialis, qua legislator ob meritum aliquod jus quoddam singulare indulget, vel ob delictum poenam aliquam extraordinariam irrogat, ita tamen ut ab aliis, qui similibus praemiis aut delictis, quam privilegiarius, onusti sunt ad exemplum non trahatur. Vi hujus definitionis Jurisconsulti privilegia solent dividere in *favorabilia* et *odiosa*. Favorabile privilegium dicitur cum ob meritum aliquod jus singulare conceditur: odiosum vero si ob delictum poena extraordinaria infligitur. Sic v. g. constat si quis e Clero committit delictum grave, cujus causa capite vel perpetuis carceribus esset plectendus, hoc habet privilegium, ut prius suo gradu amoveatur; degradatio autem est lugubris quaedam caerimonia, qua clericus publice vestibus clericalibus exuitur, sicut in consecratione indutus fuerat. Odiosa privilegia vocantur etiam illa, quae cum aliorum onere, vel jurium diminutione sunt conjuncta, v. g. jus monopolii, si nempe solus unus in quodam loco jus habet certas merces vendendi; quod valde

(1) Sess. XXV cap 18 de reform.

odiosum est, quia in omni legislatione, quantum fieri potest, jurium aeqnalitas est servanda. Praeterea privilegium dividitur in *personale*, quod ad personam adstringitur, et *reale*, quod rei cuidam, v. g. Ecclesiae, praedio etc. tribuitur, eique inhaeret, et ad omnes rei possessores transit. Utrumque aut prorsus *gratiosum* est, quod solum ex favore, aut *remuneratorium*, quod ob meritum conceditur. Privilegia rarissime, et nonnisi ex gravissimis rationibus largiri debent, quia omne privilegium est vulnus legi inflictum, quod jurium aequalitatem turbat.

### §. 8. *Privilegiorum expiratio.*

Quemadmodum leges humanae, ita etiam privilegia expirare possunt, et quidem: 1. *Renuntiatione privilegiarii*, quia suo quilibet juri renuntiare potest. Integrum autem est renuntiare privilegio favorabili et personali, non reali et odioso; non reali, quia privilegium est rei, et non possessoris; non odioso, quia tali modo omnia privilegia odiosa abjicerentur. 2. *Morte illius*, qui fuit privilegio donatus; nam personalia privilegia in alias personas non transeunt. 3. *Revocatione concedentis*, si modo revocabili fuit datum. 4. *Interitu rei*, si fuit reale, quia impossibilis evadit ejus usus. 5. *Abusu privilegii*; nam privilegium amittere meretur, qui ex eo occasionem sumit delinquendi. 6. *Lapsu temporis*, si nempe ad certum praefinitum tempus concedebatur, qnia ulterior ejus usus fit illicitus. 7. *Non impleta conditione, qua privilegium fuit concessum;* etenim cessante conditione cessat conditionatum.

*Nota.* Privilegium inter et dispensationem essentiale datur discrimen; nam omnis dispensatio personas singulares liberat ab obligatione legis; privilegium vero indulget jus aliquod speciale et novum: dispensatio statum libertatis naturalis restituit, et nullum novum jus largitur; jus autem per privilegium concessum eatenus saltem est novum, quatenus aliis hoc jure uti non licet.

## CAPUT II.

### DE LEGIBUS NATURALIBUS ET POSITIVIS.

### §. 9. *Variae legum species.*

Voluntas legislatorum ecclesiasticorum nobis innotescit vel per rationem, vel per traditionem, vel per consuetudinem, aut per scripturam; hinc variae legum species considerandae veniunt. Leges respectu originis aliae sunt *divinae*, *humanae*

aliae, prout a Deo vel hominibus fuerunt latae; respectu vero modi, quo ad nos pervenerunt, dividuntur in non *scriptas*, et *scriptas*. Dantur igitur leges originis cum divinae tum humanae non scriptae et scriptae. Leges divinae originis non scriptae sunt in ratione humana et traditione divina: leges divinae originis scriptae habentur in Libris sacris Veteris et Novi Foederis: ad leges humanae originis non scriptas referuntur traditiones humanae, et consuetudines: tandem ad leges humanae originis scriptas spectant canones Conciliorum, decreta Summorum Pontificum, constitutiones principum, privilegia, varia pacta et concordata.

## §. 10. *Lex naturae.*

Lex naturae ea est, quae in cordibus hominum digito Dei sculpta solins rationis lumine cognoscitur, quaeque praescribit homini quid agere, vel omittere debeat, seu officia exponit, quae habet erga naturae auctorem, semetipsum et alios. Ejus proprietates sunt sequentes: 1. *Lex naturae* est universalis, sicut et ratio humana universalis est; eadem enim est omnibus hominibus, ideoque et easdem omnibus hominibus leges dictat; 2. *Necessaria*, quia ratio humana est necessaria; leges autem natnrae necessario ex ratione deducuntur, v. g. parentes esse honorandos, vel cuique suum reddendum; 3. *Immutabilis*; quidquid enim necessarium est, etiam immutari nequit; 4. *Sancta*, quia homines ad vitae sanctitatem ducit; 5. *Æterna*, quia ab aeterno Deus voluit id, quod ea praecipit aut vetat. Lex naturae est fundamentum et basis omnis legislationis sive ecclesiasticae, sive civilis; legislatores enim sive ecclesiastici, sive civiles in legibus ferendis leges naturales semper prae oculis habeant necesse est, ne aliqnas condant leges natnralibus repugnantes. Lex naturalis tanti est momenti, ut gentes legem non habentes secundum eam sint judicandae. « Gentes, ait Paulus, quae legem non habent, cum ea, quae legis sunt, facinnt, ejusmodi leges non habentes sibi ipsis sunt lex, utpote opus ostendentes scriptum in cordibns snis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum, cogitationibus invicem inter se accusantibus vel defendentibus». (1) Non sunt autem confundenda principia naturae cnm consectariis remotioribus, in quibus deducendis ratio hnmana per Adae peccatum sauciata hallucinari potest, sicut patet ex ipsa doctorum pugna, quae apud eosdem non raro reperitur in determinandis officiis.

(1) Rom. 2, 14.

## §. 11. *Traditio divina.*

Pars legum non scriptarum a Deo originem trahentium habetur in *Traditione divina,* cujus nomine intelligitur omnis institutio originis divinae viva voce tantum propagata. Traditio divina, seu dogmatica Deum auctorem habet, et est absolute necessaria; nam non omnia, quae Salvator docuit et fecit conscripta fuere. « Sunt autem et alia multa, ait S. Joannes, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros ». (1) Omnia, teste Joanne, scripta non sunt, et tamen Christus omnia observare praecepit, dicens: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. » (2) Praecepta Christi Domini litteris non consignata reperiuntur in divina traditione, quae dicitur *declarativa* si doctrinam in Scriptura sacra contentam disertius explanat, *constitutiva* si doctrinam in Libris sacris nec implicite contentam exponit. Tam declarativa, quam constitutiva est necessaria; prior, quia multa sunt in Sacra Scriptura tam doctis quam indoctis obscura, quorum genuinus sensus erui debet ex traditione; posterior, quia ex sola traditione novimus, S. Scripturam esse divinam, septenarium numerum Sacramentorum, perpetuam virginitatem Deiparae, baptismum ab haereticis collatum esse validum etc. An traditio aliqua reapse divina sit, cognoscitur ex sequentibus notis: 1. *Traditio divina nullis mutationibus est obnoxia;* 2. *Est universalis*, quia verbum Dei non solum est immutabile, verum etiam obligat omnes. De traditione divina ita loquitur Augustinus. (3) «Quidquid universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper creditum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur ».

## §. 12. *Principia cognoscendi traditiones genuinas.*

Principia cognoscendi traditiones genuinas sunt duo, nimirum: 1. Praxis Ecclesiae; 2. Auctoritas SS. Patrum.

Ex continua Ecclesiae praxi cognoscitur traditio genuina, quia id, quod divinitus institutum fuit, Ecclesia catholica semper retinuit. Alterum principium est SS. Patrum auctoritas. Si omnes Ecclesiae Patres confitentur, suo tempore hoc vel illud praeceptum pro fidei articulo, vel morum regula fuisse

(1) Joan. 21, 25. (2) Matth. 29, 19, 20. (3) L. 5 de Bapt. c. 24.

habitum, haec traditio pro divina est habenda, quia alias hic Patrnm consensus non posset explicari. Interim quod ad SS. Ecclesiae Patres attinet, sequentes regulae sunt observandae: 1. Tantum eorum consensus firmum et indnbitatum argumentum prestat; 2. Consensus isto non est in eo, ut omnes omnino Patres idem dogma referant, nam non omnes de omnibus scripserunt dogmatibus, sed sufficit ut ii, qui de eo scripserunt, sibi consentiant; 3. Eorum relatio versetur necesse est circa fidem, mores, et disciplinam Ecclesiae, non vero scientias profanas, in quibus nonnulli erraverunt; 4. Demum eorum scripta per se vim legalem haud habent; nam ad leges ferendas non sufficiunt doctrina et sanctitas, sed requiritur potestas.

### §. 13. *Lex Veteris Foederis.*

Ad leges divinae originis scriptas refertur *lex veteris Foederis.* In veteri Foedere quadruplices legum species distinguendae veniunt; aliae enim erant *dogmaticae*, quae fidei regulas in venturum Messiam praescribebant; aliae *morales*, quae morum disciplinam determinabant; aliae *caeremoniales*, quibns caeremoniae in divino officio adhibendae indicabantur, et quia typus et figura erant Christi et Ecclesiae ab eo fundandae, typicae dici solent; aliae demum *politicae* seu *forenses*, quas nempe Deus tulerat ad gubernandam Judaeorum rempublicam durante theocratia. Leges dogmaticae et morales, utpote immutabiles, obligant omnes christianos. Politicae, snblata forma theocratica, obligare desierunt. Typicae non solum evaserunt inutiles, sed etiam mortiferae, qnia post Christi adventum falsam haberent significationem. Ex legibus caeremonialibus, quae typicae non erant, Ecclesia nonnullas libere adoptavit, puta: consecrationem Ecclesiarum, et altarium, benedictionem vestium sacerdotalium, usum incensi, aquae lustralis etc. Cognitio legis Veteris Foederis requiritur ad intelligentiam legis gratiae.

### §. 14. *Lex Novi Foederis.*

Ad Leges scriptas a Deo hominibus revelatas spectat quoque lex Novi Foederis, ex qua discimus originem, finem, media Ecclesiae christianae, quid credendum et quid agendum, quae sit constitutio, quae forma regiminis, et qualis potestas ecclesiastica. In Novo testamento probe secernere oportet leges divinas a legibus mere apostolicis: illae enuntiant praeceptum aliquod vel doctrinam a Christo Domino, aut saltem ab Apostolis in ejus nomine traditam; mere apo-

stolicae illae censentur, quas Apostoli sine speciali Christi mandato tulerunt. Tales erant v. g. lex de abstinentia a sanguine et suffocato, de Agapis, de velandis in Ecclesia mulierum capitibus etc. Inter praecepta divina et mere apostolica ipse S. Paulus discrimen fecit, scribens: «Iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere etc.» En praeceptum divinum! «Caeteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam etc.» En praeceptum mere apostolicum! (1). Notandum tamen est, praecepta omnia in Novo Foedere occurrentia habenda esse pro divinis, nisi manifeste appareat ea esse mere apostolica.

### §. 15. *Traditio humana.*

Praeter leges non scriptas et scriptas, quarum Deus auctor est, dantur etiam leges originis humanae, quae partim viva voce, partim scripto ad nos pervenerunt. Ad leges originis humanae non scriptas pertinent leges in traditione humana contentae. Traditio humana est quaevis institutio ab hominibus introducta, et viva voce propagata. Traditio humana dividi solet in *apostolicam* et *ecclesiasticam*: illa est ab apostolis viva voce profecta, et ab ipsis ad nos usque per Majores intermedios transmissa, uti est Jejunium quadragesimale: haec Ecclesiae auctoritate post apostolorum mortem in populum fidelem introducta est, uti est abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis certis diebus, aliquorum jejuniorum, et festorum observantia, et alia hujusmodi. Inter traditionem divinam et humanam hoc discrimen intercedit, quod divina essentialia, humana accidentalia Religionis contineat, quod illa immutabilis, haec mutationibus obnoxia sit.

### §. 16. *Consuetudo.*

Consuetudo est lex humanae originis usu et moribus introducta, et tacito legislatoris consensu approbata. Ex hac data definitione facile eruuntur requisita essentialia legitimae consuetudinis. Omnis enim consuetudo pendet a moribus populi, et tacito legislatoris consensu. Ad mores requiritur ut actus sint: 1. *Liberi* ab omni errore, metu, fraude, coactione; 2. *Frequentes*; ex uno enim alterove actu non formatur consuetudo; 3. *Uniformes*, quia alias non acquiritur habitus, nisi iidem actus saepius ponantur. - Alterum legitimae consuetudinis requisitum est tacitus legislatoris consensus, non ex-

(1) I. Cor. 7, 10, 13.

pressus; quia eo temporis momento, quo legislator expresse consentit in consuetudinem, ea desinit esse talis. Quanta autem temporis diuturnitas ad constituendam legitimam consuetudinem requiratur in genere non potest dici; sed alii plus, alii minus temporis ad hoc requirunt: igitur solum a prudenti judicis discretione haec determinatio pendet.

Consuetudo legitime introducta varios producit effectus, et quidem: 1. Obligat omnes fideles inter quos et pro quibus introducta est; habet enim vim legis. 2. Eam judex in ferenda sententia observare debet; nam secundum leges ei est judicandum. 3. Potest legem priorem abrogare; est enim altera lex, et lex posterior abrogat priorem. Interim si in Pontificum Bullis, aut Conciliorum canonibus est adjecta clausula: *non obstante consuetudine,* ea non abrogat consuetudinem immemorialem, nisi adjungatur: *non obstante consuetudine contraria etiam immemoriali.* Si vero consuetudo adversatur juri naturae, legi positivae divinae, bonis moribus, salutique animarum, nullius est efficacitatis, et est dicenda potius corruptela, quam consuetudo.

Cum consuetudine similitudinem quandam habent *Stylus Curiae, Ordinatio Curiae, Praejudicia,* et *Observantia. Stylus Curiae* est modus, quem observare debent partes litigantes, vel earum advocati in suis negotiis, seu modus procedendi in judicio, citandi partes, offerendi libellum actionalem, contestandi litem etc. *Ordinatio Curiae* est modus in judicio procedendi a legislatore praescriptus, et in eo differt a stylo Curiae, quod hic sit regula non scripta, Ordinatio Curiae regula scripta. *Praejudicia* sunt similes ejusdem causae decisiones; nimirum leges nonnunquam antiquae esse solent, secundum quas lites jam quondam fuerunt decisae: si ergo iterum proponatur similis casus certo eodemque modo deciditur; ideo vocatur praejudicium, hoc est res jam prius judicata. *Observantia* est conventio facta inter homines privatos, qua unus alteri aliquid cedit; v. g. si in confinio duarum parochiarum aedificatur nova domus, et inter duos parochos oriatur lis, quis in eam habeat jurisdictionem, si unus cedit, consequentur tacite consentit, et alter jus in domum acquirit. Consuetudo habet vim legis; observantia vero vim contractus.

## §. 17. *Canones Conciliorum, et Decreta Summorum Pontificum.*

Leges humanae originis scriptae sunt *Canones Conciliorum, et Decreta Summorum Pontificum.* Canones Conciliorum sunt vel *universales*, vel *particulares*: universales a Conciliis

generalibus, particulares a particularibus sunt conditi. Illi possunt esse vel dogmatici, vel disciplinares, prout vel essentialia Religionis, vel accidentalia continent: hi sunt semper disciplinares, quia disciplina in variis nationibus varia esse potest. Canones particulares possunt fieri universales, si scilicet postea ab universa Ecclesia approbentur, et recipiantur; quod saepissime evenisse historia ecclesiastica testatur. - Decreta Summorum Pontificum sunt decisiones Sedis Apostolicae in materia fidei, morum, et disciplinae ecclesiasticae, quae vim habent obligandi fideles; nam Romanus Pontifex, cui Christus contulit primatum jurisdictionis, jus habet leges ferendi tam dogmaticas, quam disciplinares pro universa Ecclesia valituras. Tam Canones Conciliorum, quam Decreta Summorum Pontificum, quamvis veritates revelatas concernant, vocantur leges humanae scriptae, quia non sunt nova dogmata, sed veritatum revelatarum decisiones ab hominibus factae.

### §. 18. *Constitutiones Principum, privilegia, pacta et concordata.*

Terrae principes, qua tales, omni prorsus in res ecclesiasticas potestate sunt destituti, quia a Christo nullam acceperunt, nullamque in hierarchia ecclesiastica locum habent. Ecclesia tamen diversis temporibus diversas principum civilium constitutiones adoptavit; ideoque evaserunt leges ecclesiasticae, et qua tales observari debent a fidelibus. « Quia tamen ut docet S. Augustinus (1), in hoc Reges sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, quatenus Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae pertinent ad divinam religionem :» « et quia, quemadmodum scribit S. Leo, (2) regia potestas non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium est imperatoribus collata, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bona statuta sunt defendendo, pacem iis quae turbata sunt restituant », nonnulli locum dant in Jure ecclesiastico illis constitutionibus civilibus, quibus terrae principes legum ecclesiasticarum executionem urgent, suisque sactionibus tuentur velut Ecclesiae Advocati et defensores. In Jure ecclesiastico locum sibi vindicant privilegia, quibus imperantes civiles Ecclesiam Christianam, et Ecclesia vice versa principes ditavit. Neque praetereunda sunt pacta et concordata inter Statum et Ecclesiam inita, puta: pactum ini-

(1) Lib. contra Cresconium. c. 51. (2) Ep. 125 ad Leonem Imperatorem.

tum Vormatiae anno 1122 inter Calixtum II. Romanum Pontificem et Henricum V, imperatorem, Concordatum factum inter Leonem X. R. P. et Franciscum Regem Galliae an. 1516, et Concordatum Ascheffenburgense seu Viennese conclusum a 1448 inter Nicolaum V, et Fridericum III. etc.

## CAPUT III.

### DE LEGUM ECCLESIASTICARUM COLLECTIONIBUS.

### §. 19. *Notio et divisio Collectionis.*

In primordiis Ecclesiae paucae admodum erant leges ecclesiasticae, praeter eas quas Christus Dominus et Apostoli tulerant. Hujus paucitatis duae erant causae praecipuae: 1. *nec opus erat;* 2. *nec possibilitas aderat.* Non erat opus, quia inter christianos vigebat morum innocentia, et vitae sanctitas, et ubi tales sunt hominum mores, ipsi faciunt, quae sunt facienda, et ideo paucae leges sufficiunt: non aderat possibilitas, quia ob saevientes persecutiones Episcopi haud poterant ad leges ferendas in unum convenire. Non tamen erant nullae; siquidem et Ecclesiae Primates, et Concilia particularia hinc inde celebrata varias leges ediderunt. Verum postquam Ecclesia sub Constantino M. pacem et libertatem fuit assequuta, mores Christianorum corrumpi coeperunt, novae haereses et nova schismata emerserunt, quae in Conciliis condemnabantur; hinc numerus legum ecclesiasticarum magis, magisque crevit. Ne hae leges ecclesiasticae perditum irent, in Codices fuerunt collectae. Est autem legum ecclesiasticarum *Collectio*, seu *Codex Canonum*, ordinata Canonum diversis locis et temporibus conditorum series, quae in uno volumine continetur. Si ordo consideratur, Collectio est vel *chronologica*, vel *systematica*; prior est si annorum series observatur, id est si eo ordine canones colliguntur, quo editi fuerunt; posterior obtinet, cum non servatur ordo annorum, sed materiarum, ubi argumentum legum ad certos titulos redigitur. Respectu auctoritatis potest esse Collectio *publica*, aut *privata,* prout publica vel privata auctoritate perficitur. Canonum Collectiones in tres periodos dividi solent, nimirum in periodum juris antiqui, novi, et novissimi. Periodus juris antiqui complectitur Collectiones legum ecclesiasticarum factas ab initio Ecclesiae usque ad finem saeculi VIII, id est usque ad Collectionem Isidorianam: periodus juris novi se extendit a fine saeculi VIII usque ad finem saeculi XV, id est a Collectione Isidoriana usque ad conclusionem Corporis Juris

Canonici: periodus juris novissimi excurrit a fine saeculi XV usque ad nostra tempora.

§. 20. *Collectiones prima periodo susceptae. Canones Apostolorum, et Constitutiones Apostolicae.*

Primis Ecclesiae saeculis duae circumferebantur Collectiones, quae ipsis Apostolis tribuebautur. Prima *Collectio* continebat 85 canones, qui ab Apostolis credebantur conditi. Verum hanc Collectionem Apostolorum partum esse non posse sequentia evincunt: 1. Si Apostoli eos canones condidissent, procul dubio in Libros sacros Novi Foederis illati fuissent. 2. Hi canones prorsus ignoti erant scriptoribus ecclesiasticis primorum Ecclesiae saeculorum; si autem extitissent haud potuissent ignorari, saltem ab Eusebio Caesareensi, qui in omnia suae aetatis scripta diligenter inquisivit, aut a S. Hieronymo insigni critico. 3. Hi canones continent verba et instituta tempore Apostolorum prorsus ignota, v. g. Subdiaconus, Clericus, Cantor. etc. 4. In canonibus istis deciduntur variae controversiae et lites, et tamen litigantes ad eos nunquam provocarunt, v. g. Canon 7 interdicit, ne christiani eodem die cum Judaeis Pascha celebrent; et tamen Victor Papa disputans cum Polycrate Ephesino episcopo ad eum non provocavit (1). 5. Canon 45 rejicit tanquam invalidum baptismum ab haereticis collatum; ideoque repetit vim Sacramenti ab opere operantis non ab opere operato, quod Apostoli non docuerunt. 6. Ipse Gelasius I. Papa in Concilio Romano anno 496 celebrato hos canones ceu apocryphos, suppositos, et Apostolis non adscribendos damnavit. Canones isti ante saeculum IV haud fuerunt collecti, quia prius nullibi eorum mentio occurrit, licet anuus praecise non possit determinari. Horum canonum auctoritas permagna erat in Ecclesia graeca: in Ecclesia autem latina a Synodo Romana rejecti quidem fuerunt tanquam spurii, attamen propter utilitatem Ecclesiae 50 eorum fuerunt recepti.

Praeterea Apostolis perperam attribuuntur octo libri *Constitutionum Apostolicarum.* Jam ad hoc probandum eadem huc quadrant argumenta, quae supra pru refutanda canonum apostolicorum genuinitate attulimus. Praeterea unum adest quoque argumentum speciale, nimirum auctor in praefatione dicit, has Constitutiones praesente Paulo et septem Diaconis exaratas fuisse, in quo manifestus adest error; nam S. Stephanus non vivebat amplius, cum Paulus esset Apostolus, quia Saulus vestes custodiebat lapidantium Stephanum, sicut Scriptura nar-

(1) H. E. P. I. c. 1. §. 9.

rat. Ab incerto igitur auctore, sicut Canones Apostolici, ita pariter Constitutiones apostolicae saeculo circiter quinto profectae sunt: errores autem, qui in iis notantur, debentur haereticis, aut aliis malevolis.

## §. 21. *Codex Canonum Ecclesiae Graecae.*

Ex spuriis Collectionibus transcamus ad genuinas. Primum inter eas locum obtinet *Codex Ecclesiae Orientalis*: nimirum tempore Theodosii M. a. 385 plures canones genuini fuerunt collecti, v. g. canones Conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, Ancyrani, Neocaesariensis, Gangrensis, Antiocheni et Laodiceni, et hi numero 165. Haec Collectio in Ecclesia graeca facta vocari caepit *Codex Ecclesiae Orientalis*. Celebratis postea pluribus Conciliis, numerus canonum hujus Collectionis ad 207 excrevit, et ab illo tempore Codex Ecclesiae Orientalis vocari consuevit *Codex Universae Ecclesiae*. Quia in hac Collectione series annorum observata fuit, medio circiter saeculo VI Joannes Scholasticus, Presbyter Antiochenus, Codicem hunc in formam systematicam redegit, et in 50 titulos divisit, addens 85 canones apostolicos, et 68 regulas ex tribus epistolis S. Basilii decerptas. Tandem idem Joannes *Nomocanon* condidit, seu Codici universae Ecclesiae inseruit leges imperatorum, ut scilicet et ecclesiasticae et civiles in uno Codice haberentur. Saeculo VII novi ei accesserunt canones et tunc primum nominari caepit *Codex Graecorum absolutus*. Nimirum in Synodo Trullana a. 692 celebrata conditi sunt 102 canones disciplinares, et isti quoque Codici universae Ecclesiae additi sunt. Praeterea inserti fuere plures canones Conciliorum particularium, nec non scripta Patrum graecorum; et hoc modo ortus est Codex graecorum absolutus. (1).

## §. 22. *Collectiones Ecclesiae latinae. Codex Ecclesiae Romanae.*

Videamus quale Collectiones adornatae fuerint prima periodo in Ecclesia occidentali, ab Ecclesia Romana initium facturi. Antiquissimus ille *Codex*, quo Ecclesia Romana prima Collectionum periodo utebatur, passim appellari solet *Prisca Canonum translatio*. Ex hoc nomine facile intelligimus, canones Ecclesiae orientalis ex idiomate graeco in latinum fuisse translatos. Caeterum quinam canones graeci in hac Collectione fuerint comprehensi, inter eruditos non convenit: ei tamen

(1) Franc. Floreus in Diss. de orig. Jur. can. P. II. p. 20., Harduin. coll. conc. tom. 2. coll. 602.

jam ante Zosimum, qui a. 417 summus Pontifex creatus est, canones Sardicenses, et quidem continua cum Nicaenis canonibus serie fuisse insertos inde colligitur, quod ad eos Innocentius I. Zosimi successor provocarit, et legati dein Zosimi in concilio africano eosdem canones nomine Nicaenorum innocue appellarint. Quum prisca haec canonum e graeco versa Collectio haud satis accurata videretur, et integra, sub finem saeculi V, aut sub initium VI Dionysius Exiguus, natione Scytha, professione monachus, novam amplioremque adornavit versionem, canonumque *Collectionem in duas partes divisam.* In priori parte posuit 50 canones Apostolicos, 165 canones Codicis Ecclesiae Orientalis, 27 canones Concilii Chalcedonensis, 21 canones Concilii Sardicensis, et 138 canones africanos; igitur prima pars numerabat 401 canones. Altera parte *Decretales Romanorum Pontificum recensuit epistolas* a Siricio usque ad Anastasium II, id est, a fine saeculi IV. ad finem saeculi V. Quamvis Dionysii Exigui Collectio privata fuerit, nihilominus quia emendatior, correctior et purior erat, mox in Ecclesia Romana, deinde in universa occidentali Ecclesia auctoritatem nacta est, et *Corpus Canonum* per excellentiam fuit appellata (1).

## §. 23. *Collectiones aliae.*

In synodis africanis perplures canones saluberrimi diversis temporibus conditi fuere, quos viri eruditi collegerunt. Saeculo VI Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Diaconus *Breviationem canonum ecclesiasticorum servato materiarum ordine* in 232 titulos digessit. Saeculo VII Cresconius Episcopus Africanus adornavit *Breviarium Canonum in capita trecenta* divisum. Eidem a plerisque tribuitur alia collectio, cui titulus: *Concordia canonum.* In hisce Collectionibus non solum canones particulares, verum etiam generales, et summorum Pontificum decreta reperiuntur.

In Hispania, praesertim Toleti, in conciliis particularibus permulti editi sunt canones, qui, ne perditum irent in unum collecti fuerunt. Fertur, S. Isidorum Hispalensem Episcopum Codici antiquo Ecclesiae hispanicae canones Conciliorum suo tempore celebratorum adjecisse. De Collectionibus isidorianis varie sentiunt scriptores. Extabat quoque in Hispania *Liber Capitulorum*, seu *Collectio Canonum*, quam post medium saec. VI adornavit Martinus Bracarensis Episcopus, diviso in duas partes opere; quarum priore de personis, rebus, et ritibus ec-

(1) Zallwein Princ. J. eccl. t. 2. q. 1. c. 4. §. 5., Petrus de Marca diss. de veterib. collect. can. c. 1., Gaertner §. 84.

clesiasticis agit; posteriore de rebus ad laicos pertinentibus pertractat (1).

Gallia quoque proprium habebat Codicem legum ecclesiasticarum. Ecclesia enim gallicana jam saeculo II Viennae proprios habuit Episcopos, qui in conciliis particularibus canones condiderunt. Verum postquam Papa Hadrianus in Galliam venit, et Carolo M. Codicem Dionysianum obtulit, hic in Ecclesiis Galliae vigorem legis habuit (2). Dicunt aliqui Ecclesiam germanicam eundem habuisse Codicem, quo utebatur Ecclesia gallicana, quia tunc Carolo M. parebat; ast historicis documentis probari nequit. Notum est, S. Bonifacium Germaniae apostolum a Papa Gregorio II, Codicem legum ecclesiasticarum accepisse, qui nullus alius esse potuit, quam Dionysianus.

Quod ad Angliam attinet, sat mature ibi praedicatum fuit Christi Evangelium, sed paulo post ab Anglo-Saxonibus extirpatum. Saeculo VI ad veram fidem iterum fuit conversa opera Augustini Monachi Benedictini, qui, ut creditr, Codicem Dionysianum in Angliam attulit. Ergo Germania et Anglia propriis carebant Collectionibus.

### §. 24. *Collectiones periodo secunda adornatae, et quidem Ecclesiae graecae.*

Quemadmodum Graeci medio saeculo IX, duce Photio, ab Ecclesia Romana secesserunt et facti sunt schismatici; ita etiam uti caeperunt Codicibus plurimum diversis. Anno 880 Codicem Graecorum absolutum partim mutarunt, partim auxerunt, atque ita novus Codex Graecorum prodiit. Nimirum accesserunt canones septem Conciliorum Generalium, sed non Concilii Generalis VIII, quia in eo Photius fuit depositus, et plurimi canones contra eum lati. In vicem autem horum canonum substituerunt canones in conciliis a Photio celebratis statutos; et hic Codex est Graecorum novissimus, quo nostris adhuc temporibus Ecclesia graeca utitur.-Praeterea an. 883 ipse Photius novum Codicem compilavit, cui etiam omnes leges ab imperatoribus graecis circa negotia ecclesiastica latas inseruit; atque ita ortus est *Nomocanon Photii*, cujus adhuc hodie maxima est apud Graecos auctoritas. Hunc successu temporis plures docti schismatici suis commentariis illustrarunt, quia intellectu valde difficilis erat; alii vero pro majori commoditate ejus compendia scripserunt.

(1) Cf. Zallwein Princ. J. E. t. 2. q. 1. c. 4. §. 2, Aquirre coll. max. Conc. Hisp. Romae 1693. (2) Sirmond. in praef. ad Conc. Gal.

§. 25. *Collectiones Ecclesiae latinae. Collectio Isidori.*

Saeculo IX, extit in lucem nova *Collectio Isidori* sive *mercatoris*, sive *peccatoris* nomine insignita, quae in fama fuit. Operae pretium est *auctorem, materiam, authentiam et integritatem, tempus* et *scopum* hujus famosae Collectionis breviter expendere. Quis fuerit hujus Collectionis auctor, incertum est. Sunt, qui inscriptione decepti suspicantur, S. Isidorum Hispalensem illius auctorem esse. Nam Episcopum indicare videtur ipsa inscriptio: *peccator*, quod cognomen ex humilitate Episcopi illius temporis usurpabant. Hi vero in manifesto versantur errore. Cum enim S. Isidorus Hispalensis jam anno 636 diem supremum obierit, non videmus, qui fieri potuerit, ut Concilia Toletana V-XIII et unum Bracarense, quae post Isidori Hispalensis demum mortem celebrata fuerunt, imo Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum VI anno 681 convocatum, ibidem commemorentur. Si S. Isidorus illius operis auctor fuisset, certo Scriptores ejus vitae, praesertim Redemptor Diaconus saltem aliquam fecissent mentionem. Quapropter alii in aliam abierunt sententiam, existimantes, auctorem hujus Collectionis fuisse Benedictum Levitam Moguntinum, natione Germano-Francum, esseque eandem originis franciae. Alii demum conjiciunt, Angilramnum Metensem Archiepiscopum, et Caroli M. Archicapellanum hujus Collectionis auctorem fuisse. Hae sunt principaliores de auctore hujus Collectionis sententiae, quarum tamen nulla usque adeo evicta est, ut securum desuper judicium fieri possit.

Materiam Collectionis hujus constituunt epistolae decretales priscorum Pontificum a S. Clemente ad Silvestrum, dein canones Concilii Nicaeni I, cum canonibus caeterorum utriusque Ecclesiae Orientalis et Occidentalis Conciliorum, ac tandem epistolae aliae consequentium Pontificum usque ad S. Gregorium M.

Jam si quaeritur de authentia et integritate documentorum, quae Pseudo-Isidorus protulit, fatendum est, alia esse genuina, alia conficta, alia adulterata. Inter conficta et adulterata adnumerandae veniunt potissimum plures epistolae Summorum Pontificum a Clemente usque ad Silvestrum, quidquid Franciscus Turrianus moliatur ad earum causam vindicandam. Praecipui falsitatis aut corruptionis earundem characteres hi sunt: 1. quod epistolae decretales priscis R. Ecclesiae Pontificibus tributae, ignotae fuerint Eusebio, Hieronymo, aliisque Scriptoribus; quodque ipse Dionysius Exiguus, qui maxima cura et diligentia lustravit, excussitque scrinia

Sedis Apostolicae, nullam illarum decretalium invenerit; 2. quod scriptores ecclesiastici, qui per octo saecula floruerunt, Concilia, quae per eam aetatem habita sunt, et Pontifices, nullam harum decretalium faciant mentionem, quamquam plus semel facere debuissent; 3. quod in decretalibus Pontificum primi et secundi saeculi, plura S. Scripturae loca ex versione S. Hieronymi multo recentiore, imo sententiae et integrae periodi posteriorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, aliorumque auctorum legantur; 4. quod omnes eodem et uniformi sint exaratae stylo, nec non scribendi genus barbarum sit, et ab antiquissima illa linguae puritate et elegantia longo remotum.

Tempus, quo Isidoriana Collectio in lucem prodiit, nondum potuit a quodam liquido definiri. Alii eam anno 829 haud vetustiorem esse putant. Alii eam ad annum 744 referunt. Alii sub finem saeculi VIII compilatam fuisse defendunt, hique posteriores ad verum videntur propius accedere. Nam Hincmarus Rhemensis in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem nepotem suum refert: Isidori Collectionem a Riculpho Moguntino, qui Lullo in Ecclesiae Moguntinae archiepiscopatu anno 787 successit, annoque 814 obiit, ex Hispania Moguntiam allatam, et per alias regiones propagatam fuisse.

Quo fine, quo consilio Pseudo-Isidorus tot commenta, confinxerit, nostris praesertim temporibus disceptatur. Sunt, qui contendunt, decretales a fraudatore ideo fictas fuisse, ut summa et absoluta unius Romani Pontificis in universam Ecclesiam potestas stabiliretur. At maturiori examine rem hanc ponderantibus facile patebit, primarium auctoris scopum longe alium fuisse. Ipsa praefatio, et centena loca in Pseudo-Isidori decretalibus contenta eo proxime collimare videntur, ut Episcopi a rapinis et vexationibus rudium principum aeque, ac Metropolitarum omnino tuti redderentur. Studio consulendi Episcoporum indemnitati Pseudo-Isidorus Metropolitarum et Synodorum provincialium auctoritatem depressit, et Romano Pontifici cognitionem omnium causarum majorum adscripsit. Quum haec Collectio nomen Isidori praeseferret, quem esse Hispalensem communis tenebat opinio, non oportet mirari, ambabus quasi ulnis in toto Occidente eam fuisse exceptam, in ea potissimum temporum barbario, cum Ludovicus Pius in suo throno vacillaret, minores principes perpetuis inter se bellis digladiarentur, et universus Franciae status turbarum fluctibus agitaretur (1).

(1) Hincmarus Rhem. ep. 7. c. 12., Annal. Benedictin. ad an. 785, Spittler Hist. J. C., David Blondellus, Ballerinus P. III. c. 6. §. 6, Spittler.

## §. 26. *Capitularia Regum Francorum.*

In Francia sub regibus tam primae, quam secundae stirpis plura celebrabantur comitia, ad quae Proceres ecclesiastici et civiles invitabantur. In his agebatur de omnibus rebus ad sacrae et profanae Reipubblicae rectam gubernationem spectantibus, et plures condebantur leges, quae vocabantur *Capitularia*, quia in plura Capitula erant divisae. Haec Capitularia statim colligi coeperunt, ot quidem prima eorum Collectio ab Ansegiso Abbate facta anno 827 quatuor libros complectitur; nimirum ille collegit Capitularia a Carolo M. et Ludovico Pio edita. Jam *liber primus* continebat Capitularia de rebus ecclesiasticis tractantia sub Carolo M. condita; *liber secundus* Capitularia de rebus politicis sub eodem Carolo M.; *liber tertius* Capitularia de rebus ecclesiasticis sub Ludovico Pio edita; *liber quartus* Capitularia de rebus politicis sub eodem Ludovico Pio. Verum Ansegisus multa omiserat, et desiderabantur etiam anteriora sub Pipino et Carolomano edita. Itaquo Benedictus Levita Moguntinus, jussu Autgarii Archiepiscopi supplevit defectum, et anno 815 in lucem emisit tres libros, quorum *primus* complectitur Capitularia sub Pipino edita, *secundus* illa sub Carolomano, et *tertius* ea sub Carolo Magno et Ludovico Pio condita, et ab Ansegiso omissa.

## §. 27. *Collectiones Reginonis, Burchardi Vormatiensis, Ivonis Carnotensis, et Anselmi Lucensis.*

Saeculo X. Regino abbas Prumiensis O. B. ex variis conciliis, praesertim Galliae et Germaniae, ex litteris summorum Pontificum decrotalibus, SS. Patrum sententiis, Principum constitutionibus, ex Capitulis Regum Francorum etc. novam *Canonum Collectionem* conscripsit in duos libros divisam, quorum altero de rebus et personis ecclesiasticis, altero de vita et officiis laicorum agit: Isidori tamen merce raro usus est.

Reginonem saeculo XI secutus Burchardus, aliis Brochardus Vormatiensis Episcopus *Magnum Decretorum*, seu *Canonum Volumen* in viginti libros divisum in lucem emisit.

Burchardi vestigia saeculo XII pressit S. Ivo Carnotensis edito opere, quod *Decretum Canonum*, vel *Excerptio legum ecclesiasticarum* vocatur, quodque auctor in septendecim divisit libros.

l. c. p. 246 §. 63., Mabillon. Annal. Bened. ad. 785, c. 24 opp. T. II. p. 476., Brev. Ariani., Devoti., Blassus c. 7 et seq. p. 65 et seq., Dr. Joh. Hortig. Manuale H. E. t. 1. p. 476., Ruttenstock H. E. t. 2.

Anselmo Lucensi tribuitur authentica, et compendiosa Collectio regularum, et sententiarum SS. Patrum, ac magnae auctoritatis Conciliorum. Hae Collectiones notatu sunt dignissimae, quia subsequentes Canonum Collectores, potissimum Gratianus, ex his fontibus hauserunt. Reliquas minus celebres silentio praeterimus, quia de omnibus dicere nimis longum foret.

### §. 28. *Decretum Gratiani.*

Gratianus Monachus Benedictinus in Monasterio Divorum Felicis et Naboris Bononiae, ubi jus canonicum publice profitebatur, 23 annorum spatio, id est ab anno 1127 usque ad annum 1150 novam canonum Collectionem confecit, quam ipse *Concordantiam discordantium canonum* inscripsit, usus vero brevitatis causa *Decretum Gratiani* appellavit. Causa inscriptionis erat haec: Gratianus in Jure canonico versatissimus, videns in antecedentibus canonum Collectionibus canones discordare, hos per interpretationem et congruentem distinctionem conatus est in concordiam redigere. Praeterea cum Gratianus animadverteret studium Juris canonici Bononiae negligi, quia liber praelectionibus adcommodatus deerat, illud opus composuit, et Bononiensibus Professoribus examinandum obtulit; a quibus probatum Eugenius III Romanus Pontifex in Academia Bononiensi praelegendum esse decrevit, imo, ut juvenes magis ad ejus studium animarentur, voluit, ut Doctores Juris canonici etiam aliqua praerogativa prae Doctoribus Juris civilis gauderent.




Fontes autem, ex quibus Gratianus opus suum conflavit, erant potissimum Collectiones Dionysii Exigui, Pseudo-Isidori, Reginonis, Bruchardi, et Ivonis Carnotensis.

Decretum Gratiani tribus constat partibus. In prima parte auctor, praemissis Juris Canonici principiis generalibus, tractat de personis ecclesiasticis, eorumque juribus; in secunda parte disserit de judiciis ecclesiasticis, quia tempore Gratiani haec solemniter instituebantur, judiciaque civilia imitabantur; in tertia parte denique agit de rebus ecclesiasticis, eamque *de consecratione* inscripsit. Jam prima pars iterum dividitur in 101 distinctiones, et hae in canones vel capitula. Secunda pars dispescitur in 36 causas, quaelibet causa in quaestiones, et hae in canones: causae trigesimae tertiae subjicitur tractatus de poenitentia divisus in septem distinctiones, et hae iterum in suos canones. Tertia pars dividitur in quinque distinctiones, et hae in suos canones. Ex quibus jam patet modus Gratiani Decretum allegandi; in prima parte prius signum Canonis seu Capituli (C) ponitur, deinde vox initialis, postea signum et

numerus distinctionis, v. g. C. miramur 14 dist. 61: in secunda parte primo ponitur Canon (C), iterum vox initialis vel numerus, aut utrumque simul, deinde causa et ejus numerus, tandem quaestio ejusque numerus, v. g. C. non licet 10 caus. 18 q. 7. Si autem aliquid citatur ex tractatu de poenitentia, tunc fit eodem modo sicut in parte prima, sed additur *de poenitentia*, v. g. C. lacrymae 3 dist. 5 de poenit.; in tertia parte ita citatur: C. 1 dist. 2 de consecrat.

Capitulorum, quibus vox *Palea* praefigitur, incerta est origo, incertum vocis etymon. Sunt enim qui Paucapaleae cuidam Gratiani discipulo, a quo et nomen sortiantur, tribuant; sunt alii, qui opinantur ea capitula, utpote a Gratiano non profecta, ceu paleas, resque nullius pretii habita fuisse: demum alii has additiones per verba: *post alia,* vel *p. alia* primum indicatas, ex incuria descriptorum in *palea* vel *paleas* esse immutatas suspicati sunt. At incerta haec omnia. Id satis expeditum, haec capitula serius Decreto Gratiani adjecta, primum quidem marginibus exemplariorum paullatim adscripta, tandem in textum irrepsisse.

Cum Gratiani opus variis mendis scateret, saeculo XIV viri doctissimi illud purgare studuerunt, quos inter memorandi sunt Antonius Demochares et Antonius Contius; sed hi privati homines omnibus erroribus tollendis impares erant; quamobrem Pius IV et Pius V Romani Pontifices Romam vocarunt viros doctrinae et eruditionis laude conspicuos, quibus munus hoc opus emendandi imposuerunt, et ideo hi viri dicti sunt *Correctores Romani,* quorum numerum S. Pius V ad 35 auxit. Emendatio demum perfecta est sub Gregorio XIII, qui *Decretum* ita emendatum ceteris juris canonici partibus accenseri jussit, et ut nova hac editione omnes uterentur demandavit; atque, ne in eo quidpiam privato arbitrio mutaretur, edita anno 1580 constitutione cavit. Nihilominus post tempora quoque Gregorii XIII plures viri eruditi, v. g. Antonius Augustinus, Diomedes Brava etc. in purgando Gratiani Decreto insudarunt (1).

## §. 29. *Collectiones Decretalium.*

Cum, suppressa Synodorum provincialium auctoritate, omnes causae majoris momenti ad Sedem apostolicam essent delatae, Romani Pontifices vi Primatus plures epistolas decretales

(1) Mestricht Hist. Jur. Eccl. n.318., De Riegger Diss. de Decreto Gratiani §. 5. seqq., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. §. 96. p. 105., Devoti t. 1. p. 83-89.

in lucem ediderunt, quae cum a privatis Doctoribus, tum ab ipsis Pontificibus collectae fuere. Sic Bernardus Circa Praepositus Papiensis ac postea Faventinus Episcopus anno 1190 evulgavit *Breviarium Extravangantium*, hoc est decretorum, quae extra Gratiani Decretum vagabantur. Bernardum Papiensem sequuti sunt Gilbertus Abbas, et Alanus Episcopus Antidisiodoriensis, qui omissas a Bernardo constitutiones collegerunt. Ex iis anno 1202 novam adornavit Collectionem Joannes Gallensis, seu Vallensis, qui ea plurium Pontificum constitutiones complexus est. Ex decretalibus, quas prioribus annis duodecim ediderat Innocentius III, aliam Collectionem absolvit Bernardus Major Compostellanus Archidiaconus, quae tamen usu recepta non est. Innocentius III, opera Petri Diaconi Beneventani decretales suas unum in corpus colligendas curavit. Etiam Honorius III, Innocentii III successor, suas decretales colligi jussit. Utraque, illa nempe Innocentii, et haec Honorii Collectio Sedis apostolicae auctoritate evulgata est. Hae sunt veteres Decretalium Collectiones. Ex hac Collectionum copia orta est quaedam calamitosa juris incertitudo, quia in nimia legum multitudine non est facile agnoscere an certus actus sub hac vel illa lege contineatur.

§. 30. *Libri quinque Decretalium Gregorii IX.*

Honorio in Pontificatu successit Gregorius IX Juris Canonici peritissimus, qui, ut omnia dubia amputarentur, ex praefatis potissimum Collectionibus, opera S. Raymundi de Pennafort Capellani sui et Poenitentiarii ex Ordine Praedicatorum, viri tunc temporis doctissimi, ampliorem *Decretalium Collectionem* adornari curavit, anno 1234 publici juris fecit, et ad Universitates Bononiensem et Parisiensem transmisit, praecipiens, ut tam in scholis, quam in judiciis ea uterentur. Gregoriana haec Collectio dividitur in quinque libros, et singuli libri subdividuntur in titulos, qui omnes simul sunt numero 185. Ordo in his observatus notissimo versiculo pronuntiatur: « Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen. » *Primus liber* de personis jurisdictione praeditis, seu de judicibus agit; *secundus* de judiciorum ordine; *tertius* de rebus ecclesiasticis, et clero; *quartus* de matrimonio; *quintus* de criminibus maxime et poenis tractat. Tituli librorum distribuuntur in capita, et modus allegandi libros hic servatur: indicato titulo vox prima, aut numerus capituli citantur, ex. gr. Cap. Venerabilem de elect. 1. de Cleric. conj. Cap. Tua nos 26 de sponsalib. et matrim. a quibusdam interjici solet capitibus verbum *extra*, aut additur littera X, ut significetur

capitulum illud extra Gratiani Decretum reperiri, v. g. C. 7. *extra*, vel X de elec. (1).

## §. 31. *Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII.*

Post tempora Gregorii IX Romani Pontifices novas ediderunt decretales, quas Bonifacius VIII, usus opera Guillelmi Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Episcopi Bitterensis, et Riccardi de Senis, anno 1298 collegit una cum canonibus duorum Conciliorum generalium Lugdunensium, additis etiam suis constitutionibus, atque ita libris quinque Gregorii IX *sextum Decretalium* adjecit, in libros itidem quinque divisum; ideoque in libro sexto Decretalium Bonifacii VIII idem ordo observatur, sicut in Collectione Gregorii IX. Ejus capita cum laudantur, in fine additur in *sexto*, ut a capitibus Gregorianae Collectionis distinguantur, v. g. Cap. Concertationi de appellat. in 6. (2).

## §. 32. *Collectio Clementina.*

Postquam fatis cessit Bonifacius VIII Clemens V anno 1305 Pontifex renuntiatus novam *Collectionem* fieri jussit anno 1313, quae dicta fuit *Clementina*, non solum quia jussu Clementis facta, sed etiam quia praeter canones Concilii Generalis Viennensis quam plures constitutiones continebat, quas ipse in eodem Concilio ediderat. Cum Clemens V morte praeventus eam ad Universitates Parisiensem et Bononiensem mittere non potuisset, id perfecit ejus successor Joannes XXII, qui illam in quinque libros divisam Sexto Decretalium adjunxit, et praecepit, ut nomen Clementis retineret. Constitutiones ea comprehensae citantur hoc modo, ex. gr. *Clement. si furiosi de relig. domib.* (3).

## §. 33. *Collectiones Extravagantium.*

Constitutiones Romanorum Pontificum, quae in Collectionibus Gregorii IX, Bonifacii VIII, et Clementis V non reperiebantur, Extravagantes sunt appellatae, quia extra illas Collectiones vagabantur. Extravagantium constitutionum duae sunt species: aliae enim dicuntur Joannis XXII, aliae communes;

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. 1. §. 101. p. 111., Devoti Inst. Can. t. 1. p. 91. (2) Devoti Inst. Can. t. 1. p. 93. (3) Christ. Frid. Glück Praecog. un. Jur. Eccl. c. 2. p. 60. n. 5., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. p. 113. §. 103.

hinc etiam duae diversae factae sunt Collectiones. Prior Collectio prodiit in lucem anno 1340, et fuit appellata Joannis XXII, quia continet 20 illius constitutiones. Haec Collectio, ob constitutionum paucitatem, non in libros, sed in 14 articulos fuit divisa, et citatio fit ita v. g. *Extravag. Joannis XXII Constit.* 10 *tit. de Simonia.* Posterior, quae *Extravagantes communes*, seu complurium Summorum Pontificum ab Urbano IV ad Sixtum IV, sive ab anno 1261 usque ad annum 1471 comprehendit, circa annum 1484 privato studio confecta creditur. Ea vero dividitur in quinque libros, sicut Gregoriana, et ejus loca sic laudantur: *Extravag. rem non novam de dol. et contumac. inter commun.*

## §. 34. *Corpus Juris Canonici.*

*Corpus Juris Canonici* est complexus plurium Collectionum diversis temporibus confectarum, et in unum *Corpus* redactarum. Constat autem sequentibus partibus: 1. Decreto Gratiani, quod primam partem efficit; 2. Collectione Decretalium Gregorii IX; 3. Sexto Decretalium Bonifacii VIII; 4. Collectione Clementis V; 5. Collectionibus Extravagantium Joannis XXII, et Communium. Cum Corpori Juris civilis praemissae essent ita dictae Institutiones, seu prima Juris civilis principia, quod opus Fribonianus egregius Jurisconsultor perfecerat, Paulus Lancellotus, Juris Canonici professor Perusinus, jussu Pauli IV R. P. aliquod compendium conscripsit, et S. Pio V dedicavit. Summus Pontifex compendium Lancelloti collaudavit, et Corpori Juris Canonici adponi jussit; attamen non confirmavit ita, ut hae institutiones vim legis haberent. Probabiliter Pontifex non confidebat, eas convenire principiis in Corpore Juris canonici sparsis. In Corpore Juris Canonici occurrunt sequentia: 1. *Rubrica*, quae nil aliud est quam inscriptio tituli, v. g. tit. 1. de jurisdict. Vocatur autem ita, quia olim tituli solebant rubro colore scribi. 2. *Summaria*, quae sunt brevia compendia a viris privatis praemissa Canonibus vel Decretalibus in commodum legentium, ut nempe totius canonis vel decretalis tenor uno quasi obtutu perspici queat. 3. *Glossa*, seu breves adnotationes Doctorum Juris in margine factae, quibus explicatur vis et sensus cujusdam vocis, vel etiam totius capituli. Corpus Juris Canonici Gregorio XIII Pontifice saeculo XVI Romae editum fuit, diligenterque emendatum (1).

(1) Devoti Instit. Can. t. 1. p. 94.

§. 35. *Collectiones tertiae periodi, seu Juris novissimi.*

Quidquid post Corporis Juris ecclesiastici conclusionem legum ecclesiasticarum emanavit, ad tertiam periodum, id est ad Jus novissimum pertinet. Ad hoc spectant decreta Conciliorum a saeculo XV celebratorum, maxime vero Concilii Tridentini constitutiones saluberrimae, concordata Principum cum Sede Apostolica inita, declarationes sacrarum Congregationum, et Decretales Summorum Pontificum, quae hodierna die vocantur vel *Bullae*, vel *Brevia*. Bullae nuncupantur a *Bulla*, aut *sigillo* vel plumbeo, vel aureo, quod ex una parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri et Pauli, ex altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, qui interdum sericus, interdum canabinus est. *Bullae consistoriales*, quae expediuntur in Consistorio adhibito Cardinalium consilio, aliud adhuc sigillum ad formam crucis adnexum habere solent. Bullae a Brevibus distinguuntur: 1. Quod haec pro levioribus, illae pro gravioribus negotiis plerumque dari soleant; 2. Quod haec latino eleganti charactere, illae charactere gothico scribantur; 3. Brevia per Cardinalem a secretis Brevium, Bullae in Cancellaria apostolica expediuntur; 4. Brevia sigillum habent cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur sub *annulo piscatoris*, Bullae sigillum aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur; 5. Denique pro Brevibus albae et subtiles membranae, pro Bullis suboscurae, crassioresque adhibentur. Collectio Bullarum vocatur Bullarium.

Opus erat etiam Bullas colligere. Primus Gregorius XIII animum adjecit ad colligendas constitutiones RR. Pontificum, quae post Sixtum IV in lucem prodierunt, atque id negocii dedit viris eruditis, qui *Septimum Decretalium* conficerent. Sed mortuo Gregorio XIII, cum opus adhuc esset infectum, illud perficiendum curavit Sixtus V, quo etiam humanis rebus erepto, denique opus integrum absolutum, et typis excusum est Clemente VIII Pontifice, qui cum Cardinalis esset ea in re suam operam, studiumque posuerat. Ast obortis eo in opere difficultatibus, visum est supprimere exemplaria.

Nihilominus Petrus Matthaei, praestantissimus Jurisconsultus Lugdunensis, iisdem fere temporibus, id est anno 1590 edidit in lucem *Librum Septimum Decretalium*, qui complectebatur Bullas a conclusione Corporis Juris Canonici usque ad Sixtum V, seu usque ad annum 1585 editas. Hic liber privata exaratus auctoritate vim legis non habet; sed notitiae causa Corpori Juris Canonici in fine fuit adjectus.

Bullas, sive Extravagantes Pontificum constitutiones a S. Leone M. usque ad Sixtum V collegit Laertius Cherubinus

Romanus, easque uno volumine comprehendit, quod *Bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum librum constitutionibus Pauli V ac tertiam quoque Bullarii editionem parabat; sed cum re infecta fatis cessisset, susceptum a Patre opus absolvit ejus filius Angelus Maria Cherubinus, qui *Magnum Bullarium* in quatuor tomos divisum Romae edidit, quibus omnes Bullas usque ad Innocentium X complexus est. Quatuor his libris quintum addiderunt Angelus a Lantusca et Paulus a Roma, qui RR. Pontificum constitutiones usque ad Clementem X collegerunt.

Omnibus Bullarum Collectionibus palmam praeripuit *Bullarium Magnum,* quod circa annum 1770 in lucem edidit Romae Hieronymus Mainardus in 14 tomos divisum, quodque omnes Bullas Summorum Pontificum a S. Leone M. usque ad Clementem XII continet. Extat quoque Bullarium Benedicti XIV in quatuor tomos divisum, quod ejusdem Pontificis constitutiones complectitur. Tandem Magnum Bullarium, Summorum Pontificum Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII et Pii VIII constitutiones, litteras in forma Brevis, epistolas ad principes viros et alios, atque allocutiones comprehendens, habita temporum ratione, cum suis appendicibus, et summariis edidit Romae anno 1835 Andreas Barberi.

Ad jus novissimum nonnulli referunt etiam regulas Cancellariae, quas primus Joannes XXII scripto mandari jussit, ut iis Cancellaria apostolica regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine, ac viva voce ejus negotia expediebantur. Consequentes Pontifices, ac praesertim Nicolaus V has regulas auxerunt, easque ad eum perduxerunt statum, in quo nunc sunt. Hodie regulae Cancellariae numerantur 72, in quas, praeter caeteros, commentarios scripsit, quatuor tomis comprehensos, Joannes Baptista Rigantius (1).

## CAPUT IV.

### DE NOTIONE, DIVISIONE, NECESSITATE ET ORDINE JURIS ECCLESIASTICI.

### §. 36. *Notio Juris ecclesiastici.*

Hucusque disseruimus de legibus ecclesiasticis, earumque collectionibus; nunc ad alia, quae ex legibus originem trahunt, procedendum. Omnium legum fundamentum est humana libertas: lex autem est fons juris. Etenim lex sive naturalis, sive positiva, divina vel humana, libertati cujuslibet

(1) Vide Fagnan. c. de judic. n. 61., Devoti Inst. Can. t. 1. p. 96-99.

hominis in societate viventis limites praescribit; unde oritur *jus* a *justitia* sic dictum, qnia quidquid intra hos limites lege praescriptos agere, vel ab aliis exigere licet, id *justum* est, seu ad id *jus* nobis competit. Quidquid justum est, id sphaeram juris efficit; et si quis in hanc spbaeram involare audet, hic injuriam committit, et *juris violator* nominatur. Ex hisce liquido patet, *jus generatim sumptum esse facultatem agendi intra sphaeram propriae libertatis lege aliqua definitam.* Pro legum varietate diversa oriuntur jura. Sic si lex est *naturalis*, jus erit *naturale*, si *positiva divina divinum*, si *civilis civile* (1), si *ecclesiastica ecclesiasticum.* Est itaque *jus ecclesiasticum in specie facultas fidelium agendi intra sphaeram libertatis lege ecclesiastica determinatam.* Unde sequitur, omnes leges capite II enumeratas quibus libertas membrorum Ecclesiae Jesu Christi restringitur, esse jurium ecclesiasticorum fontes.

Jus ecclesiasticum sub dnplici aspectu consideratur, nimirum *objective*, et *subjective*. *Objective* spectatum est complexus legum cum naturalium, tum positivarum divinarum, humanarumque, quibus Ecclesia christiana, ceu societas visibilis et perfectissima ad mentem sui Fundatoris divini regitur. Quia jam primis ab exordiis Ecclesiae leges ecclesiasticae vocantur canones; ideo complexus legum ecclesiasticarum etiam *Jus Canonicum* appellatur. Si jus ecclesiasticum ceu scientia *subjective* consideratur, est habitus leges ecclesiasticas demonstrandi, interpretandi, et ad casus obvenientes applicandi, vocaturque alio nomine *Jurisprudentia ecclesiastica*, qnae dividitur in *Theoriam*, seu *Juriscientiam*, et *Praxim* seu *Jurisperitiam*. *Theoria*, seu Juriscientia est habitus leges ecclesiasticas suis ex principiis demonstrandi, rite interpretandi, verum Legislatoris scopum eruendi, legumque finem indagandi. *Praxis* vero, seu Jnrisperitia consistit in recta casuum obvenientium ad leges applicatione, ut unusquisque sciat, quid sibi agendum, aut ab aliis exigendum sit. Alterutra sine altera parum prodest. Idcirco, qui theoriam solum possidet *Leguleus* dicitur; qui autem sola praxi pollet *Legulista* audit (2).

(1) Jus, quod ex lege civili oritur, vocatur *perfectum*, quia involvit coactionem, c. g, creditor habet jus perfectum, id est potest cogere debitorem ad solvendum debitum. Jus vero quod legi morali respondet est imperfectum, quia deest illi vis cogendi, ex gr. Mendicus potest petere stipem, non cogere. (2) Cf. Fray P. I. §. 7. segg. et Gaertner §. 52. segg.

## §. 37. *Divisio Juris ecclesiastici.*

Jus ecclesiasticum dividitur *a) ratione originis* in *divinum* et *humanum*; illud a legibus naturalibus et positivis divinis, hoc a legibus humanis ecclesiasticis proficiscitur; *b) ratione temporis* humanum distribuitur in *antiquum*, *novum*, et *novissimum*: antiquum ex legibus primorum octo saeculorum emanat: novum derivatur ex legibus latis ab initio saeculi IX usque ad conclusionem Corporis Juris Canonici: novissimum constituunt leges conditae a conclusione Corporis Juris Canonici usque ad nostram aetatem; *c) ratione modi*, quo ad nos pervenit, dispescitur in *scriptum* et *non scriptum*: scriptum, quod literis consignatum est; non scriptum, quod de ore ad os communicatum, vel usu introductum, quodque etiam *traditum*, vel *consuetudinarium* dicitur; *d) ratione objecti* jus ecclesiasticum est *publicum*, vel privatum. Publicum explicat jura et officia totius Ecclesiae veluti personae moralis, nec non eorum, qui in illa potestate gaudent rectoria: privatum determinat jura et officia singulorum Ecclesiae membrorum. Publicum subdividitur in *internum* et *externum*. Jus publicum ecclesiasticum internum exponit relationem Pastorum et fidelium ad se invicem, seu statum Ecclesiae in se spectatae, et negotia, ut ajunt, immanentia: externum, nexum Ecclesiae cum Republica civili, et relationem ad alias sectas, seu negotia transeuntia explicat; *e)* tandem *ratione subjecti* Jus ecclesiasticum rursus est vel *universale*, vel *particulare*. *Universale*, seu *commune* jura ad universam Ecclesiam spectantia, seu omnibus fidelibus communia continet, uti sunt jura ex legibus dogmaticis, moralibus, et disciplinaribus vigorem habentibus in universa Ecclesia provenientia: *particulare* illud vocatur, quod cuilibet Ecclesiae particulari proprium est. Jus ecclesiasticum particulare concernit potissimum disciplinam ecclesiasticam, quae necessitatibus et utilitatibus cujuslibet Ecclesiae particularis debet esse adcommodata; et quemadmodum in diversis Ecclesiis diversae possunt esse necessitates, ita etiam disciplina diversa esse potest. Reapse historia ecclesiastica testatur, in omnibus Ecclesiis particularibus eandem non viguisse disciplinam ecclesiasticam: quapropter quaelibet Ecclesia particularis proprium habebat Codicem in duas partes divisum, quarum prima continebat leges in universa Ecclesia vigorem exercentes, altera complectebatur leges, quas synodi nationales, provinciales et dioecesanae tulerant (1).

(1) Cf. Fray P. I. §. 7. segg., Gaertner §. 52. segg., Schenkel Sect. I. c. 3. §. 52, 53, 54, 55. p. 61, 67.

### §. 38. *Necessitas studii Juris ecclesiastici.*

Studium Juris ecclesiastici est necessarium tam clericis, quam laicis, qui officio aliquo fungi cupiunt. Imprimis est summopere necessarium clericis saecularibus et regularibus; nam in Jure ecclesiastico exponuntur Primatis Ecclesiae universalis, Cardinalium, Patriarcharum, Primatum nationum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, Praelatorum non Episcoporum, Parochorum, aliorumque clericorum jura, officia, privilegia, et nexus inter Ecclesiam et Civitatem, quae omnia clericis sunt scitu necessaria non solum ut officiis rite perfungi queant, verum etiam ut tueri possint jura et privilegia ecclesiastica, potissimum hoc aevo, quo quidam aut venales, aut assentatores, aut subdoli, aut juris canonici inscii, Ecclesiae omnia eripere et Civitati adscribere conantur, nec non studiosam juventutem mortiferis principiis imbuunt. Mehercule, si clericus non studet sua jura et privilegia tueri, quis tuebitur? An poterit tueri id, quod ignorat? Laicis vero, qui caussas dicunt aut judicant, vel Reipublicae adsunt, necessitatem studii juris ecclesiastici sequentia imponunt: 1. Inter jus ecclesiasticum et civile arcta datur connexio, et saepe lex civilis per legem ecclesiasticam explicatur; 2. plurium legum romanarum per jus canonicum correctio, uti est illa, quae nuptis ex damnato conjugio alimenta ex bonis parentum denegabat; 3. Jus canonicum in varias caussas civiles vim et auctoritatem exerit; 4. Frequentes causae circa jus patronatus, sponsalia, decimas et similia, sine Juris canonici scientia haud rite possunt definiri (1).

### §. 39. *Ordo in pertractando Jure ecclesiastico publico interno servandus.*

Jus ecclesiasticum, uti diximus, ratione objecti dividitur in *publicum* et *privatum*, et publicum in *internum* et *externum* (§. 37). Jus ecclesiasticum internum, quod primam Juris canonici publici partem efficit, versatur in explicanda constitutione Ecclesiae tamquam personae moralis consideratae, et tractat; *a) de potestate ecclesiastica generatim; b) de potestate ecclesiastica universali*, et *c) de potestate ecclesiastica relate ad ecclesias particulares.* Itaque Jus ecclesiasticum publicum in-

(1) Eybel Introd. in Jus eccl. t. 1. l. 4. c. 3. §. 85., Zallvein t. 1. q. 1. c. 3. §. 4., Schenkel Inst. J. C. P. I. c. 3. p. 70.

ternum tribus constat Sectionibus. Prima sectio agit de potestate ecclesiastica generatim, et quidem: 1. de necessitate, institutione, natura, divisione, et Primatu potestatis ecclesiasticae; 2. de forma regiminis spiritualis, et gradibus hierarchiae ecclesiasticae. Secunda sectio tractat de potestate ecclesiastica universali, hinc 1. de Ecclesia in statu extraordinario, seu de Conciliis generalibus; 2. de Ecclesia in statu ordinario, seu de juribus Primatis Ecclesiae universalis. Tertia sectio disserit de potestate ecclesiastica relate ad Ecclesias particulares, ideoque: 1. de Patriarchis, Primatibus nationum, et Archiepiscopis; 2. de Episcopis; 3. de CapitulisEcclesiarum Cathedralium; 4. de Prelatis non episcopis; 5. denique de Parochis.

# JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM

## PARS PRIMA

## JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM INTERNUM

### SECTIO I.

### DE POTESTATE ECCLESIASTICA GENERATIM

### CAPUT I.

#### DE NECESSITATE, INSTITUTIONE, NATURA, DIVISIONE, ET PRIMATU POTESTATIS ECCLESIASTICAE.

§. 40. *Necessitas potestatis ecclesiasticae visibilis.*

Christum Dominum, verum Deum, et verum hominem, humani generis Redemptorem, Doctorem et Legislatorem eximium, in locum legis mosaicae, et synagogae aliam Religionem, et Ecclesiam instituisse, ut homines Baptismi receptione huic coetui aggregati, inauguratique, tum fidei ejusdem professione, eorumdem mysteriorum participatione, et speciali charitatis nexu, tum comuni ad clavium potestatem subjectionis vinculo velut in *unum ovile, in unum corpus, in unam domum Dei, et Ecclesiam Dei vivi* collecti leges a se latas servarent, *unanimes et uno ore honorificarent Deum, habituri fructum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*, in historia ecclesiastica dictum est (1). Quandiu Christus Dominus in hac terra degebat, ipse utique erat *Caput visibile* Ecclesiae suae; at etiam postquam in coelum ascendit non desiit esse *Caput invisibile*, uti testatur S. Paulus dicens: « Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus » (2). Caput dicitur ob realem et perennem influxum, quem habet in corpus mysticum, quod est Ecclesia (3), similitudine ab humano capite desumpta; nam totum corpus vivificatur et regitur a capite, sine quo mortuum foret. Haec doctrina, Christum nempe esse Ecclesiae caput, omnibus fidelium actionibus vitam suppeditat, haec fides dat nobis solatium in passionibus et adversitatibus. Hic divinus influxus efficit, ut Ecclesia catholica inter medios persecutionum fluctus, atque hae-

(1) Vid. Hist. Eccl. Period. I. C. I. §. 11. (2) Ephes. 4, 15.
(3) Coloss. 1, 24.

rcsum, aliarumque calamitatum procellas semper crescat, de omnibus suis hostibus triumphet, et divinum vaticinium impleatur: « Portae inferi non praevalebunt adversus eam » (1).

Praeter hunc influxum invisibilem Jesu Christi ceu Capitis in corpus suum mysticum, necessaria est in Ecclesia catholica potestas visibilis, qua liberae membrorum actiones ad finem a Redemptore praestitutum dirigantur. Christus Dominus Ecclesiam suam instituit instar societatis perfectae, universalis, ac perpetuae; ast nulla societas major diu incolumis persistere potest absque potestate actiones liberas membrorum ad finem societatis mediis efficacibus determinandi et urgendi. Haud enim sperandum est, ut multitudo hominum, qui genio, indole, temperamento, charactere, inclinationibus, consuetudinibus, principiis, educatione non minus ac facici lineamentis inter se differunt, et propriis aguntur studiis, sponte consentiat in media ad finem socialem apta, et praestare velit omnia necessaria, si nec poenarum metus, nec praemiorum spes executionem eorum urgeat. Si nulla esset potestas, quae paenarum comminatione praeciperet agenda, et vetaret actus fini societatis contrarios, oriretur inter socios conflictus, et brevi societas dissolveretur. Si hoc verum est de qualibet societate majori, quanto magis verum esse debet de Ecclesia per totum orbem diffusa, quae ingentem hominum natione, moribus, ingenio, lingua diversorum numerum complectitur. Christus quidem proposuit principia theoretica et practica; sed possunt oriri dubia, fieri sinistrae interpretationes, sicut quovis saeculo factum legimus ab hominibus malevolis, praecipue ab haereticis: ergo opus est potestate, quae dubia resolvat, et veritates a Christo revelatas exponat. Praeterca in Ecclesia unitas fidei et communionis est servanda, doctrina Jesu Christi praedicanda, sacramenta administranda, fideles ad mandatorum divinorum observationem exhortandi, disciplina ecclesiastica stabilienda; quae omnia necessitatem potestatis visibilis in Ecclesia innuunt.

### §. 41. *Christus talem potestatem instituit.*

Salvator divinus hanc necessitatem noscens vocavit discipulos suos, et ex ipsis elegit duodecim, quos Apostolos nominavit, et dixit eis: « si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum, si autem te audierit lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit adhibe adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium

(1) Matth. 16, 18.

stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis: quaecumque alligavertis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. (1)»

Per *Ecclesiam* intelligendos esse Apostolos, antistites, Pastores nemo aequus inficiahitur. Habere aliquem tanquam ethnicum et puhlicanum significat eum a communione ecclesiastica excludere, quia ethnici et publicani non erant in Eclesia Christi. *Ligare Moraliter* nil aliud denotat, quam impedire, quo minus alius agere pro lubitu possit, seu moralem sic et non aliter agendi necessitatem imponere, *obligare*; quod fit per leges. *Solvere* designat ab obligatione liberare. Ligandi solvendique potestas Hebraeorum moribus jus prohibendi, permittendique significat.

Praeterea Christus Dominus Apostolis dixit: «Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculorum. (2) Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (3).»

*Mittere* in SS. Literis significat munus quoddam committere, uti patet ex Luca c. 1. «Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth» hoc est Deus Angelo Gabrieli munus commisit annuntiandi Beatissimae Virgini Mariae mysterium Incarnationis dominicae. Ex his manifestum est, Christum Dominum Apostolis dedisse potestatem excommunicandi, leges a se latas authentice interpretandi, novas leges ferendi, ab obligatione solvendi, in refractarios poenis animadvertendi, Evangelium in toto orbe praedicandi, Sacramenta administrandi, peccata vel remittendi vel retinendi etc. Ergo Ecclesiae Fundator potestatem visibilem instituit (4).

### §. 42. *Talem potestatem Apostoli exercuerunt.*

Apostoli revera conscii potestatis a Christo acceptae, eam exercuerunt *omnes simul*, et *singillatim*. Omnes simul

(1) Luc. 6, 13., Matth. 18, 15, 19. (2) Matth. 28, 18, 20. (3) Joan. 20, 21 23. (4) Lightfoot in hor. Talmud. ad Matth. 16, 19., Morinus de discipl. in administr. Sacram. paenit P. I. c. 8., Schenkel Inst. J. C. P. I. c. 2: p. 19, 22.

exercuerunt potestatem a Salvatore acceptam in Concilio Hierosolymitano, authentice declarando fideles jugo legalium esse solutos: «Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, nisi haec necessaria. Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. (1)» Hac lege praeceperunt Apostoli, ne Judaei ad Religionem Jesu Christi conversi exigerent ab Ethnicis baptizatis, ut circumcisionem susciperent, et legem mosaicam observarent (2).

Etiam singuli Apostoli hanc potestatem exercuerunt, quod videmus potissimum ex epistolis S. Pauli, qui varias leges tulit, v. g. anathema dicit evangelizantibus aliud praeter id, quod ipse evangelizavit (3); eos, qui circumcisionem necessariam esse credunt, a salute exclusos pronuntiat (4); praecipit velari capita mulierum (5); bigamos et neophitos ab episcopali munere excludit (6); praescripsit quomodo accusatio adversus Presbyterum sit recipienda (7); Hymeneum et Alexandrum Satanae tradidit, id est excommunicavit (8). Et multa alia statuit circa convivia charitativa, presbyteros, matrimonium etc. (9).

## §. 43. *Potestas a Christo instituta, et ab apostolis exercitata in Ecclesia perdurat.*

Cum potestas isthaec sacra sit Ecclesiae necessaria ad regendos fideles, declarandas leges divinas, novas leges ferendas, refractarios puniendos, doctrinam Jesu Christi praedicandam, Sacramenta administranda, disciplinam stabiliendam, perdurare debet usque ad consummationem saeculorum; idcirco non potuit cum Apostolis cessare, sed necessario in eorum successores transire debuit. Profecto Apostolos Doctores atque Ministros Ecclesiarum constituisse, in eosque suam potestatem transfudisse, ex perspicuis SS. Literarum testimoniis palam fit. Sic Apostoli, teste N. F. Scriptura, *septem Diaconos* constituerunt; et *orantes imposuerunt eis manus* (10). « Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: «Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos (11). » «Paulus et Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros. (12)» «Hujus rei gratia,

(1) Act. 15, 28 (2) Vid. Hist. Eccl. P. I. c. 5. 9, 7. (3) Gal. 1. 8. (4) Gal. 5, 2. (5) I. Cor. 11. (6) I. Tim. 3, 2, 6. (7) I. Tim. 5, 19. (8) I. Tim. 1, 20. (9) I. Cor. 11, 33, I. Tim. 5, 17, I Cor. 7, 10. (10) Act. 5. (11) Act. 13, 2, 3. (12) Act. 14.

scribit Paulus ad Titum, reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi (1).» Et alibi: Haec loquere; et exhortare, et argue cum omni imperio (2). » Timotheo, quem Ephesi Episcopum constituerat, rationem praescripsit ipsos praesbyteros judicandi, dicens: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus (3).» Atque ita omnigena potestate praeditos, et a spiritu sancto ad regendam Ecclesiam positos esse Apostolorum successores dixit idem Paulus Episcopis Mileti congregatis sequentibus verbis: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. (4) »

### §. 44. *Est independens.*

Potestas sacra in Apostolorum successoribus usque ad finem mundi perduratura, nec populo est *communis*, nec ab hoc in Apostolos *derivata*, neque *chistianae plebi subordinata*, ut Protestantibus placet. Non est populo communis, quia solis duodecim Apostolis Christus locutus est, nihilque cum populo egit, dum iis imperium tradidit, dicens: « Quaecumque alligaveritis super terram erunt alligata et in coelo ; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo » (5). « Non est a populo in Apostolos derivata, quia Christus non dixit: Ecclesia mittet vos, sed sicut misit me Pater, ita *ego mitto vos»* (6). *Ipse*, non populus, vocavit *quos voluit* (7). *Ipse dedit quosdam Apostolos* etc. (8). Propterea S. Paulus se nominat Apostolum *non ab hominibus , neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum, qui eum suscitavit a mortuis* (9). Ergo non a populo, sed a Christo potestas est in Apostolos derivata. Neque plebi christianae subordinata. Si enim potestas sacra plebi christianae subordinata fuisset, Apostoli nihil sine plebe potuissent praecipere, nihilque agere; ast illi plurima imperarunt (10), plurimaque sine plebe egerunt, v. g. Paulus Cretensibus Titum, Ephesinis Timotheum praefecit Episcopos (11): Paulus et Barnabas constituebant per singulas civitates presbyteros. Paulus jussit Titum constituere presbyteros per civitates. Apostoli constituerunt plures Episcopos, uti Hierosolymis Simeonem Cleophae filium, Antiochiae Evodium, Alexandriae Marcum, Smyrnae Poly-

(1) Tit. 1, 5. (2) Tit. 2, 15. (3) Tim. 5, 19. (4) Act. 20, 17. (5) §. 41. (6) Joan. 20 (7) Marc. 3, 12. (8) Ephes. 4, 11. (9) Gal. 1, 1. (10) §. 42. 43. (11) I. Tim. 4, 14.

carpum. Nullum hic extat rogati suffragii vestigium. Quod si Apostoli exquisiverunt suffragium populi in eligendis septem Diaconis, hoc externam illorum conversationem spectabat, et Diaconi non a plebe, sed ab ipsis Apostolis fuerunt instituti. « Considerate ex vobis viros boni testimonii.... quos *constituamus* super hoc opus » (1). Unde liquido patet, potestatem ecclesiasticam esse omnino independentem.

§. 45. *Est natura sua spiritualis, sed bonorum temporalium capax.*

Potestatem Apostolis divinitus traditam certe non alio, quam ad felicitatem internam animarumque salutem spectare, seu quod idem est, spiritualem esse, multis comprobari potest. Cujus naturae est finis, ejusdem naturae debet esse medium ad finem obtinendum; atqui finis Ecclesiae Jesu Christi est spiritualis, uimirum vitae sanctitas, salus animarum: ergo etiam potestas ad hunc finem data est natura sua spiritualis. In sacra Scriptura N. T. occurrunt dicta et facta, quae hanc veritatem confirmant. Divinus Salvator Pilato interroganti: « num Rex sit Judaeorum ? » respondit: « Regnum meum non est de hoc mundo ». Si ex hoc mundo esset meum regnum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer judaeis: nunc autem regnum meum non est hinc » (2). Quibus verbis declaravit: Regnum suum esse in hoc mundo, sed non de hoc mundo, hoc est non terrenum, sed coeleste, spirituale: igitur et potestas huic regno necessaria est spiritualis. Nec solum verbis, sed etiam factis docuit Christus se non venisse, ut rerum temporalium curam aut regimen susciperet, tum, quando aufugit, ne a Judeais rex eligeretur (3); tum quando recusavit rerum temporalium judicium, dicens: « Quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos ? (4) ». Generis humani Redemptor non armis usus est aut vi, ut homines sub jugum mitteret, sed rationibus et miraculis illos ad veritatem et pietatem, adduxit; non dixit Apostolis: colligite milites, parate arma, cogite homines ad credendum; sed praedicate Evangelium omni creaturae, et baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Propterea S. Paulus instruens Timotheum, qua ratione uti debeat potestate sibi data, ait: « Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (5). « Ecclesia, scribit divus Hieronymus, volentes

(1) Act. 5, 3. (2) Joan. 18, 16. (3) Joan 6, 15. (4) Luc. 12, 14. (5) II. Tim. 4, 2.

magis regit, quam invitos, non terrore subjicit, sed doctrina, non corpora custodit ad mortem, sed animas servat ad vitam » (1). Nec mirum: intellectus enim et voluntas hominis non physica coactione, sed argumentis et motivis convinci et moveri possunt.

Non est tamen ita stricte sumendum, ac si omnino rerum temporalium incapax esset; nam res temporales, v. g. templa, altaria, utensilia, aliaque ad cultum Religionis externum, et ad ministrorum sustentationem necessaria, sunt media ad finem Ecclesiae obtinendum; at qui jus habet ad finem, debet etiam jns habere ad media justa. In sacris Literis legitur, Christum Dominum, cui ministrabant Angeli, loculos habuisse (2). Apostoli absque alterius potestatis interventu administrabant ea, quae primi Christiani ad eorum pedes deponebant (3). Post mortem Apostolorum ministri Religionis christianae oblationes fidelium accipiebant. Data a Constantino M. asseclis Jesu Christi pace et libertate, principes, proceres, et divites Ecclesiam christianam bonis temporalibus cumularunt; hinc ea jus nacta est bona temporalia non solum possidendi verum etiam administrandi, quo sine injustitia privari nequit. Certum igitur est, potestatem sacram non esse rerum temporalium incapacem.

### §. 46. *Potestati sacrae fideles obedire tenentur.*

Quod fideles potestati ecclesiasticae obedire teneantur, patet tum ex *ratione*, tum ex *revelatione*. *Ex ratione*. Si ex parte fidelium nulla foret obligatio parendi potestati sacrae, potestas ipsa foret inutilis. Ad quid enim essent leges, si nemo teneretur eas observare? Conceptus potestatis a conceptu obligationis separari non potest; nam potestas in Superioribus sine obligatione obediendi ex parte subditorum esset ridicula. *Ex revelatione*. « Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus » (4). « Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit » (5). Ergo sub poena excomunicationis, et peccati mortalis fideles obligantur obedire potestati ecclesiasticae. Paulus quoque inculcat obedientiam erga Praepositos Ecclesiae, dicens: « Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes, hoc enim non expedit vobis » (6). Sub nomine Praepositorum Praelatos Ecclesiae intelligendos esse, ex contextu palam fit.

(1) S. Hier. ep. 54. (2) Joan. 12. 6. (3) Act. 4. (4) Matth. 18 (5) Luc. 10. (6) Hebr. 13, 17.

## §. 47. *Potestatis sacrae divisio.*

Potestas sacra dividitur in potestatem *ordinis* et *jurisdictionis*: illa est facultas omnia ad cultum divinum peragendi, et Sacramenta administrandi; haec vero est potestas jus in Ecclesia dicendi. Inter utramque potestatem hoc datur discrimen, quod actus potestatis ordinis haud irritari, actus vero jurisdictionis suspendi possint; v. g. Sacerdos etiam degradatns valide consecrat, Sacerdotis simplicis, vel suspensi absolutio nulla et irrita est, excepto casu necessitatis. Potestas jurisdictionis subdividitur in *internam*, et *externam*: interna est potestas remittendi et retinendi peccata, quae exercetur in sacro poenitentiae tribunali, seu in foro interno; externa est potestas leges ferendi, judicandi et puniendi, qnae ad forum externum spectat. In foro interno, seu conscientiae quaeritur, quid coram Deo et conscientia bonum aut malum sit; in foro externo quaeritur, qnid in facie Ecclesiae justnm vel injustum sit. Nos in Jure ecclesiastico dicimus solum de jurisdictione externa, cujus partes sunt potestas *legislatoria*, *judiciaria*, et *puniens*.

## §. 48. *Potestas legislatoria.*

Potestas legislatoria est in Ecclesia necessaria, quia quaelibet societas indiget legibus. Qnamquam Christus Dominus veritates theoreticas et practicas tradiderit, nihilominus circa eas malevoli homines possunt movere dubia; quam ob rem necesse est ut adsit potestas, quae determinat quid credendum, quidque agendnm sit. Praeterea in Ecclesia opus est res disciplinares stabilire. Hinc facile intelligitur, objecta potestatis legislatoriae esse essentialia, et accidentalia Religionis, id est res dogmaticas et disciplinares. Ecclesia non habet potestatem nova dogmata procndendi, sed solum autenthice declarandi veritates fidei et morum, qnae declarationes sunt leges dogmaticae a fidelibus tanquam oracula Spiritus Sancti suscipiendae et observandae, quia Ecclesia in ejusmodi dono inerrantiae est praedita. Per accidentalia intelliguntur ea, qnae, quamvis ad essentiam Religionis non spectant, attamen ad animarum salutem efficaciter conferunt, qualia sunt v. g. jejunium, festorum celebratio, varii ritus in cultu divino, ministrorum qualitates et numerus, eorum assumendorum modus, beneficiorum collactio et administratio etc. Circa haec et multa alia Christus Dominns vel generatim tantum, vel nihil prorsus praecepit, sed Ecclesiae suae potestatem concessit ea determinandi, seu leges disciplinares ferendi. Discrimen, quod inter leges dogmaticas et disciplinares intercedit, in eo

situm est, ut illae sint immutabiles, hae vero mutari possint secundum locorum, temporum, et personarum necessitates. Quia in diversis orbis catholici dioecesibus diversae possunt esse populorum necessitates, si aliqua lex disciplinaris alicui loco non congruit, Episcopus, dummodo adsit possibilitas, instare debet apud Sedem Apostolicam, ut lex pro suo grege suspendatur.

§. 49. *Potestas judiciaria.*

Altera pars potestatis externae, quae ex potestate legislatoria profluit, est potestas judicandi, seu comparandi actiones liberas fidelium cum legibus, et pronuntiandi an conformes sint, nec ne. Etiam haec potestas est necessaria, quia leges essent inutiles, si nemo foret, qui eas ad casus obvenientes applicaret, et liberas actiones subditorum judicaret; etenim cuilibet ad libitum agere liceret. Objectum potestatis judiciariae constituunt omnes fidelium actiones, quae praeceptis, divinis cum theoreticis, tum practicis, et legibus disciplinaribu adversantur. Praeterea omnes res ad Ecclesiam pertinentes, etiam bona temporalia potestati judiciariae subsunt.

§. 50. *Potestas puniens.*

Potestati legislatoriae et judiciariae adnexa est potestas puniendi actiones subditorum legibus contrarias. Res ipsa postulat, ut qui pactum sociale non servat, nec commoda societatis sibi juste vindicet; et si quaelibet societas bene ordinata jus habet socium legibus socialibus obtemperare detrectantem, bonorum juriumque communium usu prohibendi, quin et penitus excludendi, etiam Ecclesia, quae est societas perfecta, tali potestate carere non potest. Ecclesiae autem in irrogandis poenis mens alia esse nequit, nisi ut aut reus ad agnitionem culpae atque emendationem impellatur, aut si emendationis spes nulla supersit, saltem scandalum tollatur, neve bona spiritualia Ecclesiae indignis projiciantur. Quemadmodum autem jurisdictionem Ecclesiae internam ab externa distinximus, ita poenitentias a poenis seu censuris ecclesiasticis probe discernere oportet. Poenitentiae spectant ad forum conscientiae, et injunguntur volentibus pro omni peccatorum genere eum in finem, ut peccator ad detestandum scelus suum inducatur, et, si publicae sint, per eas scandalum tollatur, nec non divinae justitiae satisfiat, et sitae sunt non in privatione directa quorumdam sacrorum, sed plerumque in corporis castigationibus, abstinentiis, orationibus etc., quas peccator voluntarie suscipit: poenae autem, seu censurae ecclesiasticae pertinent ad forum externum, infliguntur nolentibus pro delictis tantum

ecclesiasticis, quibus etiam adnumeratur pervicacia in detrectanda poenitentia ecclesiastica, et consistunt in partiali vel totali sacrorum privatione, seu in excommunicatione majori vel minori. Apostolos, potestatem legislatoriam, judiciariam, et punientem exercuisse, supra dictum est §. 42.

## §. 51. *Discrimen inter Apostolatum et Primatum.*

Potestas, de qua hucusque disseruimus spectat ad *Apostolatum*, nunc vero loquendum est de potestatis *Primatu*; sed prius indicare oportet discrimen, quod inter apostolatum et Primatum, intuitu potestatis, intercedit. Quamquam Christus Dominus omnibus Apostolis parem dedit potestatem leges divinas authentice interpretandi, novas leges condendi, actiones fidelium judicandi, refractarios puniendi, Evangelium omni creaturae annuntiandi, Sacramenta omnia administrandi; nihilominus societatis christianae bono prospiciens, ex duodecim unum principem potestatis suae Vicarium, totius Ecclesiae Caput, omnium christianorum Patrem et Doctorem constituit, et ipsi pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam plenam potestatem tradidit; hinc liquido patet Salvatorem divinum apostolatum a Primatu potestatis dixtinxisse. « Quamvis, ait S. Cyprianus, Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata remittentur ei etc.; attamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, *pari consortio praediti et honoris et potestatis;* sed exordium ab uno proficiscitur, et *Primatus* Petro datur, ut una Christi Ecclesia et una cathedra monstretur. » Ex hoc S. Cypriani textu novatores concluserunt, nullum esse inter Apostolos discrimen; at S. Pater inter Apostolatum et Primatum probe discrevit. Cum dixit omnes Apostolos pari consortio honoris et potestatis praeditos, bene dixit, erant enim omnes dignitate Apostolatus aequaliter insigniti, sed addidit Primatum potestatis Petro collatum fuisse, vi cujus jus accepit ceteris Apostolis imperitandi. Etsi non fuit opus, ut Ecclesiae Primas a Christo institutus suam potestatem jurisdictionis in ipsos Apostolos, utpote donis Spiritus sancti praecellentissimis exornatos, exerceret; illi tamen duobus modis Primatus dignitatem debebant revereri: *a*) cum Primate communionem semper servare, et Ecclesias fundatas ei ceu centro unitatis subjicere tenebantur: *b*) causas communes, et universalis Ecclesiae unitatem spectantes ad Primatem tan-

quam Collegii apostolici, et Ecclesiae principem referre debebant: quod in causa rituum mosaicorum factum legimus (1).

## §. 52. *Notio Primatus.*

Primatus nihil aliud est quam praerogativa aliqua uni tantum in societate quapiam concessa. Verum scholarum usus terminum hunc ad exprimendam S. Petri supra reliquos Apostolos, et Romanorum Pontificum supra caeteros Episcopos excellentiam sacravit ita, ut hodie si vel Primatus nomen audiatur, quivis statim sciat, de R. Pontificis praerogativa esse sermonem. Triplex autem distingui solet Primatus, nimirum: 1. *Honoris*, vi cujus sola praerogativa praecedendi alicui competit; 2. *Auctoritatis*, quo spectat jus non solum primum locum in societate occupandi, verum etiam conventus indicandi, res ad deliberandum proponendi, primum votum dandi, dissentientes ad concordiam exhortandi, negotiorum seriem dirigendi, conclusa executioni mandandi et similia, quae in quolibet Senatu uni inter Senatores competere solent, licet jurisdictio et suprema potestas nulli Senatorum seorsim, sed omnibus simul sumptis, idest toti Senatui competat; 3. *Jurisdictionis*, qui in eo consistit, ut quis potestatem habeat leges ferendi, judicandi et puniendi.

## §. 53. *Christus Primatum honoris, auctoritatis et jurisdictionis S. Petro contulit.*

Petrum inter Apostolos Primatum honoris, auctoritatis, et jurisdictionis a Christo Domino accepisse, cum Scripturae sacrae, tum SS. Patrum testimoniis evidenter demonstratur. *Testimonia Scripturae sacrae.* I. « Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: quem dicunt homines esse Filium hominis ? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram,

(1) Act. 15. S. Cypr. lib. de unit. Eccl., Petrus de Marca Diss. de Primat. Pet., §. 15. Concil. Flor.

erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis » (1).

*Expositio.* Christus prius fidem hominum, deinde suorum discipulorum explorat, dicens: « quem autem vos me esse dicitis? » Simon Bar-Jona, id est filius Jonae, ex Patris coelestis revelatione respondet: « *Tu es Christus Filius Dei vivi.* » Et Christus ad Simonem conversus, licet caeteri quoque Apostoli praesentes essent, dixit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Salvator igitur nomen Simonis mutavit in κήφας seu πέτρος, quod lapidem significat, petram videlicet primam, super quam aedificaturus erat Ecclesiam suam: igitur primum illum constituit in regno Messiae, seu *Primatum honoris* in Ecclesia sua ei concessit; quod illustrari potest similitudine desumpta ex aedificio materiali, in cujus fundamento prima petra primum occupat locum. Praeterea generis humani Redemptor sancto Petro claves regni coelorum, et potestatem ligandi atque solvendi promisit, dicens: « Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. » Justa usum loquendi tam in Veteri, quam in Novo Testamento *claves* sunt symbolum auctoritatis et regiminis. Ita apud Isaiam (2) « Vocabo servum meum Eliacim filium Helciae .... Et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit, qui claudat: et claudet, et non erit, qui aperiat. » Sobna, summus Sacerdos, ob iniquitatem suam, jussu Dei fuit depositus, et in locum ejus substitutus Eliacim filius Helciae, cui Deus clavem domus David (Templi), id est auctoritatem statuendi res ad Religionem spectantes tradidit. Eadem loquendi formula occurrit in Apocalypsi (3): « Et Angelo (Episcopo) Philadelphiae Ecclesiae scribe: Haec dicit Sanctus et Verus (Christus), qui habet clavem David (auctoritatem): qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit. » Verbum *ligare* significat potestatem imponendi moralem necessitatem sic et non aliter agendi, seu leges ferendi, quae hominis libertatem moraliter ligant. *Solvere* denotat potestatem subditos ab obligatione legis eximendi. Verba *ligare* et *solvere*, juxta Hebraeorum loquendi usum, significant etiam quidpiam *vetare*, vel *permittere*; ideoque semper *potestatem*. Christus igitur, praesentibus Apostolis, S. Petro Primatum honoris dedit, Primatum vero auctoritatis et jurisdictionis promisit.

II. Id, quod Christus Dominus ante passionem suam S. Petro promisit, post resurrectionem ad mare Tyberiadis co-

(1) Matth. 16, 13-20. (2) c. 22, 20. (3) c. 3, 7.

ram Apostolis aliisque discipulis, reapse tribuit. Finito prandio Jesus Petro haec verba fecit: « Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etenim Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? Et dixit: Domine, tu omnia nosti: Tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas » (1).

*Expositio. Pascere,* juxta biblicum loquendi modum idem est ac *regere*, et per pastores primi reipublicae rectores significantur, quod ex locis paralellis elucet. Sic apud prophetam Ezechielem (2) legitur: « Suscitabo super oves meas pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. » Nemo ignorat, Davidem a Deo fuisse electum in regem, qui rexit populum Israel. Ergo Propheta per oves *subditos*, per pastorem *regem*, et per verbum *pascere potestatem rectoriam* significavit. Et alibi Dominus dixit Davidi: « Tu pasces (reges) populum meum Israel, et tu eris dux in Israel (3); Apud Isaiam (4) Cyrus quoque rex vocatur pastor: « Pastor meus es. » Ipse Redemptor noster se nominat Pastorem, et Ecclesiam suam sub pulcherrima figura ovilis repraesentat, dicens: « Ego sum Pastor bonus .... Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor » (5). In ovile occurrunt pastor, oves, et agni. Pastor oves ducit ad pascua, convocat, dirigit, custodit: oves vero agnos suo lacte nutriunt. In colloquio, quod Christus habuit cum Petro, Sancti Ecclesiae Patres, ut infra dicemus, per *Petrum* intelligunt supremum Pastorem, per *oves* Episcopos, per *agnos* fideles. Petrus pascit oves, seu Antistites, et hi lacte doctrinae Jesu Christi nutriunt agnos, seu fideles sibi subditos. Ad primam et secundam amoris contestationem *agnos*, ad tertiam *oves* quoque pascendas, seu *regendas* demandavit: igitur totum ovile, agnos et oves, fideles et fidelium pastores, seu universam Ecclesiam S. Petro regendam concredidit humani generis divinus Salvator.

*Testimonia SS. Patrum, et quidem a) Graecorum.* S. Theophilus Antiochenus (6) ait: « Universam Ecclesiam Petrus regendam suscepit. »

S. Epiphanius (7): « Hic est, qui audivit, pasce oves meas, cui concreditum est ovile. »

(1) Joan. 21., 15-18. (2) c. 34, 33. (3) II. Reg. 5, 2. (4) c. 44, 28. (5) Joan. 10, c. 11, 16. (6) In Joan. c. 21. (7) In Anchorato.

S. Joannes Chrisostomus (1) : « Oportuit , ut is Apostolorum Collegium impleret, cui totius gregis sui curam commisit Dominus. »

S. Basilius : « B. Petrus omnibus discipulis praelatus, cui soli majora data sunt testimonia. » *b) Latinorum.*

S. Cyprianus (2) : « Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam .... et tibi dabo claves regni coelorum etc. Et iterum post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam , et illi maudat pascendas oves suas. »

S. Optatus Milevitanus (3): « Bono unitatis Beatus Petrus praeferri meruit, et claves regni coelorum caeteris communicandas solus accepit. »

S. Leo (4): « A Christo Petrus unus eligitur ....., ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores ; omnes tamen proprie regat Petrus , quos principaliter regit et Christus. »

S. Eucherius Episcopus Lugd. (5): « Christus prius agnos, deinde oves commisit ei , quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, pascit subditos et Pastores. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est. »

S. Gregorius (6). « Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur : Petre amas me ? Pasce oves meas ....... Ipsi dicitur ....... Tibi dabo claves regni coelorum. et quodcumque ligaveris etc. Ecce claves regni coelorum accipit , potestas ei ligandi et solvendi tribuitur, curam totius Ecclesiae et Principatus ei committitur. »

S. Bernardus (7) sic loquitur ad Eugenium III. « Age, indagemus adhuc diligentius quis sis? Quam geras nempe pro tempore personam in Ecclesia Dei ? Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt et alii Janitores coeli , et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae caeteris nomen haereditasti. Habent alii sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed Pastorum, tu unus omnium Pastor. Unde probem, quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim Episcoporum dico, sed Apostolorum sic absolute, et indistincte

(1) In Act. Apost. de electione Matthiae. (2) L. de unit. Eccl. (3) Lib. 7. contra Parmen. c. 14. (4) Serm. 3. (5) Serm. in vigil. SS. Petri et Pauli. (6) L. 4. ep. 32. (7) Lib. 2. d Consid. c. 8.

commissae sunt oves, si amas me, Petre, pasce oves meas? Quas? Istius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit, cui non planum, non designasse aliquas, sed designasse omnes? Nil excipitur, ubi distinguitur nihil. » Ergo ex testimoniis Scripturae sacrae, et SS. Patrum Graecorum et Latinorum liquido patet, Christum Dominum S. Petro Primatum non solum honoris, verum etiam auctoritatis et jurisdictionis tradidisse.

## §. 54. *Finis Primatus S. Petro collati.*

Quamdiu Christus Dominus hisce in terris vixit, ipse fuit visibile centrum unitatis Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, ipse fuit lapis angularis; ast, quia reversurus erat illuc, unde venerat, de alia petra visibili cogitavit, cui niti debebat aedificii sui moles. Haec petra a Christo selecta fuit Simon Joannis, super quam aedificavit Ecclesiam, ne portae inferi praevalerent adversus eam. Intuitu igitur unitatis cum fidei, tum communionis in toto orbe conservandae divinus Salvator S. Petro claves regni coelorum, et potestatem ligandi et solvendi, idest Primatus praerogativam concessit. Unitas fidei obtinetur si omnes profitentur doctrinam, quam Christi Vicarius tradit: unitas vero communionis in eo consistit, ut fideles cum Episcopis, et hi cum Petri Successore communicent. Ad conservandam in Ecclesia utramque unitatem fuisse Primatum a Christo Domino in persona S. Petri institutum, colligitur ex SS. Patrum dictis: S. Cyprianus (1) « Primatus Petro datur, ut *una Ecclesia*, et *una Cathedra* monstretur. Idem Pater (2). « Deus unus est, et Christus unus, et *una Ecclesia*, et *Cathedra una* super Petrum Domini voce fundata. » Si omnes cum centro unitatis communicant obtinetur *una Ecclesia*, si omnes idem docent, quod Petrus, habetur *una Cathedra.*

S. Hieronymus (3) « Inter duodecim *unus* eligitur, ut capite instituto schismatis tollatur occasio. »

S. Optatus Milevit. (4) « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primam Cathedram collatam, in qua sedit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in qua una Cathedra *unitas* ab omnibus servaretur, ne singuli Apostoli singulas sibi quisque assereret, ut jam schismaticus, et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. » Visibilis Ecclesiae *unitas*, praeter invisibile et primarium *Caput*, quod est Christus Domi-

(1) Lib. de unit. Eccl. (2) Ep. 40. (3) L. 1. cont. Jovin. (4) L. 2. cont. Parmen. Donatistam.

nus, *visibile* insuper cunctisquo conspicuum *Caput*, ac unitatis *Centrum* sibi exposcebat; idcirco Filius Dei Primatum honoris, auctoritatis, et jurisdictionis instituit, et S. Petro dedit.

## §. 55. *Primatus S. Petri transiit in Romanos Pontifices ejus Successores.*

Quum Primatus institutus sit a Christo Domino ad conservandam unitatem fidei et communionis in Ecclesia sua, quae perdurabit usque ad consummationem saeculorum, cum S. Petro non potuit expirare, sed debuit transire in ejus Successores, quia unitas cum fidei, tum communionis in Ecclesia semper servari debet. Petri successor ille est, qui Petri Cathedram occupat; et hunc esse Episcopum Romanum omnis credidit antiquitas, veraque semper agnovit Ecclesia. Statutum fuit a divino Redemptore, ut Petri Primatus in ejus transeat Successorem; successio ergo est juris divini. Quod vero Ecclesiae Romanae ejusque antistitibus Petri Primatus adhaereat, alii *divinae ordinationi,* alii *facto Petri* adscribunt. SS. Ecclesiae Patres primam tuentur sententiam. S. Marcellus epistola ad Antiochenos scribit: « Petri sedes prius apud vos fuit, quae postea *jubente Domino* Romam translata est ». S. Ambrosius adversus Maxentium ait: « Petrum *jussu Christi* Romae potius, quam alibi martyrium subiisse ».

S. Leo (1) Petrum ita alloquitur: « Trophaeum crucis Christi romanis arcibus inferebas, quo te *divinis praeordinationibus* anteibat et honor potestatis et gloria passionis ». Quapropter Concilium Generale Florentinum, SS. Patrum vestigiis insistens, definivit: « Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam *a D. N. Jesu Christo* plenam potestatem traditam esse. » Sane si omnia eveniunt ad divinae voluntatis nutum, non est dubitandum etiam Petrum Spiritus sancti ductu Romam venisse, Cathedram fundasse, et martyrium subiisse. Viri eruditi sequentes addunt rationes, ob quas Primatus praerogativa Romanae Ecclesiae obvenerit, ibique stabilis esse debeat: 1. Apostolorum Principi congruebat Roma, quae Caput erat orbis. 2. Conveniebat, ut Roma, quae fuerat magistra erroris, evaderet magistra veritatis. 3. Sanguis tot martyrum praerogativam Primatus urbi Romae promeruerunt. 4. Si Primatus non esset stabilis, sed ambulatorius, uti volebant Febroniani, multa damna et incommoda in Ecclesiam redundarent. Nam post mortem cujuslibet Pontificis Ecclesia deberet convenire, non solum ut

(1) Serm. 1 de Petro et Paulo.

successorem eligeret, sed etiam ut sedem determinaret; quibus in negotiis temporis dispendia, et dissidiorum pericula non possent evitari, siquidem quaelibet natio penes se sedem habere vellet. Deinde Primas neoelectus, praeterquam uti debet consiliariis sui praedecessoris, debet quoque habere prae manibus totam documentorum congeriem ad munus primatiale spectantium, et apud primatialem Ecclesiam depositorum. Quantis incommoditatibus et periculis non essent obnoxia horum omnium translatio, si primatialis dignitas esset ambulatoria!

### §. 56. *Summus Pontifex Concilio superior.*

Dum quaeritur, an Pontifex sit Concilio superior, non potest esse sermo de Concilio, cui Summus Pontifex ceu Caput membris praeest, sed de Concilio a Summo Pontifice separato. Haec quaestio, antiquitati prorsus ignota, agitari coepit inde a tempore schismatis pontificii. Nimirum Concilium Constantiense anno 1414 celebratum Sessione IV definivit: « Synodus in Spiritu sancto congregata, generale concilium faciens, et Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, immediate a Christo habet potestatem, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi *Papalis* existat, *obedire tenetur* in his, quae pertinet et fidem, ad extirpationem schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et membris. » (1) Sententia pro illis et similibus temporum circumstantiis lata, et solum Pontificem illegitimum, vel haereses, schismata, abusus foventem spectans, ab osoribus auctoritatis primatialis ad Pontifices quoque legitimos, et bonum Ecclesiae promoventes fuit extensa. Jam vero si Summus Pontifex est canonice electus, unitatem fidei et communionis conservat, bonumque Ecclesiae promovet, confidenter asserimus concilium a legitimo Pontifice separatum esse absque Capite, et consequenter non posse vivam Jesu Christi Ecclesiam repraesentare. « Petrus, ait S. Ambrosius (2) est petra, cui inaedificata est Ecclesia. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia. » In tali casu procul dubio auctoritas R. Pontificis superior est auctoritate Concilii ab ipso separati: nam ille est petra visibilis, super quam fundata est Ecclesia, id est domus Dei; firmitas autem domus a fundamento, non hujus a domo pendet; Pontifex est Pastor ovium; Pastor vero debet regere oves, non regi ab ovibus: Pontifex debet fratres suos in fide confirmare non autem a fratribus confirmari. In Concilio Tridentino nihil propositum, decisum nihil fuit, quin prius Pontifex a le-

(1) Hist. Eccl. Per. IV. c. 5. §. 28. (2) In Ps. 40.

gatis consultus non consensisset, et pluribus decretis reformationis clausula addita est: salva in omnibus semper sedis apostolicae auctoritate, qua indicabatur, Papam ab istis decretis pro arbitrio dispensare posse. Illi qui tuentur, auctoritatem Concilii esse supra auctoritatem legitimi Ecclesiae Primatis, ordinem a Christo Domino institutum invertunt.

## §. 57. *Infallibilitas Romani Pontificis ex Cathedra loquentis.*

Ad Primatum spectat quoque infallibilitas Romani Pontificis ex Cathedra loquentis; quae infallibilitas non est proprie loquendo fidei dogma, quia Ecclesia desuper nihil explicite definivit, sed est proxima fidei, et moraliter certa; quaeque per consequens absque temeritatis nota, atque gravis suspicionis in fide nequit in dubium revocari. Pontifex ex Cathedra loqui dicitur, cum controversia theologica ad Sedem apostolicam delata, personam Doctoris et Magistri induens, sacri Ecclesiae Romanae Senatus ac vicinorum Episcoporum suffragia adhibet, et aliquid fidelibus universis credendum, aut ubique observandum proponit. Magni nominis Theologi defendunt, decreta Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, in materia fidei et morum esse infallibilia etiam antequam Episcoporum dispersorum consensus accedat. Argumenta, quae hanc sententiam stabilire videntur, ordinarie petuntur *ex ratione, revelatione, traditione, praxi Ecclesiae, et testimoniis theologorum de studio partium minime suspectorum.*

I. *Ex ratione.* Ratio postulat; ut in qualibet societate majori adsit supremum tribunal, a cujus sententia appellare non liceat, quia secus finis litibus nunquam imponeretur, atque ita societas scopum sibi praefixum non assequeretur; sed Ecclesia est societas perfecta per totum orbem terrarum diffusa: igitur Ecclesia tali supremo tribunali carere non potest. Subjecto supremae potestatis ecclesiasticae, fatentibus ipsis adversariis, inhaeret infallibilitatis donum; atqui suprema potestas in' statu Ecclesiae ordinario est penes Primatem universalem, uti definiverunt Concilia generalia Florentinum et Tridentinum: ergo Primas Ecclesiae in definiendis rebus fidei et morum est dono infallibilitatis praeditus. Si Ecclesiae Primas non foret infallibilis, Ecclesia medio ad salutem apto destitueretur; nam Ecclesia semper in concilio congregata esse nequit; Ecclesiae dispersae consensus, qualem Febroniani exigunt, non tam facile determinari potest, nec per decreta, ut ajunt, provisoria animarum saluti prospicitur, quia fidem non producunt ex corde, qualis tamen juxta Paulum est ad salutem necessaria: « Corde creditur

ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. » (1) Juxta Febronianos decreta provisoria obligant solum ad non dogmatizandum in contrarium; igitur unitas fidei non obtinetur, ad quam obtinendam, confirmandamque Christus Primatum instituit.

II. *Ex revelatione.* Quod ratio dictat, revelatio confirmat. Christus Dominus dixit Petro: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. » (2) Petrus est petra, cui inaedificata est Ecclesia; sed portae inferi, juxta Christi promissionem, hoc est errores non possunt praevalere adversus Ecclesiam: ergo multo minus adversus Ecclesiae fundamentum, a quo ecclesiasticum aedificium suam repetit firmitatem; nam si rueret fundamentum, ruere quoque deberet ipsum aedificium eidem fundamento superstructum. Si ergo adversus Ecclesiae Primatem errores prevalere non possunt, patet eum esse dono inerrantiae praeditum. Praeterea Christus Petro dixit: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelo; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelo. » (3) Si quod Petrus judicat in terra Deus confirmat in coelo, Petri sententia reformari nequit; igitur est irreformabilis, seu infallibilis. Christus rogavit pro solo Petro, ut ejus fides non deficeret, simulque praeceptum ei dedit Fratres suos in fide confirmandi, dicens: « Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; et ego rogavi pro te ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » (4) « Commune, ait S. Leo (5) erat omnibus apostolis periculum de tentationis formidine, et divinae protectionis auxilio omnes pariter indigebant: quare igitur Christus specialiter orat pro Petro? » « Quin Petrus, respondet Barruel, ex precepto Domini tenetur Fratres suos, id est Apostolos in fide confirmare. Christus, verus Deus, et verus homo, optime novit, Petrum esse hominem erroribus obnoxium, atque ideo divinum auxilium specialiter ei promisit, ne in obeundo tam gravi munere in errores laberetur. Praeceptum igitur formale Fratres in fide confirmandi, Spiritus sancti assistentiam includit. Sane, si Petrus, quum vellet Fratres in fide confirmare, in fidei errores labi posset, tunc eos in fide non confirmaret, sed potius eorum fidem turbaret; ideoque muneri suo non satisfaceret, quod conciliari nequit cum Christi verbis: « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. » (6) Divinus Magister mandavit Petro, ut

(1) Rom. 10. (2) Matth. 16. (3) Ibid. (4) Luc. 22, 32. (5) Serm. 4. in Anniv. Assumpt. (6) Ab. Barruel de jurib. Prim. c. 4. p. 41.

pascat agnos et oves, id est fideles et fidelium Pastores, hisce verbis: « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » (1) Vi mandati hujus Petrus et fidelibus et eorum Pastoribus, qui absque discrimine vocem supremi Pastoris audire obligantur, pabulum verae doctrinae praebere debet; sed si Primas Ecclesiae, cum subditos et Praelatos docet, erroneam proponere posset doctrinam, tota Ecclesia, cujus est audire et sequi supremum Pastorem, in errorem induceretur; nam si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. (2) Tunc portae inferi, hoc est errores praevalerent adversus Ecclesiam; quod pugnat cum Jesu Christi promissione: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. » Infallibilitatis privilegium Petro collatum ejus personam haud respiciebat, quia quoad personam turpiter erravit Magistrum negando; sed respiciebat munus ejus supremi Pastoris, quod munus non cessavit cum Petro, sed transiit in ejus successores, ad quos spectat unitatem fidei et communionis conservare, et cum munere transiit etiam privilegium infallibilitatis huic muneri alligatum.

III. *Ex traditione.* Rationi et revelationi consonat traditio.

*a*) *Patres Graeci.* Origenes (3): « Si portae inferorum praevalerent adversus *Petram*, in qua fundata est Ecclesia; contra Ecclesiam etiam prevalerent. » Sed, teste Christo, portae inferi, id est errores non possunt praevalere adversus Ecclesiam; ergo neque adversus Petrum.

S. Epiphanius (4): « Omnibus quippe modis in eo stabilita est fides, qui coeli claves accepit. » Si omnibus modis stabilita est fides in Petro, igitur nullo modo et nullo in casu deficere potest.

*b*) *Patres Latini.* S. Ambrosius (5): « Eidem dicenti: Tu es Christus Filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum. Ergo, cui propria auctoritate regnum dabat, *hujus fidem firmare* non poterat? Quem cum petram dicit, fundamentum Ecclesiae constituit. »

S. Augustinus (6): « An audebis dicere, etiam rogante Christo, *ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse?* »

S. Hilarius Pictaviensis (7): « Beatus coeli janitor, cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur, *cujus terrestre judicium praejudicata auctoritas fit in coelo, ut quae in terris sunt ligata, aut soluta, statuti conditionem obtineant in coelo.* » Si Petri judicium statuti conditionem obtinet in coelo, quis audebit illud reformare? S. Bernardus (8) ad Innocentium II: « oportet ad

(1) Joan. 21. (2) Matth. 15, 10. (3) In c. 16. Matth. (4) In Anchorato. (5) Ep. 6. (6) Lib de corrept. et grat. c. 8. (7) Comment. in Matth. c. 16. (8) Ep. 190.

vestrum referre apostolatum pericula quaeque, et scandala emergentia in regno Dei, praecipue quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, *ubi fides non potest sentire defectum*. Haec quippe praerogativa sedis; cui enim alteri aliquando dictum est: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur: et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. »

S. Thomas Aquinas (1): « Dominus (2) Petro dixit, quem Summum Pontificem statuit: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et hujus ratio est, quia una fides esse debet totius Ecclesiae, secundum illud (3): Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinatur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic *ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur*. »

IV. *Ex praxi Ecclesiae*. Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitatem Ecclesia quoque in praxi agnovit; nam *a*) Concilia Generalia legitime convocata et celebrata decisiones fidei et morum a Summis Pontificibus factas semper summa cum reverentia susceperunt, v. g. Concilium Ephesinum litteras Coelestini, Patres Concilii Chalcedonensis epistolam Leonis M. cui adclamarunt: Petrus per os Leonis locutus est, Concilium Constantinopolitanum III decretum Agathonis, Concilium Nicaenum II litteras Hadriani I; *b*) Concilia nunquam non petierunt sua decreta a Pontifice absente confirmari, uti Concilium Constantinopolitanum I misit pro confirmatione acta sua ad Damasum Papam, et Concilium Chalcedonense petiit actuum suorum confirmationem a Leone M., qui canonem 23 rejecit: contra Summus Pontifex non petiit ab Ecclesia decretorum suorum confirmationem.

V. *Tandem ex testimoniis Theologorum de studio partium minime suspectorum*. Tournelius (4): « Non dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus, Ballerinus, aliique plures congerunt, non cognoscere *apostolicae Sedis*, seu *Romanae Ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem*.

Benignus Bossuet Episcopus Meldensis (5): « Petro Jesus loquitur, et loquendo efficit in ipso, et *imprimit suae firmitatis characterem*. Ego, ait, dico tibi: Tu es Petrus, et adjungit: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et concludit: portae inferi non praevalebunt adversus eam. Verbum

(1) 22. q. 1. art. 20. (2) Luc. 22. (3) I. Cor. 1. (4) L. 2. de Eccl. (5) Serm. de unit.

Christi Jesu, qui de nihilo fecit, quod sibi placitum est, hanc *firmitatem* dat uni mortali. Ne dicas, ne cogites hoc ministerium S. Petri cum ipso finiendum. Hoc, quod servire debet pro fundamento Ecclesiae aeternae numquam potest habere finem. Petrus vivit in suis successoribus. Petrus semper loquitur ex Cathedra. Hoc est, quod dicunt Patres, quod confirmant 630 Episcopi in Concilio Chalcedonensi.... *Ita Romana Ecclesia semper virgo est;* semper creditur, quod semel creditum fuit; eadem vox semper resonat, et Petrus in suis Successoribus manet fundamentum fidelium. Jesus Christus hoc dixit: coelum et terra citius, quam ejus verbum praeteribunt. » Qui plura cupit, adeat Bellarminum (1), Melchiorem Canum (2), Jacobum Hyacinthum Serry, Augustinum Orsi, Ballerinum, Mamachium, etc.

## CAPUT II.

### DE FORMA REGIMINIS SPIRITUALIS, ET GRADIBUS HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE.

### §. 58. *Diversae regiminis formae.*

Modus, quo suprema potestas in societate aliqua majori exercetur, *forma regiminis* vocatur. Potest autem esse vel *monarchica*, dum una persona plenum tenet imperium ita, ut omnia in societate ab ejus nutu pendeant, vel *aristocratica*, dum plures, iique nobiliores senatum constituunt ita, ut suprema potestas non uni, sed toti Senatorum Collegio adhaereat, vel *democratica*, si imperium apud omnia societatis membra ex aequo resideat, vel tandem *mixta*, quae ex priorum commixtione coalescit, cujus variae dari possunt species, sicut plus, minusve de una vel altera participant.

### §. 59. *Variae opiniones circa formam regiminis ecclesiastici.*

*Formam democraticam* voluerunt Lutherani, aliique haeretici saeculi XVI, qui totam potestatem regiminis externi adscripserunt coetui fidelium, vel principi alicujus regni populum sibi subditum repraesentanti; hinc apud illos adagium: « cujus est regio, illius est religio ». At falsam esse horum haereticorum sententiam colligitur ex sacra Scriptura, ubi legitur, quod Christus Dominus non coetui fidelium, sed Petro et Apostolis potestatem regiminis dederit (3). *Formam aristo-*

(1) De Romano Pontifice lib. 4. c. 5. (2) De locis theolog. l. 6. (3) Cap. I. §. 41,53.

*craticam* propugnabat Marcus Antonius de Dominis archiepiscopus Spalatensis et apostata. Is in quatuor libris de republica christiana defendebat, divinum Ecclesiae Fundatorem omnibus apostolis aequalem tradidisse potestatem. Haec opinio fuit confutata capite praecedenti §. 53, ubi evidenter demonstravimus Salvatorem generis humani in persona S. Petri Primatum jurisdictionis instituisse. Plures Galli, et hos inter Petrus de Alliaco Archiepiscopus Cameracensis, Joannes Gersonius, Natalis Alexander pugnarunt pro *monarchia* Summi Pontificis relate ad Ecclesiam distributivo sumptam, non vero collective consideratam. Sed et Gallorum sententia suis non caret difficultatibus; nam dum Ecclesia est dispersa, licet Summus Pontifex jurisdictionis teneat Primatum, Episcopi tamen jure proprio a Christo in consecratione sibi dato dioeceses suas regunt; cum vero est in concilio congregata, licet omnes Antistites ex institutione divina suffragio gaudeant decisivo, nihilominus Primas Primatum suum non amittit. Itali, potissimum Bellarminus, Augustinus Orsi, P. Mamachius, absque ullo discrimine inter Ecclesiam dispersam et congregatam, defendebant *monarchiam* Pontificis. Sed etiam Italorum opinio non potest cum Christi institutione conciliari: etenim Christus Dominus non soli Petro, verum etiam caeteris Apostolis potestatem ligandi et solvendi contulit; ideoque Episcopi, ceu Apostolorum Successores a Christo accipiunt potestatem, et ab Ecclesiae Primato potestatis objectum. Monarcha suam potestatem communicat cui vult, et etiam sine causa potest ministrum potestate privare: at Episcopis non Pontifex, sed Christus tradit potestatem, et Pontifici nonnisi ex causa canonica licet Episcopum dioecesi, seu objecto potestatis destituere. Ob has difficultates alii dixerunt, formam regiminis ecclesiastici esse *monarchico-aristocraticam*; alii vero illam a Christo *Christocraticam* vocarunt. Forma regiminis ecclesiastici est prorsus singularis, et a Concilio Tridentino fuit appellata *Hierarchia* (1).

### §. 60. *Notio et divisio Hierarchiae ecclesiasticae.*

Unigenitus Dei Filius non omnibus Ecclesiae suae membris, sed quibusdam solum dedit potestatem coetus fidelium regendi, sacra mysteria dispensandi, muniaque ecclesiastica obeundi. Quocirca Rectores ministrosque ecclesiasticos inter et christianos coeteros (illos *clericos*, hos *laicos* vocant) divinitus institutum, semperque in Ecclesia Christi custoditum erat discrimen. Ipsis Ecclesiae Ministris non eadem portio, non

(1) Zallwein Princ. I. E. t. 1., Endres Dissert.

idem omnibus, sed *diversus* plane variusque sacri tum *ministerii*, tum *jurisdictionis gradus* jure partim divino, partim humano est concessus. Inter ipsos clericos existit *ordo quidam graduum* potestate ac sacris muneribus distinctorum, quem *Hierarchiam ecclesiasticam* dicunt a graecis vocibus Ιερὸς, α, ον, *sacrum*, et αρχες *imperium*. Est igitur *Hierarchia ecclesiastica series ministrorum ecclesiasticorum, quorum alii aliis potestate quadam sacra subordinati sunt.* Hierarchia ecclesiastica dividitur in Hierarchiam *Ordinis*, seu *ministerii*, et Hierarchiam *jurisdictionis*, seu *regiminis*; utraque *est partim originis divinae*, partim originis *humanae* (1).

### §. 61. *Gradus Hierarchiae Ordinis originis divinae.*

Concilium Tridentinum, Scripturae sacrae et Traditioni perpetuae insistens, (2) definivit: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit ». Ex hac definitione dogmatica patet, tres esse Hierarchiae Ordinis originis divinae gradus, *Episcopatum* nempe, *Presbyteratum* et *Diaconatum*.

*Episcopi* (a graeca voce επισκοπεω, inspicio), Apostolorum successores, in Hierarchia Ordinis sunt omnes aequales, Summo Pontifice non excepto, et habent jus omnia Sacramenta, in specie autem Sacramenta Ordinis et Confirmationis administrandi, Missam celebrandi, verbum Dei praedicandi; quae officia in primaeva Ecclesia Episcopi soli ita peragebant, ut presbyteri solum si necesse fuit in subsidium vocarentur. Episcopatus in Hierarchia ministerii est supremum fastigium, complementum, ac culmen Sacerdotii; hinc Episcopi etiam Summi Sacerdotes, vel Sacerdotes primi ordinis appellari solent.

Post Episcopos in Hierarchia ordinis institutionis divinae locum occupant *Presbyteri*, latine *Seniores*, magis sapientiae quam aetatis gratia, Sacerdotes secundi ordinis dicti, quorum officium in eo situm est, ut opere et consilio adjuvant Episcopos, qui, aucto fidelium numero, curandis suis in dioecesibus negotiis ecclesiasticis soli haud sufficerent. Presbyteri habent potestatem in Corpus Christi verum et mysticum, ut ajunt, seu potestatem Missam celebrandi, peccataque remittendi, vel retinendi. Magno animorum aestu contendunt Protestantes: in Ecclesiae incunabulis Episcopos a Presbyteris

(1) Petrus de Marca Diss. de discrim. Cleric. et Laic., Petavius de discrim. Cler. et Laic., Bingham. Orig. Eccl l. 1. c. 4., Maurus Schenkel Inst. H. E. P. I. c. 2. §. 60. (2) Sess. 23. can. 6.

nec ordine et charactere distinctos, nec sublimiores illis fuisse, sed posteriori demum aevo contigisse, ut ubi plures Presbyteri christianorum coetui praeessent, unus ex illis, aetate vel prudentia aut aliis virtutibus prae reliquis conspicuus, rerum ad collegium illud, et ad ipsam Ecclesiam pertinentium gubernationem in se susciperet, tituloque Episcopi (inspectoris, superintendentis) singulari quadam ratione ornaretur. Difficultas hujus quaestionis in eo posita est, quod in Scriptura sacra Novi Foederis, Episcoporum et Presbyterorum vocabula quandoque promiscue usurpantur, ita ut hae voces facile videri possint synonymae. Sic haud obscurum promiscui harum vocnm usus vestigium reperitur (1), nbi S. Petrus scribit: « *Seniores* ergo, qui in vobis sunt, obsecro, *consenior* et testis Christi passionum. » (2) « *Senior* Electae Dominae, et natis ejns, quos ego in veritate diligo » etc.; (3) *Senior* Cajo carissimo, quem ego diligo in ve ritate. » (4) Ubi Apostolus Paulus *Seniores* Ecclesiae Ephesinae, quos Miletum venire jusserat, ita legitur allocutus fuisse: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit *Episcopos* regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. » Hic certe gentium Apostolus eosdem designans Episcoporum nomine, qui et Presbyteri dicebantur, nullum ordinis inter Episcopatum et Presbyteratum discrimen admittere videtur. Nodus difficultatis adhuc magis stringitur epistola ad Titum (5) ubi Divus Paulus ita loquitur: « Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates *Presbyteros*, sicut et ego disposui tibi ... Oportet enim *Episcopum* sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem etc. ». Hic Paulus qualis Presbyter ordinari debeat, probaturus, Episcopum describit, atque ita eundem Presbyterum, qui et Episcopus sit, ex professo statuere videtur. Verum non obstantibus hisce difficultatibus, Protestantes nihil tamen omnino habent, de quo jure glorientur. Totum, quod inde sequitur, hoc est: nominum olim quandam communicationem locum habuisse, salvo tamen interno et essentiali inter Episcopatum et Presbyteratum discrimine. Opinamur, Presbyteros subinde nominatos fuisse Episcopos, quia in defectu Episcopi Presbyter ab eo designatus Ecclesiae inspector erat, et Episcopos Presbyteros, quia Episcopi aeque ac Presbyteri prudentiam et gravitatem seniorum in omnibus praesferre debebant. Probabilius S. Paulus (6) scribens, se Tito dedisse in mandatis, ut *constituat per civitates Presbyteros*, hoc nomine Episcopos

(1) II. Pet.c. 5. v. 1. (2) II. Joan. I. (3) III. Joan. I. (4) Act. 20, 17, 18, 28. (5) C. 1, 5, 7. (6) Epist. ad Tit. I. 5.

intelligit stricte tales, cum haud ignoraret, Episcopatum esse Sacerdotii apicem. Nihil porro obstat, quin (1) titulo Presbyterorum veri nominis Episcopi significentur, neque ad unam praecise civitatem est restringendus ille grex, cui praeficiebantur Episcopi, cum teste S. Irenaeo (2) ab Ephesо, et reliquis proximis civitatibus convocati fuerunt; quod etiam (3) innuere videtur.

Episcopos praecipua et eminentiori supra Presbyteros potestate gavisos fuisse, testimoniis evincitur adeo firmis, ut nulla ratione enervari possint. In primis Sacrae Litterae extra omne dubium nos ponunt. S. Paulus Timotheum monet, « ne adversus Presbyteros accusationem velit accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus » (4). Haec monitio judiciariam Antistitis potestatem supponit; quod si Timotheus judiciariam exercebat potestatem in Presbyteros, patet hos illo inferiores fuisse. Idem Apostolus candide declarat, se Titum Cretae reliquisse, *ut ea, quae desunt, corrigat, et constituat per civitates presbyteros* (5). Constat ex traditione penes Episcopos, non vero penes Presbyteros semper fuisse jus Sacramentum Ordinis administrandi; hinc palam fit, Episcopos majorem Presbyteris potestatem habuisse. Alibi gentium Apostolus eumdem Titum jubet, *ut fideles arguat cum omni imperio* (6). Ergo Titus praeditus erat potestate legislatoria, judiciaria, et puniente, qua Presbyteri carebant. Eamdem Episcoporum supra Presbyteros eminentiam egregie confirmant Patrum antiquissimorum testimonia. Clemens Romanus, Pater apostolicus (7), ita scribit: « Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt, sacerdotibus locus proprius designatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt. Laicus praeceptis laicis constringitur. » En quomodo S. Ecclesiae Pater distinguit inter Episcopum, Presbyterum, et Diaconum.

S. Ignatius epist. ad Magnesianos: « Hortor, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco. » Idem epist. ad Smyrneos: « Non licet sine Episcopo baptizare, neque Agapem celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc Deo beneplacitum est. »

S. Hieronymus (8): « Quid facit Episcopus, quod non non faciat presbyter, excepta ordinatione? » Praeterea, teste Historia ecclesiastica, in qualibet Ecclesia una erat cathedra episcopalis, unus erat Episcopus; Presbyteri vero numero plures reperiebantur. Scriptores ecclesiastici antiquissimi, uti

(1) Act. 20, 17. (2) L. 3. c. 14. (3) Act. 20, 21. (4) I. Tim. 5, 19. (5) Tit. 5. (6) Tit. II. 15. (7) Ep. I. Ed Corinthios c. 40. (8) Ep. 85. ad Evagrium.

Tertullianus, Irenaeus, Optatus Milevitanus, Eusebius seriem ab apostolicis temporibus non interruptam Episcoporum, qui primarias sedes tenuere, non item Presbyterorum litteris consignarunt. Quapropter Ecclesia Scripturae sacrae, Traditioni, et Historiae innixa in Concilio Tridentino (1) definivit: « Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et Sacramentorum ministros, anathema sit. »

Tertius gradus Hierarchiae Ordinis originis divinae est *Diaconatus*. Diaconi, seu ministri sive Christi mandato, sive divina inspiratione electi sunt a fidelibus, et instituti ab Apostolis per manuum impositionem non tantum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent. Eorum electioni ansam dederunt dissidia inter viduas Hebraeorum et Hellenistarum Hierosolymis orta (2). Manuum impositio, et elargitio Spiritus sancti arguunt veri nominis Sacramentum, quod nonnisi originis divinae esse potest. Eorum officium erat praedicare verbum Dei, uti fecit Stephanus (3), baptizare, uti Philippus, qui baptismatis Sacramentum administravit in Samaria (4), Eucharistiam distribuere, in religiosis conventibus oblata fidelium Episcopo celebranti praebere, nomina offerentium recitare, catheeumenos, poenitentes, aliosque fideles ad surgendum vel genuflectendum excitare, finitis precibus, sacrisque peractis populum ab Ecclesia dimittere, thesaurum ecclesiae custodire, viduarum, orphanorum, pauperum, martyrum in carceribus detentorum curam gerere etc. Hodie debent Episcopo et Sacerdoti sacra facientibus ad aram stantes inservire, Evangelium legere, vinum in calicem infundere, baptizare, et verbum divinum praedicare, quemadmodum explicat Pontificale Romanum his verbis: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare. » Verum Sacramentum baptismatis, casu necessitatis excepto, administrare, et munus praedicationis sine venia et auctoritate Episcopi exercere nequeunt (5).

(1) Sess. 23. can. 7. (2) Act. 6. (3) Act. 7. (4) Act. 8. (5) Claud. Salmas. Diss. de Episcop. et Presbyt., Jacobus Ruttenstock H. E. N. T. t. 1. p. 262-264, et p. 274, 275., Joan. Devoti Inst. Can. t. 1. p. 136-139.

## §. 62. *Gradus Hierarchiae Ordinis originis humanae.*

Ad Hierarchiam ordinis originis humanae referuntur *Subdiaconatus, et Ordines Minores.* Subdiaconi, sive Hypodiaconi, quorum mentio occurrit saeculo III in epistolis Cornelii et Cypriani, primum in Ecclesia Romana, gerente Pontificatum Cornelio, instituti sunt in subsidium Diaconorum. Olim dona et beneficia ad martyres et confessores carceribus detentos, et litteras ad alias Ecclesias perferebant, vasa sacra curabant, et in divino Missae sacrificio Diaconis proxime inserviebant. Saeculo V S. Leo M. legem perpetuae continentiae ad Subdiaconos quoque extendit. Opinatur doctissimus Devoti, Subdiaconatum inter sacros Ordines ab Urbano II, et probabiliter anno 1091 relatum fuisse: Thomasinus vero, cum quo sentit Van-Espenius, contendit ab Innocentio III Subdiaconatum majoribus ordinibus adnumeratum esse. Secundum hodiernam disciplinam officium Subdiaconorum est coelibatum servare, horas canonicas recitare, Diacono ministrare, epistolam in Missa solemni canere, aquam in calicem infundere, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre.

Ordines Minores sunt *Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus,* et *Ostiariatus.* Quo tempore sint hi Ordines Minores ab Ecclesia instituti, disputant inter se viri docti. Synodus Tridentina eos ad initium Ecclesiae refert (1). Quid quid sit, certum est eos occurrere in epistolis SS. Cornelii et Cypriani, qui saeculo III *vivebant. Acolythi* olim perpetui Episcoporum pedissequi, debent cereos accendere ac deferre, curare ut vasa sacra munda sint, aquam et vinum Subdiacono ministrare. *Exorcistae* energumenis manus imponunt, exorcismos peragunt, et malos spiritus ejiciunt. Hodie ad malos spiritus adjurandos Sacerdotes ordinarie adhibentur. *Lectores* olim libros ecclesiasticos custodiebant, in publicis conventibus e suggesto sacras Scripturas legebant. Hodie lectiones primi et secundi nocturni, nec non Martyrologium legunt. *Ostiarii* nomen acceperunt ab ostio Ecclesiae, et munus eorum erat claves custodire, portas aedium sacrarum aperire et claudere, aditum infidelibus et excommunicatis denegare, singulis locum suum adsignare, omnibusque silentium ac modestiam commendare. Hodie Ecclesiae fores passim laicorum custodiae committuntur. Quia pluribus in locis Ordinum functiones a Diaconatu ad Ostiariatum fuerant intermissae, Concilium Tri-

(1) Sess. 23. cap. 2. de Sacram. Ord.

dentinum (1) eas juxta sacros canones in usum revocari jubet. Minores clerici non habent onus recitandi divinum officium, et coelibatum servandi. *Tonsura* non est ordo, sed praeparatio ad ordines suscipiendos, seu actus, quo homo laicus baptizatus et confirmatus sacro quodam ritu ad statum clericalem assumitur (2).

## §. 63. *Gradus Hierarchiae jurisdictionis originis divinae et humanae.*

Hierarchia jurisdictionis originis divinae complectitur *Primatum*, qui competit Romano Pontifici, et *Episcopatum*. Presbyteratus etiam eatenus huc referri potest, quatenus Presbyteri interna gaudent jurisdictione, quae consistit in potestate peccata remittendi et retinendi. Ad Hierarchiam vero jurisdictionis originis humanae spectant Episcopi, qui ex canonum dispositione vel consuetudine singularia jura adepti sunt, et eorum Adjutores. Ad illos pertinent Patriarchae, Exarchae, Primates nationum, Archiepiscopi; ad hos Vicarii Episcoporum, Capitula Ecclesiarum Cathedralium, Praelati non Episcopi, et Parochi.

(1) Sess. 23. c. 17. de ref. (2) Cornelii ep. ad Fabianum Antiochenum Praesulem apud Euseb. l. 6. H. E. c. 43. p. 244., S. Cyprianus ep. 3. p. 8. ep. 42. p. 57. ep. 36. p. 59. ep. 24. p. 33. ep. 32. p. 45., Bingham. Orig. Eccl. l. 3. c. 6. vol. II., Devoti Instit. Can. t. 1. Sect. 2.

# SECTIO II.

## DE POTESTATE ECCLESIASTICA UNIVERSALI.

## CAPUT I.

### DE ECCLESIA IN STATU EXTRAORDINARIO, SEU DE CONCILIIS GENERALIBUS.

### §. 64. *Notio et divisio Concilii.*

Cum totius orbis catholici Episcopi ab eo, qui ad id jus habet convocantur, et major eorum pars congregatur ad res fidei, morum et disciplinae definiendas, Ecclesia in statu extraordinario existit, seu est in concilio coadunata. *Concilium*, graecis *Synodus* generatim est conventus plurium personarum, communis deliberationis instituendae causa initus. Vocabulum Concilii postliminio transferebatnr ad denotandos conventus Rectorum ecclesiasticorum, cum in finem convocatos, ut Ecclesiae negotia collatis suffragiis aut consiliis definirentur. Concilia ecclesiastica vulgo dividuntur in *generalia*, graecis *oecumenica*, et *particularia:* ad illa ex universa Ecclesia, ad haec ex quibusdam solum regionibus Rectores ecclesiastici convocantur. Particularia vel sunt *nationalia*, ad quae totius nationis cujusdam, vel *provincialia*, ad quae cujusdam provinciae Episcopi congregantur, vel demum *dioecesana*, ad quae clerus unius dioecesis convenit. Nobis hic sermo est da Conciliis generalibus, eorumque potestate (1).

### §. 65. *Concilium Generale.*

Concilium generale est conventus Episcoporum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, quibus ex institutione divina vel humana jus suffragandi competit, ex toto orbe catholico ab Ecclesiae Primate convocatus, ut sub ejus immediato vel mediato praesidio ejusdem Ecclesiae negotia communibus suffragiis definiantur. Episcopi velut Apostolorum successores, et Ecclesiae Rectores a Spiritu sancto instituti, in Concilio jure suffragii decisivi gaudent ex divina institutione. Praeter Episcopos vocantur ad Concilia Generalia etiam aliae personae ecclesiasticae charactere episcopali haud insignitae, quarum

(1) Ruttanstock H. E. N. T. t. 1. p. 537.

aliquae potiuntur de jure duntaxat humano voto decisivo, uti Cardinales non Episcopi, Abbates, Ordinum Religiosorum Generales, aliae vero votum habent tantummodo consultivum, puta Presbyteri eruditione, virtute et sapientia celebres. Episcopi ex toto orbe christiano debent ab Ecclesiae Primate convocari, quia secus Concilium neque esset generale, neque legitimum (1).

## §. 66. *Concilia generalia non sunt absolute necessaria, sed valde utilia.*

Christus Dominus, quia Ecclesiam suam omnibus mediis ad finem consequendum necessariis providit, nullum dedit mandatum celebrandi Concilia. Primis tribus saeculis, quibus haereses et schismata grassabantur, et salus animarum in discrimen vocabatur, Ecclesia sine Concilii generalis celebratione unitatem fidei et communionis conservavit. Concilia generalia non esse absolute necessaria docet S. Augustinus (2) scribens de Pelagianis, qui a Romano Pontifice ad Concilium Generale provocaverant: « Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla haeresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit. » Licet Concilia generalia non sint absolute necessaria, sunt tamen perquam utilia. Docuerunt id SS. Apostoli, qui in Conclio Hierosolymitano causam de legalibus deciderunt. « Licet enim, ajunt Patres Concilii Constantinopolitani II. Act. II. Spiritus sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda erant; non tamen aliter voluere de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaret. » Utilitas Conciliorum generalium ex eo potissimum elucet, quod ordinarie ad ea compareant nonnulli Episcopi ex qualibet provincia, vel regno, qui Traditionis universalis testimonium perhibent, et suarum Ecclesiarum necessitates notas faciunt. In Conciliis generalibus haereticorum objectiones publice audiuntur et refutantur, praetextusque adimitur eos porro tuendi. Principes saeculares, qui etiam per se, vel per suos Oratores intervenire solent, sua auctoritate reprimunt malum, et haereticos vel schismaticos coercent. Haec et similia Conciliorum generalium utilitatem demostrant.

(1) Bellarminus lib. I de Concil. c. 15. (2) L. 4. ad Bonificium c. 12.

### §. 67. *Concilii generalis requisita.*

Ut Concilinm sit generale, et legitimum, praecipue requiritur: 1. Ut finis et argumentum bonum Ecclesiae, et salutem animarum respiciaut. 2. Ut convocetur ab eo, qui ad id jus habet. 3. Ut convocentur ex toto orbe catholico omnes, qui jure gaudent suffragandi. 4. Ut praesidium sit legitimum. 5. Ut personae congregatae libero dent suffragia. 6. Ut acta Concilii a Primate Ecclesiae confirmentur. 7. Tandem, ut per ipsum promulgentur. Necesse est haec requisita singillatim exponere.

### §. 68. *Finis et argumentum Concilii generalis.*

*Finis* Concilii generalis positus est in salute totius Ecclesiae; nam Concilium est medium ad salutem animarum consequendam. Si haereses, vel schismata, aut abnsus salutem Ecclesiae in discrimen vocant, adest finis celebrandi concilium. *Argumenta* vero concilii generalis sunt negotia ad universam Ecclesiam spectantia. Haec duplicis sunt generis, vel enim essentialia, vel accidentalia Religionis respiciunt; id est vel exortis dubiis aut doctrinis erroneis veritates thooreticae et practicae sunt definiendae, vel disciplina Ecclesiae universalis est determinanda. Inde vero intelligitur, decisiones Concilii generalis alias esse *dogmaticas*, *disciplinares* alias: illae sunt immutabiles, et tamquam Spiritus sancti oracula suscipiendao, quia Ecclesia in definiendis rebus fidei et morum dono inerrantiae est praedita; istae sunt mutationibus obnoxiae, dum id Ecclesiae bonum exigit. Caeterum hic notandum, quod antiquitus decisiones fidei et morum *dogmata*, et decisiones disciplinares canones fuerint appellatae: verum Concilium Tridentinum decisiones dogmaticas *canones*, decisiones vero disciplinares *decreta reformationis* nominavit.

### §. 69. *Concilium generale convocari debet ab Ecclesiae Primate.*

Concilium generale est medium ad conservandam unitatem fidei et communionis, seu ad promovendum Ecclesiao universalis bonum; sed ad obtinendum hunc finem Christus instituit Ecclesiao Primatem; igitur illius est Concilium generale convocare, quia qui habet jus ad finem, jus quoque habere debet ad media justa. Leo X Const. incip.: *Pastor aeternus* in Concilio Lateranensi ita loquutus est: « Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indican-

dorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex Scripturae sacrae testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat. » Inde fluit, falsum esse Febronianorum principium asserentium, Episcopos, reluctante Pontifice, posse Concilium generale convocare et celebrare, imo jure convocandi Concilia generalia gaudere etiam imperancts civiles, quorum auctoritate prima octo Concilia oecumenica in Oriente convocata fuisse contendunt. Verum quidem est, imperatores primas octo synodos oecumenicas convocasse; ast non propria, sed delegata a summis Pontificibus potestate: nam historia ecclesiastica testatur, ipsos semper petiisse a Petri successoribus potestatem, hosque potestatem reapse illis delegasse, ut Episcopis rhedas publicas darent, et itineris expensas solverent; quae omnia eo lubentius imperatores praestabant, quo crudelius haeretici et schismatici non solum Ecclesiae, sed etiam civitatis pacem turbabant. Hinc est quod Concilia absque auctoritate Romani Pontificis convocata semper habita fuere tamquam conciliabula (1).

## §. 70. *Convocandi sunt omnes Episcopi.*

Omnes Episcopi sunt Apostolorum successores, omnes a Christo acceperunt potestatem ligandi et solvendi, omnes positi sunt a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; ideoque omnes ex toto orbe catholico ex divina institutione convocari debent, secus Concilium foret particulare. Quot autem, qualesve ex Episcopis Concilium generale constituant, *lege* nec *scripta*, nec *tradita* definitum est. Neque est *possibile*, neque *expedit*, ut omnes ex toto orbe catholico Episcopi ad Concilium compareant; non est possibile, quia impotentes, et senectute fracti haud possunt itineri se committere; non expedit, quia salus animarum exigit, ut in quolibet regno saltem aliqui adsint, qui emergentibus, durante Concilio, necessitatibus provideant. Cum ergo nec possible sit, nec expediat, opus non est ut omnes prorsus sed sufficit ut aliqui majorum gentium Praesules catholici aut per se, aut per legatos, aut saltem per litteras compareant. Supponitur namque omnes Antistites convocatos fuisse, neque eos nullo modo latere celebrari Concilium; adeoque si nec per se, nec per legatos compareant, nec per litteras quidquam significent, hoc ipso tacite declarant, quod

(1) Const. Leon. X. in Concil. Later. Sess. 11. t. 1., Concil. part. 2. p. 120., Lucius Ferraris Bibliotheca etc.

Episcopis congregatis se velint conformare, secundum regulam: *Vota absentium adcrescunt praesentibus.* Numerus Episcoporum determinari nequit; nam in Concilio Jerosolymitano quinque tantum aderant Apostoli; primis octo Conciliis orientalibus vel nulli, vel valde pauci Episcopi ex Occidente interfuerunt: nihilominus illa Concilia semper et ubique ceu generalis agnita fuerunt (1).

## §. 71. *Praesidium legitimum.*

In quolibet Concilio Praeside opus esse, ipse ordo gerendorum suadet. Quemadmodum autem in Synodo dioecesana Episcopus, in provinciali Metropolita, in nationali Primas nationis per se vel per legatum praesidium gerere debet, ut conventus legitimus sit; ita necesse est, ut Conciliis generalibus praesideat Romanus Pontifex, Christi Vicarius, Ecclesiae Caput, vel ejus delegatus; quam Sedis primariae praerogativam natura Concilii, unam Ecclesiam repraesentantis, exemplum Apostolorum Hierosolymis congregatorum (2), et constans Ecclesiae praxis satis superque firmant. Quodsi quandoque Imperantes civiles Conciliis generalibus praesedisse leguntur, ut revera Constantinus M. praesedit Nicaeno, honoris causa a legatis summi Pontificis primus locus ipsis fuit concessus; aderant enim imperatores non tamquam caussarum ecclesiasticarum judices, sed ut externi ordinis moderatores. Ad Primatem Ecclesiae universae quoque spectat jus ordinem rerum gerendarum dirigendi. Ordo autem sequens circiter servatur: praeponuntur jejunia et preces: calentissimi oratores circa argumenta in Concilio pertractauda gravissimas habent orationes, quibus negotia dilucidant: opponuntur et solvuntur dubia, ut veritas magis patescat: audiuntur theologi eruditissimi, nec quidquam negligitur eorum, quae humanitus ad veritatem eruendam conferre possunt: demum re omni ex parte peritissime librata descenditur ad suffragia decisiva. Olim Episcopi actis Concilii subscribebant hac formula: « definiens subscripsi. » Quod ad modum attinet dandi suffragium, antiquissimus est dandi illud *viritim*, ubi nempe quilibet Episcopus pro se sententiam dixit. In Concilio Constantiensi a more antiquo recesserunt, et vota nationalia dederunt: verum Concilia posteriora ad morem antiquissimum redierunt. Inter suffragia eminet illud Primatis totius Ecclesiae, quod internum veritatis sigillum dici potest. Cum certum sit fidem Petri, pro quo Christus rogavit, nunquam esse defecturam, sequitur, si dissensio

(1) Ruttenstock H. E. t. p. 540. (2) Act. 15, 7.

aliqua inter Episcopos oriatur, ibi futuram esse catholicam decisionem, ubi erit Primatis suffragium, juxta illud S. Ambrosii: « ubi Petrus, ibi Ecclesia. » Vera Christi Ecclesia est supra Petrum aedificata; haec sola potest Ecclesiam docentem, et Magisterium Apostolicum repraesentare, adversus quem portae inferi non praevalent: contra sexcenti Episcopi a legitimo Primate separati, utpote capite destituti, non repraesentant vivam Jesu Christi Ecclesiam. Hinc etiam Petrus de Marca, etsi Gallus, singulari Dissertatione de Primatu ait: « Constantiam fidei Ecclesiae quidem suae Christus solemni formula pollicetur adeo, ut inferorum vires eam expugnare non possint: sed illi Ecclesiae hoc privilegium spopondit, quae aedificata esset *supram petram*, quae *fundamento illo* niteretur. » In Concilio est quidem liberum Episcopis, quemadmodum factum legimus (1) in Concilio Hierosolymitano, aliquid proponere; at Primas Ecclesiae judicare debet an quaestiones sint vel non admittendae, ne confusio oriatur. Ita in Concilio Tridentino quidam Episcopi proponebant, ut controversiae theologicae recens natae de gratia et libero arbitrio examinarentur: legati tamen Romani Pontificis eorum votis non satisfacerunt, asserentes prius haereses examinandas et damnandas esse.

## §. 72. *Suffragiorum libertas.*

Episcopis in Concilio congregatis et Capiti Ecclesiae legitimo junctis adest Spiritus sanctus, qui efficit ut in definiendis rebus ad bonum Ecclesiae universae spectantibus in errores non labantur, juxta illud (2): « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » Et alibi: « Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis ..... Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia etc. » (3). Non deesse Spiritus sancti assistentiam Conciliis generalibus elucet ex Apostolis et Senioribus Jerosolymis congregatis, qui sententiam in hanc formam protulerunt: « Visum est Spiritui sancto et nobis » (4). Ut autem definitiones Concilii in rebus fidei et morum tanquam Spiritus sancti oracula haberi possint, necesse est, ut Episcopi in dandis suffragiis plena gaudeant libertate, secus sensa eorum erunt effectus coactionis, non vero oracula Spiritus, qui invisibiliter Ecclesiam regit. Sic acta Latrocinalis Ephesini a Leone M. fuerunt irrita et nulla declarata, quia praepotens

(1) Act. 5 (2) Matth. 28. (3) Joan. 14. (4) Act. 15.

Dioscorus aliique Eutichetis fautores Antistites catholicos ad subscribendum sententiae concilii armata manu coegerunt (1).

## §. 73. *Confirmatio necessaria.*

Quemadmodum votum Primatis Ecclesiae decisionibus Concilii internum imprimit veritatis sigillum; ita ejusdem confirmatio est externum illud criterium, quo cognoscimus Concilium generale legitime fuisse celebratum. Ad Ecclesiae Primatem pertinere jus acta Conciliorum generalium confirmandi, ex eo liquet quod ipsi a Christo conservatio unitatis fidei et communionis sit demandata. Dum Summus Pontifex Concilio generali per se praesidet, omnia solus perspicit, et per suum suffragium Concilii decisiones approbat, arbitramur aliam confirmationem superfluam esse; cum vero a Concilio abest, quia ejus legati officio suo deesse, et Ecclesiae Primatem decipere possunt, sicut reapse defuere Rodoaldus et Zacharias anno 861 in causa S. Ignatii Patriarchae Constantinopolitani, necessarium est ut omnia acta ad eum pro confirmatione mittantur. Ecclesia in praxi semper hoc observavit; ad quod probandum pauca sufficit adducere exempla. Sic acta Concilii Chalcedonensis missa fuere ad Leonem Papam, ut ab eo confirmarentur. Tharesius Patriarcha Constantinopolitanus, missis ad Hadrianum I litteris, decretorum Concilii Nicaeni II ratihabitionem petiit. Synodus Tridentina postulavit confirmationem a Pio IV hisce verbis: « Illustrissimi Domini, Reverendissimi Patres placet ne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic Sacrae Oecumenicae Synodo finis imponatur, et omnium, ac singulorum, quae tam sub fel. record. Paulo III et Julio III, quam sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV Romanis Pontificibus, in ea decreta, et definita sunt, confirmatio nomine Sanctae hujus Synodi per Apostolicae Sedis Legatos, et Praesidentes a Beatissimo Romano Pontifice petatur? » Patres responderunt: « Placet. » Confirmatio Romani Pontificis tantae est auctoritatis, ut Concilia non generalia per eam generalia evadant, uti exemplum habetur in Concilio Costantinopolitano I, quod per accessum Damasi Papae inter Oecumenica fuit relatum (2).

## §. 74. *Promulgatio.*

In Conciliis generalibus definiuntur res ad essentiam Religionis, et disciplinam Ecclesiae pertinentes. Definitiones fi-

(1) Vid. H. E. Period. II. Cap. VII. §. 23. (2) Vid. H. E. Period. II. cap. 6. §. 24. §. 40. §. 6. Concil. Trid. in fine.

dei et morum sunt infallibiles credendi et agendi normae, quae mutari nequeunt : decreta disciplinaria Ecclesiae bonum quidem promovent, sed mutationibus sunt obnoxia. Fideles in conscientia tam leges dogmaticas , quam disciplinares observare obligantur; sed ut huic obligationi satisfaciant, in barum legum cognitionem venire debent: unde necessitas promulgationis in cujuslibet oculos insilit. Primatis Ecclesiae universalis est decisiones Concilii promulgare, quia illa est, ut cum appellat S. Chrysostomus , os Apostolorum. Quemadmodum enim Episcopus dioecesanae , Metropolita provincialis, et Primas nationis nationalis Synodi decreta promulgat ; ita Primas Ecclesiae universalis leges Concilii generalis publicare debet. Per promulgationem Primatis tota Ecclesia per universum mundum dispersa certior redditur, Concilium fuisse generale; igitur promulgatio Primatis est criterium cognoscendae oecumenicitatis Concilii. Per Primatem via omni fraudi praecluditur, veritas patescit brevissime, nec timor erroris subversatur; etenim SS. Ecclesiae Patres communiter fidem Sedis Romanae velut signum catholicitatis habent. Sic S. Hieronymus (1) de fide Origenistarum ita scribit: « Fidem suam , quam vocant? eam , qua pollet Ecclesia Romana, an illam, quae in Origenis voluminibus continetur ? Si Romanam responderint ; ergo catholici sumus. » S. Ambrosius de obitu Satyri ait: « Romanum et Catholicum esse , idem significat. » S. Cyprianus (2) dicit: « Communicare cum Cornelio Romano Pontifice idem est , ac communicare cum Ecclesia catholica. » Febroniani Oecumenicitatem Concilii repetunt ex consensu Ecclesiae dispersae, id est ex acceptione singulorum Episcoporum. Ast quam incerta et difficilis sit haec via nemo non videt; nam quo modo scire poterimus, an singuli totius orbis catholici Episcopi decreta Concilii acceperint, et suis in Diocesibus publicaverint ? Et si nonnulli clam damnatae doctrinae adhaerent, erit ne possibile inter Episcopos bene et male sentientes discernere? Ita dubia dubiis cumulantur. Si constat omnes Episcopos ex toto orbe catholico a Primate Ecclesiae ad Concilium convocatos fuisse , certum est ipsos consensum in Concilii definitiones dedisse juxta regulam: *vota absentium adcrescunt praesentibus*; igitur consensus Ecclesiae dispersae jam adest , cujus promulgatio decretorum per Primatem facta fideles extra omne dubium ponit.

(1) Lib. 1. cont. Ruffinum. (2) Ep.52.

## CAPUT II.

### DE ECCLESIA IN STATU ORDINARIO, SEU DE JURIBUS PRIMATIS UNIVERSALIS.

### §. 75. *Jurium Primatis fundamentum.*

Cum Episcopi in suis resident dioecesibus, Ecclesia est in statu ordinario, et regitur ab ejus Primate, cui Dominus totius gregis curam commisit. Quemadmodum Rectori civili tot tribuuntur jura, quot habet officia communem societatis salutem procurandi; ita etiam S. Petri Successor tot juribus instructus sit oportet, quot sunt necessaria ad finem Ecclesiae obtinendum. Ex relationibus officia, ex officiis jura oriuntur; jurium igitur Primatis fundamentum sunt officia a Christo Domino eidem imposita, et officiorum fundamentum sunt relationes, in quibus Ecclesiae Primas existit. Illo relate ad Ecclesiam universam est Christi bisce in terris Vicarius, Centrum unitatis ecclesiasticae, Caput Ecclesiae, Pastor fidelium, Pater, et Doctor omnium credentium; ideoque habet officium et jus ad clavum misticae ratis sedendi, unitatem fidei et communionis conservandi, in totum corpus bene influendi, oves et agnos regendi, curam omnium filiorum suorum gerendi, pabulum doctrinae praebendi, verbo, bonum universae Ecclesiae promovendi.

### §. 76. *Exercitium jurium Primatis a variis Ecclesiae indigentiis pendet.*

Novatores postremi saeculi, qui cuncta subvertere conabantur, quique ad coarctandam Romani Pontificis potestatem eum Collegio Episcoporum subjecerunt ita, ut ab hoc citari, judicari, et etiam deponi possit, cum tamen ipse soli Deo, suae conscientiae, et suo confessario rationem reddere debeat, jura Primatus diviserunt in *essentialia* et *accidentalia* seu *adventitia*, in *dubia* seu *controversa*, et *honorifica*. *Essentialia*, *necessaria*, *primigenia*, *divina*, dixerunt ea, quae natura, fineque Primatus, ac ejus divina institutione nituntur ita, ut ab eo avelli nequeant. *Accidentalia,* seu *adventitia* ea vocant, quae variis ex causis Ecclesiae Primati tardius advenerunt, et per accidens eidem inhaerent, quaeque ejus auctoritatem mirum in modum auxerunt. Causas augmenti jurisdictionis pontificiae sequentes adsignant: 1. Quod Romanus Pontifex qua Patriarcha Occidentis varia prius exercuerit jura, quae tardius prò

juribus Primatus habita sunt. 2. Quod Episcopi causas magis implicatas sponte ad Sedem Apostolicam detulerint, atque ita ansam dederint Romano Pontifici eas sibi reservandi. 3. Quod Pseudo-Isidori fictitiae decretales causarum majorum cognitionem et decisionem Sedi Apostolicae adscripserint. 4. Quod Synodi provinciales, in quibus multa negotia ecclesiastica expediebantur, in desuetudinem devenerint. 5. Quod vitia simoniae et concubinatus, quae medio aevo in vinea Domini debacchabantur, necessitatem moralem Ecclesiae Primati imposuerint potestatem suam magis, magisque ampliandi. Haec in jura essentialia et accidentalia divisio indoli Primatus haud respondet. Novatores conati sunt jura Primatus ab eorum exercitio mathematice determinare, cum tamen juris existentia non ab exercitio, sed a rei natura, et juris exercitium ab hominis voluntate, et ab occasionibus pendeat. Potest quis habere jus, et vel abstinere se juris exercitio, vel carere occasione illud exercendi, vel alteri delegare ita, ut nomine suo jus exerceat. Si igitur S. Petri Successor primis Ecclesiae saeculis nonnulla jura non exercuit, vel permisit, ut Episcopi ea exercerent, non est cum Novatoribus concludendum, talia jura ad Primatus essentiam non spectare. Qui vellet omnia Primatis jura mathematice determinare, deberet omnes Ecclesiae indigentias praesentes et futuras perspectas habere, quod est impossibile nisi sit divino Spiritu afflatus, et donum habeat prophetiae. Exercitium jurium Primatis pendere a diversis Ecclesiae indigentiis docet Historia ecclesiastica. Napoleon Bonaparte, primus Reipublicae gallicanae Consul, Religionem catholicam Galliae restituturus, anno 1801 cum Summo Pontifice Pio VII iniit Concordatum, et exegit, ut Episcopi exules, quos, propter constantiam, qua se opposuerunt Constitutioni, natio aversabatur, sedes suas resignarent. Pius VII 15 Augusti 1801 Breve dedit apostolicum ad omnes Galliae Episcopos postulans velut necessarium pro restituenda in Gallia Religione catholica medium, ut omnes sedes suas dimitterent, libereque in manus ejus resignarent. Nonnulli Episcopi anticonstitutionales (1) id facere recusarunt, vel tales adjecerunt resignationi conditiones, quae recusationi aequivalebant. Pius VII ne fides denuo ex Gallia exturbaretur, non obstantibus Episcoporum reclamationibus, 9 Apr. 1802 per Cardinalem Caprara legatum suum Bullam promulgavit, qua omnes antiquae sedes per Galliam sublatae declarabantur, atque ita Episcopos indirecte jurisdictione privavit, novisque institutis Episcopatibus, et Episcopatuum divisionibus novos dedit Pasto-

(1) Thiers Hist. Cons. l. 12. p. 185. dicit 13. fuisse, alii vero 34.

res dicens: « Episcopatum propter Religionem a Christo institutum esse, non vice versa. » Jam quaeritur, exercuerat ne unquam Romanus Pontifex tale jus? Historia non suppeditat exemplum: et tamen criticum hoc saeculum cum plausu Pontificis dispositionem suscepit, et nemo ausus est eidem jus denegare. Quare? Quia quilibet sana praeditus ratione perspicit, Ecclesiae Primatem habere jus ad omnia, quae salutem animarum promovent, et jurium Primatis exercitium pendere ab Ecclesiae necessitatibus. Quemadmodum vero diversis temporibus diversae emergere possunt indigentiae; ita etiam di versa possunt oriri jura, quae in Primatus essentia tam bene requiescunt, sicut Primatus a Christo fuit institutus ad unitatem fidei et communionis conservandam, nec non ad bonum Ecclesiae promovendum. Quidquid ergo salutem totius Ecclesiae concernit, sive illud sit dogmaticum, vel disciplinare, ad id officium et jus habet S. Petri Successor, Christi Vicarius. Quia Primatus est triplex, nimirum honoris, auctoritatis et jurisdictionis; ita etiam jura Primatis Ecclesiae alia sunt *honorifica*, alia *auctoritatis*, alia *jurisdictionis*. In exponendis Primatis juribus hunc ordinem naturalem sequemur.

## §. 77. *Jura honorifica.*

Honorifica Primatis Ecclesiae universalis jura sunt: 1. Inter omnes orbis catholici Antistites primus est honore et dignitate, et tam in Ecclesia dispersa, quam congregata primum locum occupat. 2. Inde a Joanne XII admotus ad summum Pontificatum communiter nomen mutat. 3. Titulis insignitur singularibus, v. g. vocatur Episcopus Episcoporum, Papa, a temporibus Gregorii M. Servus servorum Dei, Pater Patrum, Archiepiscopus, Patriarca universalis, Summus Sacerdos, Pontifex Maximus, Christi in terris vicarius, Beatissimus, Sanctissimus. 4. Habet specialia insignia, puta pallium, et praelationem Crucis, et quamvis hujus generis insignibus alii quoque Praelati utantur, praesente Summo Pontifice, vel ejus Legato ea deferre nequeunt; praecipuum vero insigne est thiara, seu mitra triplici circulo aureo ornata, quae ab initio unum habuit circulum aureum eam in parte inferiori ambientem, sed Bonifacius VIII addidit secundum et Urbanus V tertium. Ad insignia Summi Pontificis pertinet quoque Pedum rectum, quod eis competit partim propter historiam, et partim propter mysticam rationem: propter historiam, quia S. Petrus uti fertur baculum tradidit S. Eucherio, primo Trevirensium Episcopo, a quo per illum S. Maternus ejus socius ad vitam est revocatus; propter mysticam rationem, quia Episcopi sunt Pon-

tifici snbordinati; ideo hic recto, illi curvo utuntur pedo. 5. Alia bonoris signa sunt prostrationes, pedum oscula, praelatio Eucharistiae, dum iter facit etc. 6. Denique est Episcopns Urbis Romae, cujus dioecesanam jurisdictionem exercet Cardinalis Vicarius, etiam Sede vacante, Metropolita Provinciae Romanae, Primas Italiae, Patriarcha Occidentis, ac Dominus Status ecclesiastici, seu Provinciarum ad Patrimonium S. Petri spectantium (1).

## §. 78. *Jura auctoritatis.*

Mens Ecclesiae Fundatoris, qui voluit, ut qui major est fiat sicut minor, quique ambitiosam petitionem matris filiorum Zebedaei cum indignatione repulit, certe non erat, dum in persona S. Petri Primatum instituit, ei meros honores decernendi; sed Christi mens erat, majorem potestatem Petro tribuendi, et gravins munus, quam reliquis Apostolis, imponendi, scilicet totius Ecclesiae solicitudinem ad conservandam unitatem fidei et communionis. Ad hunc finem autem assequendum nequaquam sufficiebat Primatus honoris, sed Primatus auctoritatis et jurisdictionis requirebatur, quem etiam, prout demonstravimus, Christus instituit, et S. Petro contulit. Vi Primatus auctoritatis, exigente Ecclesiae bono, Summo Pontifici competit: 1. Jus Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas ex toto orbe catholico ad Concilium convocandi eum in finem, ut unitas fidei et communionis vel servetur, vel restauretur, aut disciplina ecclesiastica statuatur. Quis enim cum potestate cient omnes orbis Episcopos, nisi Primas, cui omnes subjiciuntur? 2. Cum Primas omnium Episcoporum sit Caput, recte jus sibi vindicat Conciliis generalibus praesidendi, negotia proponendi, rerum ordinem dirigendi, primum votum dandi. 3. Si Pontifex Concilio generali per se non interest, jus habet acta Concilii revidendi et confirmandi. 4. Finito Concilio Summus Pontifex jus habet acta Concilii promulgandi, vindicandi, et exequendi, hoc est omnia in Concilio definita, et a se sancita, sive illa ad fidem et mores, sive ad ecclesiasticam disciplinam pertineant, executioni mandandi (2).

(1) Thomass. de v. et n. Discipl. P. I. l. 1. c. 4. P. II. l. 3. c. 65; Zallwein princ. I. E. t. 3. q. 1. c. 1. §. 3., Bingham Orig. Eccl. l. 2. c. 2., Innocentius August. serm. de SS. Petro et Paulo., Petrus Cluniac. ep. 2., Walter §. 103. (2) Thomassin. de v. et n. Discipl. P. I. c. 117. seqq., Van. Espen I. E. U. P. I. T. 21., Thomassin. Diss. 6. in Synod. CP. et Diss. 10. in Synod. Ephes., Petrus de Marca Conc. Sac. et Imp. l. 5. c. 3., Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. I. §. 233. p. 374.

### §. 79. *Jura jurisdictionis.*

Jura Primatus jurisdictionis referuntur ad diversa objecta, et quidem. 1. Ad Ecclesiam dispersam; 2. Ad dogmata et disciplinam; 3. Ad Episcoporum protectionem; 4. Ad Episcopos, et Episcopatus; 5. Ad appellationes a judiciis ecclesiasticis; 6. Ad beatificationem et canonizationem Sanctorum, nec non confirmationem Ordinum Religiosorum; 7. Ad reservationes, et exemptiones; tandem 8. Ad beneficiorum collationem, dispensationem, liberationem a votis, commutationem piarum fundationum, absolutiones, et indulgentias. Ordinis et claritatis causa haec jura singillatim exponemus.

### §. 80. *Relate ad Ecclesiam dispersam.*

Finis Primatus a Christo institutus est unitas fidei et communionis, et Primas Ecclesiae est unitatis centrum, iu quod omnes concurrere debent: « ad Ecclesiam Romanam, ait S. Irenaeus, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est « qui sunt undique fideles. » Hinc Ecclesiae Primas *a*) *Jus habet exigendi*, *ut omnes Ecclesiae particulares cum eo velut unitatis centro per signa externa communicent.* Olim Episcopi communicabant cum Primate Ecclesiae per litteras formatas; hodie Episcopus vel nominatus, vel electus significat suam nominationem, aut electionem Summo Pontifici, et Summus Pontifex Episcopo petenti per delegatum Bullam confirmationis transmittit. Secundum hodiernam disciplinam haec sunt signa externa, quibus ordinarie Episcopi totius orbis communicant cum Ecclesiae Primate. Effectus communionis externae est, ut illa Ecclesia particularis, quae communicat cum Primate Ecclesiae universalis, censeatur communicare cum reliquo orbe catholico, et quae ab illo excomnnicatur extorris sit a communione universae Ecclesiae. Quia non solum unitatem communionis, verum etiam fidei conservare tenetur, et quia, qua homo, neque ubique esse, neque omnia scire potest, et tamen scire debet an ubique locorum eadem doctrina praedicetur, et disciplina ecclesiastica observetur, ideo *b*) *Primas Ecclesiae jus habet exigendi ab omnibus Episcopis relationes in causis bonum Ecclesiae concernentibus, sive sit res dogmatica, vel disciplinaris.* Hoc jus semper agnitnm fuisse in Primate Ecclesiae testatur Historia ecclesiastica. Sic jam sub finem saeculi I. Ecclesia Corinthiaca litem inter clerum et populum exortam, non ad S. Joannem Apostolum, qui adhuc vivebat,

sed ad Clementem I. S. Petri discipulum et Successorem detulit. S. Cyprianus in causa lapsorum ad Sedem Apostolicam recurrit. Galliae Episcopi, ac ipse S. Cyprianus causam Marciani Episcopi Arelatensis ad Stephanum I. R. P. miserunt. S. Dionysius Alexandrinus saeculo III causam Sabellii ad Sixtum R. P. retulit; deinde ipse S. Dionysius a quibusdam in suspicionem haeresis adductus ad Dionysium Papam delatus fuit. Episcopi in Concilio Arelatensi I anno 314 congregati de rebus a se gestis, et decretis certiorem reddiderunt Silvestrum R. P. Concilium Sardicense an. 347 celebratum definivit: « Optimum esse, et valde congruum, ut ad B. Petri Apostoli Sedem de singulis quibuscumque provinciis Domini referant Sacerdotes. » Saeculo V Afri Episcopi Pelagium et Coelestium ad Innocentium I, S. Cyrillus Alexandrinus Praesul Nestorium ad Coelestinum, S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus Eutychetem ad Leonem M. detulerunt. Saeculo VII Sophronius Episcopus Hierosolymitanus causam Monotheletarum Romam misit ad Honorium I. R. P. Hisce consonat Justinianus imperator: «.... Non patimur, inquit, ut quisquam eorum, quae ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem; quum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei Sacerdotum etc. » Fieri autem potest, uti revera factum est, ut Episcopi in referendis negotiis ad bonum Ecclesiae universalis spectantibus non sint sinceri, hinc *c) Primati jus competit Legatos mittendi, et Vicarios per provincias constituendi*, quibus incumbit fidei unitati, et disciplinae integritati invigilare, aliaque negotia gerere nomine summi Pontificis. Intemeratis prisci aevi monumentis comprobatur, Romanos Pontifices Legatos ad principum aulas destinasse, et Vicarios suae potestatis in provinciis habuisse. Cum Primas sit supremus omnium Pastor, et debeat universae Ecclesiae bonum promovere, si Episcopi muneribus suis defuerint, *d) jus sibi vindicat Praelatos ad explenda munia revocandi, et servatis instantiis intermediis, ordineque hierarchico, eorum defectum et negligentiam supplendi, quod jus devolutionis vocant*, quia officium curandi bonum dioecesis ab Episcopo neglectum ad Ecclesiae Primatem devolvitur (1).

(1) S. Iren. l. 3. adv. haeres., Clem. Rom. ep. ad Corinth., Harduin. t. 1., Coll. Conc. fol. 654., H. E. Par. I. C. VI. §. 12. Par. II. C. VI. 1. 13. §. 19. §. 22. §. 32., Natalis Alex. Diss. 4. in H. E., Petrus de Marca de Concord. S. et I. l. 1. c. 10., Thomassin. de v. et n. E. D. P. I. E. c. 117. etc.

## §. 81. *Relate ad dogmata, et disciplinam.*

Profecto haud bene consultum esset Ecclesiae, si, quotiescumque unus alterve luxuriantis ingenii homo sanam conatur maculare doctrinam, aut exortae controversiae litesque minitantur ecclesiasticam turbare unitatem, totus orbis ad Concilium generale evocandus, vel omnium Praesulum per orbem dispersorum consensus explorandus expectandusque foret, interimque error serperet impune, et Ecclesia Jesu Christi alio tuendae restaurandaeque unitatis remedio careret. Quapropter exortis circa Religionem dubiis dissidiisve, haec ad Sedem Apostolicam deferenda sunt, et Primas Ecclesiae *jus habet in rebus fidei et in morum decreta edendi.* Jam ab antiquis temporibus Romani Pontifices talia decreta dogmatica in lucem emiserunt. Sic Damasus Papa, editis litteris, Apollinaris aliasque haereses condemnavit: Innocentius I Pelagio et Coelestio atro stigmate notatis, epistolam scripsit ad Episcopos Africanos: Zozimus epistola, quae Tractatoria dicitur, Pelagium et Coelestium, nec non ipsorum asseclas excommunicavit: Coelestinus I decretum dogmaticum, quo haeresis Nestorii configebatur, misit ad S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum: Leo I epistola ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum de mysterio incarnationis diris devovit Eutichetem. Silentio praeterimus caeteros Pontifices, qui per saeculorum decursum haereses damnarunt, quia nimis longum foret omnes citare. Quamvis an haec decreta, quae a nonnullis *provisoria* appellantur, ante expressum vel tacitum ecclesiae dispersae consensum sint, vel non irrefragabilia, sine haereseos nota in utramque partem sentire liceat: nihilominus pax, bonum Ecclesiae et subjectio petunt, ut omnes fideles hisce decretis assurgant, et obsequantur. Quia utilitas, aut necessitas Ecclesiae interdum postulat, ut disciplina antiqua restauretur, aut nova introducatur, Primati, qui pro possibili populorum indigentiis subvenire debet, *jus competit canones disciplinares condendi*, quos Episcopi recipere et promulgare obligantur. Quodsi canones isti aliquibus dioecesibus noxii essent, et a subditis observari haud possent, integrum est Episcopis petere a Primate Ecclesiae dispensationem. Leges disciplinares pro universa Ecclesia jam primis saeculis tulerunt Romani Pontifices. Ita Victor Papa saeculo II normam universalem praescripsit celebrandi paschatis: Julius I festum nativitatis Domini die 25 decembris celebrandum statuit: Siricius epistola ad Himarium Tarraconensem tempora baptismi determinavit, lege generali Sacerdotes omnes, et Diaconos usu con-

jugum, quas ante ordinationem duxerant, interdixit, laicos publicae poenitentiae subjectos ordinari vetuit (1).

### §. 82. *Relate ad Episcoporum protectionem.*

Fieri potest, ut Episcopi innocentes a malevolis hominibus delictorum insimulentur, injuste premantur, sedibus exturbentur, juribusque exuantur cum magno Ecclesiae detrimento: quibus in casibus Primas, ceu canonum tutor et vindex, *jus habet eos in suam tutelam recipiendi, protegendi, defendendi, et suis gregibus restituendi.* Hanc in rem plura extant antiquitatis exempla. Sic Caecilianus a Synodo Africana depositus a Melchiade R. P. provide, ut scribit S. Augustinus ep. 162. suae restitutus est sedi: Julius I in suam tutelam suscepit S. Athanasium ab Arianis in conciliabulo Tyriensi injuste sede sua dejectum: Innocentius I protexit S. Joannem Chrysostomum contra canones in Synodo ad Guercum depositum: Nicolaus I causam defendit S. Ignatii, quem superbus Photius de Sede Constantinopolitana deturbaverat (2).

### §. 83. *Relate ad Episcopos, et Episcopatus.*

Quod ad Episcopos et Episcopatus attinet, Primati Ecclesiae sequentia competunt jura: 1. Jus electiones et nominationes Episcoporum confirmandi, eosque per se vel per delegatum consecrandi, ac etiam, si eligendus canonico laborat impedimento, postulationem admittendi; 2. Jus Episcopos ab una ad aliam Ecclesiam transferendi; 3. Jus concedendi Coadjutorem Episcopis eo indigentibus; 4. Jus Episcoporum cessiones, seu resignationes admittendi; 5. Jus Episcopos exauctorandi; 6. Jus juramentum fidelitatis et obedientiae canonicae exigendi; 7. Jus novas Episcoporum Sedes erigendi, erectas dividendi, disjunctasque uniendi. Haec jura, quae olim, permittente Ecclesiae Primate, Metropolitae exercebant, a Neotericis vocantur *accidentalia*, quia sine his Petri Successor potest unitatem fidei et communionis conservare, vel restaurare, et *adventitia*, quia tardius Romano Pontifici advenere. Nemo ullus ignorat, metropoliticam dignitatem institutionis humanae, Primatum originis divinae, potestatem Me-

(1) Cf. Nat. Alex., et H. E. Per. II. c. 6. §. 13. §. 18. §. 22., Gerson. Tract. de exam. doctr. consid. 2., Muratori de Jus. Moder. l. 1. c. 18., Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. 1. §. 234. p. 376., Petrus de Marca de Concord. S. et I. l. 1. c. 8. 9., Schenkel l. c §. 235. p. 378.

(2) Vid. H. E. Per. II. c. 6. §. 44. §. 3. c. 4. §. 1. Per. III. c. 6. §. 6.

tropolitarum potestati Primatis subordinatam esse: idcirco jura Metropolitarum, exigente Ecclesiae bono, per Primatem possunt vel ampliari, vel restringi. Medio aevo naufragium Ecclesiarum principalium, v. g. Alexandrinae, Antiochenae, Hierosolymitanae, Constantinopolitanae, vitia simoniae et concubinatus, praepotentia principum saecularium, qui per investituram indignos intrudebant Pastores, et Synodorum neglectus Romano Pontifici necessitatem imposuerunt supradicta jura ad se revocandi et exercendi. Juramentum fidelitatis primus exegit Gregorius VII a Patriarcha Aquilejensi, ut eum arctiori nexu conjungeret cum Ecclesia, quam dividere conabatur Henricus IV subtruso antipapa Guiberto. « Dicitur, scribit Walter, Pontifices jura conciliorum provincialium ad se attraxisse. Sicut civitatum Rectores jura comitiorum et communitatum popularium sibi vindicarunt; ita Romani Pontifices jura conventuum provincialium ad se attraxerunt. Inde sequitur, cum conciliorum ratio cum temporis ratione amplius componi nequit, in ipsorum locum alias formas substituendas esse » (1).

## §. 84. *Relate ad appellationes a judiciis ecclesiasticis.*

Ordo naturalis justitiae in qualibet societate honesta servandus exigit, ut cuivis oppresso jus concedatur, si causae gravitas postulat, ab inferiori ad supremum tribunal appellandi. In civili republica jus recipiendi appellationes est penes principem, qui omnium sententias confirmat, vel infirmat. Hoc autem jus appellationis non modo pars est intima summae potestatis, sed etiam necessaria pars officii, quo tenetur quisquis rempublicam cum imperio regit circumspicere et observare quemadmodum se unusquisque gerat in justitiae administratione. Quod in republica princeps, id in Ecclesia est Summus Pontifex, quem Christus toti Ecclesiae cum dignitate et jurisdictione praeposuit. Quare ut princeps in civili republica officium et jus habet omnium suorum subditorum appellationes recipiendi: ita Ecclesiae Primas pari officio et jure in republica ecclesiastica omnes recipit appellationes, quae propter res, vel propter personas hujus reipublicae propriae sunt. Itaque jus recipiendi appellationes non est accidentale, ut volunt Neoterici, sed in ipsa Primatus natura insitum. Ipsi haeretici et schismatici hoc jus in Romano Pontifice agnoverunt; etenim Marcion, Fortunatus et Felicissimus, nec non Basilides ad Sedem Romanam appellarunt. Concilium Sardicense saeculo IV celebratum canone V statuit: « si Episco-

(1) Walter J. C. §. 242.

pus accusatus fuerit, et omnes judieaverint Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejeecrint; si appellaverit et confugerit ad Beatissimum Romanae Ecclesiae Episcopum, et voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur examen: scribere his Episcopis dignetur Episcopus Romanus.... ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quodsi deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat, erit in potestate, quid velit, et quid aestimet, etc.» S. Bernardus Consideratione 3, 2 ad Eugenium III ita scribebat: « Appellatur de toto mundo ad Te... Fateor grande et generale mundi bonum esse appellationem. » « Appellatio, inquit Antonius Schmidt, vel interponitur ob denegatam protractamve justitiam; item ob nullitates, easque insanabiles in processu commissas: tum equidem ex ipso *jure naturae, publicique universalis dogmatis* id omnino Primatui *necessario* competere existimo; quum ratione sola dictante constet, praecipuum necessariumque Rectoris in Civitate officium esse, ut ad eum oppressae innocentiae refugium pateat: vel eo sensu haec quaestio instituitur, ut ultimae necessario sententiae judex sit summus Pontifex; et in hac re disciplinae mutationi locum esse, ex rerum ecclesiasticarum historia ipsa elucet (1). »

### §. 85. *Relate ad beatificationem et canonizationem Sanctorum, nec non confirmationem Ordinum Religiosorum.*

Jus beatificandi et canonizandi est jus pie in Domino defunctos in album Sanctorum deferendi, quorum quatuor dantur classes: 1. *Servi Dei* appellantur illi, qui in fama sanctitatis quidem obierunt, sed in quorum sanctitatem inquisitum nondum est; 2. *Venerabiles* sunt, in quorum sanctitatem inquisitio facta est, sed desuper nihil adhue pronuntiatum fuit; 3. *Beati* vocantur, quorum vitae sanctitas jam examinata et approbata fuit, cultus tamen eorum non ad universam Ecclesiam extenditur, sed ad certas regiones, vel familias religiosas restringitur; 4. *Sancti* nominantur, quorum cultus in universa Ecclesia obtinet. Primis Ecclesiae saeculis Episcopus examinabat vitae testimonia alicujus in odore sanctitatis defuncti, et eidem cultum in sua dioecesi decernebat, ordinarie permittens, ut populus aram parvulam super Sancti

(1) Montesquieu Esprit de loix t. 28. c. 27., Heineccius Jur. nat. et gent. l. 2. c. 8. §. 157., Grotius de jur. belli et pacis t. 2. c. 4. §. 13., Puffendorf. de Jur. nat. et gent. l. 7. c. 9., S. Epiphan. haer. 42., S. Cyprian. epist. 3 ad Cornel. et 63., S. August. ep. 162., Ruttenstock H. E. l. 2. period. 2. c. 2. §. 7. p. 128., Ant. Schmidt H. E. t. 1. c. 2. §. 55.

tumulum erigeret. Tardius hoc grave negotium ad Synodum provincialem translatum est, semper tamen cum tacito vel expresso Primatis consensu. « Certa , ait S. Thomas Aquinas , ut alicujus Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum introductus vim habeat, ex approbatione tacita vel expressa Summi Pontificis proveniat, oportet (1) ». Quia vero medio aevo Episcopi in explendis officiorum suorum partibus desides fuerunt , et synodi provinciales in desuetudinem venerunt , Romani Pontifices jus beatificandi et canonizandi Sanctos Sedi apostolicae reservarunt. Joannes XV primus fuit qui anno 993 S. Uldaricum Augustae Vindelicorum Episcopum solemniter canonizavit. Alexander III edixit , canonizationem Sanctorum ad solum Romanum Pontificem spectare. Urbanus VIII cum jure canonizandi conjunxit jus ordinandi cultum publicum Sanctorum, v. g. officium et Missam.

Ad jura essentialia Romani Pontificis pertinet quoque jus Ordines Religiosos confirmandi; nam cum Primas sit a Christo institutus, ut universae Ecclesiae invigilet, ejusque bonum promoveat, illius est judicare an societates particulares bono Ecclesiae respondeant, aut sint nocivae; quam ob rem ille jus habet Ordines Religiosos approbandi, vel interdicendi. Tale jus Romani Pontifices vel implicite, vel explicite semper exercuerunt. Sic saeculo IV Siricius Papa Monachos Clericorum officiis aggregavit, et hoc ipso implicite approbavit: saeculo VI S. Gregorius M. statuta Ordinis S. Benedicti confirmavit: saeculo XIII Innocentius III, et Honorius III Ordines Mendicantes S. Dominici et S. Francisci approbarunt: Gregorius X in Concilio Lugdunensi II anno 1274 celebrato, edita constitutione, Ordines Mendicantes ad quatuor redegit, Dominicanorum scilicet, Franciscanorum, Carmelitarum et Augustinianorum etc. (2).

## §. 86. *Relate ad reservationes et exemptiones.*

Romanus Pontifex, qua Pastor supremus, qui a Christo in B. Petro potestatem accepit pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam, et cui omnes subjecti sunt, Episcopis electis, confirmatis et consacratis dare debet portionem dominici gregis, seu objectum jurisdictionis exercendae, quod potest vel ampliare, vel restringere, prout bonum Ecclesiae universae exigere videtur : unde sequitur, Primatem habere jus sic dictas causas majores sibi reservandi, in quibus Epi-

(1) S. Thomas 2. 2. q. 93. (2) Berti Brev. H. E. saec. IV. c. 6. p. 128, saec. VI. c. 6. p. 169., Ruttenstock H. E. N. T. t. 3. p. 357-364.

scopi teneutur ad Sedem Apostolicam recurrere pro obtinenda dispensatione. Si vero aditus ad Christi Vicarium est impeditus, tunc cessat omnis reservatio, et Episcopi saluti animarum suorum subditorum consulturi ex praesumpta licentia possunt dispensare. Episcopis Germaniae et Austriae per sic dictas gratias quinquennales ampla datur potestas dispensandi in variis causis Sedi Apostolicae reservatis (1).

Quia antiquis jam temporibus, uti testatur S. Gregorius M. epistola ad Castnrium Episcopum Ariminensem, nonnulli Antistites Monachos multifariam vexabant, et gravaminibus premebant, Romanus Pontifex ceu Pater omnium et defensor oppressorum quaedam monasteria a jurisdictione Episcoporum exemit, et immediate suae potestati subjecit. Jus eximendi Monasteria ab Episcoporum jurisdictione in Romano Pontifice agnovit Concilium Tridentinum (2) hisce verbis: « Monasteria omnia, quae generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub *immediata Sedis apostolicae protectione ac directione regi consueverunt*, tenentur.... se se in congregationes redigere.... Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, tanquam *Sedis Apostolicae delegato*, eos pro praedictis causis convocare.... Quod si etiam, Metropolitano instante, praedicta exequi non curaverint, Episcopis in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt, tanquam *Sedis Apostolicae delegatis* subdantur » (3).

### §. 87. *Relate ad beneficiorum collationem dispensationem, liberationem a votis, commutationem piarum fundationum, absolutiones et indulgentias.*

Si contra jus, aut per juris abusum beneficia ecclesiastica venderentur, vel ad ea personae ignorantes, immorales, indignae intruderentur, vel ii, quibus jus competit, beneficia conferre negligerent, unde damna ingentia in Ecclesiam Jesu Christi redundarent, jus talia beneficia conferendi ad Romanum Pontificem devolveretur , quia illi incumbit mala ab Ecclesia avertere. Summus Pontifex, cujus potestas ad omnes dioeceses se extendit, jam antiquis temporibus nonnulla beneficia conferebat. Saeculo XII litteris consignata fuere beneficia a Romano Pontifice conferenda, et divisa in *affecta*, et *reservata*. Affecta dici consueverunt ea, quibus conferendis se miscuit, seu manus apposuit Ecclesiae Primas: reservata dixerunt illa, quorum collatio Summo Pontifici reservabatur.

(1) Vid. H. E. Per. V. c. 3. §. 3. (2) Sess. 25. cap. 8. (3) Thomassin. de N. et V. T. P. t. I. 3. c. 30.

Reservationes aliae *juris corpore clausae*, et aliae *extra corpus juris* dicuntur. *Juris corpore* continetur reservatio beneficiorum in Curia Romana vacantium, quam Bonifacius VIII extendit etiam ad beneficia, quae obtinent Romanae Sedis Legati, ac coeteri omnes ad Curiam Romanam venientes, vel ab ea recedentes si in locis Curiae finitimis, hoc est duorum dierum in itinere distantibus fatis cesserint. Extra Corpus juris sunt reservationes, quae Extravagantibus, Bullis Pontificum, et Cancellariae Regulis comprehenduntur (1).

Qui jus habet leges ferendi, eidem et jus competit dispensandi. Jam vero, cum Ecclesia in statu est ordinario, solus Summus Pontifex habet potestatem leges disciplinares pro universa Ecclesia ferendi; igitur eidem etiam inhaeret jus in legibus universalibus dispensandi, cum id utile, aut necessarium judicat. In natura potestatis legislatoriae jus dispensandi situm, et finibus utilitatis necessitatisque spiritualis circumscriptum est (2).

Species dispensationis est etiam liberatio a votis. Summo Pontifici sunt reservata sequentia vota: 1. Votum perpetuae castitatis; 2. Ingrediendi Ordinem Religiosum ab Ecclesia approbatum; 3. Peregrinandi ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli; 4. Invisendi terram sanctam; 5. Eundi Compostellam devotionis causa. Dum agitur de votorum religiosorum valore, ex praescripto Concilii Tridentini causae cognitio pertinet ad Ordinarium, in cujus dioecesi est monasterium, adscito in consilium Ordinis Superiore (3).

Concilium Tridentinum (4) facultatem fecit Episcopis, tanquam Sedis Apostolicae *delegatis*, pias fundationes ex justa causa commutandi, et hoc ipso declaravit, jus istud proprium esse Primatis Ecclesiae, cum Episcopi nonnisi delegata potestate id praestare possint. Idem Concilium (5) dicit: « Contingit saepe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis, adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic muneri se subjicere, unde deperenut piae testantium voluntates..... Sancta Synodus.... facultatem dat Episcopis, ut in Synodo dioecesana, itemque abbatibus, et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus

(1) Vid. Devoti Inst. Canon. t. 1. Sect. III. §. 30-46. p. 304-319.
(2) Schenkel Inst. Jur. Can. Sect. I. §. 236. p. 381. (3) Extravagant. Etsi Dominici 5. de poenit. et remiss., Concil. Trid. Sess. 25. cap. 19. (4) Sessione 22. cap 6. (5) Sess. 25. cap. 4.

Ordinum, re diligenter perspecta possint... statuere circa haec, quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire ». Saeculo XVII. Urbanus VIII reductionem Sacrorum fundatorum Sedi Apostolicae reservavit.

Concilium Tridentinum (1) disserens de casuum reservatione ita se expressit: « Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusdam, sed a *Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate in Ecclesia universa sibi tradita, causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare. » Igitur Concilium Tridentinum agnovit in Primate Ecclesiae jus casus quosdam sibi reservandi, et ab his absolvendi.

Catholicorum nemo ignorat, Ecclesiam habere thesaurum inexhaustum conflatum ex meritis Jesu Christi infinitis, Sanctorumque satisfactionibus, unde depromit Indulgentias, quibus remittit poenas temporales, quas poenitentes subire, et quibus sua scelera expiare debent. Sacramentalis absolutio veniam peccati tribuit, indulgentiae reum criminis a poenis temporalibus liberant, in quas aeternae vi Sacramenti commutantur. Indulgentia vel integram poenam relaxat, vel ejus partem, et ideo vel *plenaria*, vel *partialis* est. Jus concedendi Indulgentias a Christo datum est Apostolis eorumque successoribus, quibus potestas ligandi et solvendi, in qua illud continetur, tributa est. Sed quoniam Episcoporum potestas subest Ecclesiae Primati, hic plenarias Indulgentias sibi reservavit, ac tantum partiales Episcopis permisit. Episcopi in Ecclesiarum dedicatione unius anni, coeteris vero temporibus quadraginta dierum indulgentiam concedunt. Jure extraordinario et delegato etiam Presbyteri indulgentias elargiuntur, quin etiam interdum Summus Pontifex Vicariis Apostolicis jus delegat Indulgentias plenarias tribuendi (2).

(1) Sess. 14. cap. 7. (2) Concil. Later. c. 62., Bellarm. l. 1. c. 11. Controv., Benedictus XIV. de Synod. dioec. l. 2. c. 9. n. 7., Benedictus XIV. Const. « Apostolicum » 16., Const. « Nemo » 22.

# DE ADJUTORIBUS, ET VICARIIS PRIMATIS ECCLESIAE.

## ARTICULUS I.

### DE CARDINALIBUS.

### §. 88. *Cardinalium nomen, et origo.*

Negotia ad universam Ecclesiam spectantia sunt tam multa et tam gravia, ut Primas solus iis expediendis impar sit; quare indiget Adjutoribus et Vicariis, quorum alii eum adjuvant, et vices illius agunt in Urbe Roma, alii extra Urbem. In Urbe adjuvant Summum Pontificem *Cardinales*, *Tribunalia*, et *Congregationes*: extra Urbem *Legati*. Jam primo Ecclesiae saeculo quilibet Episcopus habebat suum senatum, seu presbyterium conflatum ex clericis, quorum opera et consilio utebatur. Clerici stabili lege Ecclesiae cujusdam ministerio adscripti olim *Cardinales* nominabantur probabiliter a *Cardinibus*, *quia* fixi et immobiles erant tamquam cardines, et circa eos Ecclesiae, velut valvae circa cardines, volvebantur. Igitur olim Cardinalis *nomen* erat commune omnibus clericis servitio cujusdam Ecclesiae deputatis; denique temporis successu in reliquis Ecclesiis venit in desuetudinem, Ecclesiae vero Romanae clericis et Episcopis, qui senatum Summi Pontificis constituebant, propter sedis eminentiam proprium evasit. *Originem* S. R. E. Cardinalium repetunt a diaconis coeterisque Romanae Ecclesiae clericis, seu presbyterio, cujus tamquam Senatus consilio Primas in causis majoribus utebatur. Urbs scilicet Roma erat in quatuordecim regiones divisa, et quaelibet regio propriam habebat domum hospitalem cum Oratorio seu capella, cui praeerat unus diaconus, qui bona temporalia illius domus administrabat, et orationem in capella faciebat; et quia perpetuo affixus erat servitio domus, sicut cardo, ideo *Cardinalis Diaconus* dicebatur. Praeter Diaconos erant in Urbe viginti octo parochi, qui *Cardinales presbyteri* vocabantur. Accesserunt postea *Episcopi* Ecclesiarum Romae vicinarum, qui Cardinales sunt dicti, ex quo Lateranensi Basilicae fuerunt adscripti, quique suo muneri Episcopatus non desunt, licet Romae commorentur, et Ecclesiae Primati opem praebeant in regimine universae Ecclesiae. Cardinales diaconi et presbyteri suas Ecclesias et titulos, a quibus nominantur, Romae habent: Cardinales Episcopi autem a suis Episcopatibus nomen accipiunt. Diaconi, Presbyteri, et Episcopi, cardinalitia insigniti dignitate, tum ob Ecclesiae Romanae principatum, tum ob jus Papam eligendi

eisdem reservatum, tum quod vulgo Pontifex ex eorum gremio eligeretur, tum denique ob legationum et officiorum, quibus fungebantur, splendorem, sub nomine Collegii Cardinalium sensim ad eminentem dignitatem et auctoritatem ascenderunt (1).

### §. 89. *Cardinalium numerus, et creatio.*

Olim erant quatuordecim Cardinales diaconi, viginti octo parochi, et septem Episcopi, ad quos accesserunt quatuor diaconi Ecclesiae Lateranensis. Is numerus subinde imminutus, finiente saeculo XIII rursus augeri coepit. A Leone X ad sexaginta quinque, a Paulo III, et Paulo IV numerus Cardinalium presbyterorum ad quinquaginta adauctus est ita, ut ad septuaginta excreverit: qui quidem numerus, etsi ad exemplum septuaginta Seniorum Synagogae et Christi discipulorum a Sixto V retineri jussus, raro completus est. Cardinalium Collegium hodie constat sex Episcopis, nimirum *a.* Ostiensi, *b.* Portuensi et S. Ruffinae, *c.* Sabinensi, *d.* Praenestino, *e.* Tusculano, *f.* Albanensi; presbyteris quinquaginta, et diaconis quatuordecim. Jus creandi Cardinales ad solum Romanum Pontificem spectat; nihilominus jus aliquem ad Cardinalis dignitatem promovendi tum Imperatori Austriae, tum Regibus aliis Catholicis nempe Galliae, Hispaniae, Siciliae, Lusitaniae, et Sardiniae usus et observantia firmat. Cardinales a terrae Principibus nominati Cardinales coronae appellari solent, qui a Caesare, vel Rege certis sub ritibus biretum accipiunt (2).

### §. 90. *Cardinalium jura.*

Cardinales creati ex humana institutione habent alia jura *sede plena*, alia *sede vacante*. Sede plena: 1. Senatum Summi Pontificis constituunt, eumque consilio et opere adjuvant; 2. In variis Congregationibus et tribunalibus a consiliis sunt, aut munus praesidis obeunt; 3. Funguntur officio protectorum ad curanda Ordinum Religiosorum, principum et nationum negotia. Sede vacante *a.*) politicam in cunctis Ecclesiae Romanae ditionibus, non tamen sacram, quae personalis est, Primatus potestatem, nisi aliud urgens necessitas poposcat, exercent ita, ut singulis diebus tres alii Cardinales, nempe unus Episcopus, alter Presbyter, tertius Diaconus praeficiantur; *b.*) ad ipsos solos jus eligendi Pontificem pertinet (3).

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 397, 398., Devoti Inst. J. C. t. 1. p. 182-188. (2) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 388, 399., Moser J. Civil. t. 5. c. 2. §. 17., Sartori Jus eccl. et civil. t. 2. P. II. Sect. 1. §. 1120. (3) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 401.

## §. 91. *Privilegia Cardinalium.*

Cardinalium privilegia specialia sunt: 1. Patriarchas, Primates nationum, Metropolitas, et Episcopos ex humana institutione dignitate praecedunt; 2. Veste purpurea, galero rubro, titulo eminentissimi utuntur, et rubro panno sternunt equos. 3. Ad Concilia generalia vocantur, etiamsi non sint Episcopi, in iisque ex institutione ecclesiastica voto gaudent decisivo. 4. In Ecclesiis suorum titulorum jurisdictionem habent episcopalem, ordinesque minores, modo sint Presbyteri, personis ejusdem Ecclesiae servitio addictis conferunt. 5. Cardinales presbyteri in suis Ecclesiis insignibus utuntur pontificalibus, populoque solemnem dant benedictionem. 6. Cardinales a solo Pontifice judicantur. 7. In generali statuto, vel sententia interdicti, aut suspensionis non censentur comprehensi nisi eorum expressa fiat mentio (1).

## §. 92. *Consistorium Cardinalium.*

Olim negotia gravia ad Ecclesiam universam spectantia pertractabantur in Synodo Romana, in cujus locum substitutum fuit *Consistorium*, quod Pontifex ex Cardinalibus format. Est autem duplex, *secretum* nempe seu *ordinarium*, et *publicum* seu *extraordinarium*. Secretum seu ordinarium illud dicitur, in quo Pontifex solis Cardinalibus praesidet, quodque bis in mense feria secunda celebrari solet: publicum seu extraordinarium illud appellatur, ad quod praeter Cardinales alii quoque Praelati ecclesiastici, Ministri, Principum Oratores et Magistratus admittuntur, quodque extra ordinem singulares ob causas, et ingenti caeremoniarum apparatu habetur. In Consistorio secreto creantur Cardinales et Episcopi, dantur Coadjutores cum jure successionis, conceduntur pallia, admittuntur Episcoporum renuntiationes, aut translationes, deponuntur Episcopi, eriguntur, uniuntur, vel dividuntur Episcopatus, ac generatim negotia ad universam Ecclesiam pertinentia tractantur. In Consistorio publico Papa Cardinali recens creato galerum imponit, homines pie defunctos albo Sanctorum solemni ritu adscribit, legatos principum ad se missos, et legatos a latere a legatione Romam redeuntes suscipit et audit. Dantur etiam *Consistoria semipublica*, dum nimirum celebrato primum Consistorio secreto, admittuntur aliae personae, quae Cardinalitia dignitate non sunt insignitae; atque ita negotium tractatur

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 402., Kleiner. Diss. c. 5. §. 39,

Partim in Consistorio secreto, et partim in pubblico, quod Consistorium vocatur *semipublicum*, v. g. dum creatur Cardinalis, et statim Papa eidem galerum imponit (1).

## ARTICULUS II.

### DE TRIBUNALIBUS SUMMI PONTIFICIS.

### §. 93. *Tribunalia, vel Curiae Romani Pontificis.*

Tribunalia, vel Curiae Primatis Ecclesiae dividi possunt in *Collegia regiminis*, et *Collegia justitiae*. Ad Collegia regiminis spectant: 1. *Cancellaria apostolica* conscribendis et expediendis Bullis et Brevibus circa objecta, quae in Consistorio Cardinalium, vel in Dataria tractantur, destinata, cui praeest unus Cardinalis; 2. *Secretaria apostolica*, in qua conficiuntur Bullae et Brevia, quae negotia politica respiciunt, et ad exteros principes mittuntur; huic est praefectus Cardinalis Status Secretarius; 3. *Dataria*, quae largitur gratias pro foro externo valituras, v. g. dispensationes aetatis pro suscipiendis sacris ordinibus, impedimentorum matrimonii notoriorum, irregularitatum etc., et dicitur Dataria, quia Cardinalis Praeses hujus Curiae manu propria signat datum, seu diem gratiae concessae, qui propterea Cardinalis *Prodatarius* vocatur; 4. *Poenitentiaria* a qua sub fictis nominibus pro foro dumtaxat conscientiae petuntur absolutiones a casibus Summo Pontifici reservatis, dispensationes super irregularitatibus ex homicidio provenientibus, impedimentis matrimonii, et censuris occultis: litterae inscribendae sunt: « Eminentissimo ac Reverendissimo S. R. E. Cardinali Poenitentiario. » Responsa dantur gratis; 5. *Camera apostolica*, quae papalium proventuum curam gerit, et cui praeest Cardinalis quaestor.

Ad Collegia justitiae referuntur: 1. *Rota Romana*, quae cognoscit causas religiosas ex toto orbe catholico, et causas civiles ex territorio pontificio ad se delatas. Judices Rotae Romanae vocantur Auditores, quorum numerum Sixtus IV ad duodecim fixit, et qui ex praecipuis nationibus assumuntur, praemissa in praesentia doctissimorum virorum disputatione, et particulari examine, quod privatim quilibet coram Vice-Cancellario subire debet. Dividuntur in tres classes, quorum quaelibet quatuor complectitur auditores. Eorum unus vocatur *Ponens*, reliqui *Correspondentes* audiunt. Ordo judicii fere sequens

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 599.

est: factum ipsum causae eleboratur a Procuratoribus Rotae, momenta causae suggerunt Advocati, atque Auditores suffragia laturos in omni causa informant, qua satis cognita quisque horum votum suum rationibus munitum *Ponenti* communicat. Si vota fuerint dispersa, iterum atque tertio causa examini subjicitur, sententiaque fertur. Hoc singulare est, quod si pars altera litigantium opinetur plus justo se gravatam, ab una Auditorum classe ad secundam et tertiam appellare possit; 2. *Signatura justitiae*, quae resolvit casus in lege non expressos circa appellationes, restitutiones, recusationes etc.; 3. *Signatura gratiae*, quae sub praesidio Summi Pontificis causas ab ipsius gratia dependentes circa exemptiones, privilegia et appellationes in casibus, in quibus appellare non licet, decidit. Ambae Curiae vocantur *Signaturae*, quia Pontifex ipse sua Rescripta propria manu subscribit (1).

## ARTICULUS III.

### DE CONGREGATIONIBUS.

### §. 94. *Congregatio Concilii Tridentini Interpretum.*

Congregationes sunt Collegia, quibus certorum negotiorum cura est commissa. *Congregatio Concilii Tridentini Interpretum* instituta fuit a Pio IV, ut genuinum canonum sensum exponeret. Quum enim post absolutam Synodum Tridentinam saepissime circa sensum sanctionum in ea factarum orirentur dubia, Summus Pontifex Congregationem instituit ex illis potissimum Cardinalibus, qui Concilio interfuerant, eidemque provinciam demandavit interpretandi canones Concilii Tridentini, dubiaque desuper exorta solvendi, ita tamen ut sententiam ad eum deferrent pro confirmatione. Hanc Congregationem confirmarunt Pius V et Sixtus V sub sequentibus conditionibus: 1. Ut nullam faciat declarationem inconsulto Pontifice; 2. Ut a verborum proprietate non sic recedat, ut declaratio dispensationem sapere videatur; 3. Ut ad fidem faciendam declaratio solito sigillo et subscriptione tam Cardinalis Praefecti, quam Secretarii sit semper munita (2).

(1) Joseph. Helfert Manual. J. C. P. I. Sect. II. c. 2. p. 104.; Regolamento di Gregorio XVI. del 10. Nov. 1824. §. 324-327-381. (2) Const. Sixti V. «Immensa» an. 1587.; Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 13. c. 3.

§. 95. *Congregatio sacri officii Inquisitionis.*

Ex divina institutione Episcopi omnes suis in dioecesibus tenentur depositum fidei custodire, et invigilare ne in Christi doctrinam errores irrepant. Si Episcopi id negligant, officium et jus ad Ecclesiae Primatem devolvitur. Cum haeresis Albigensium per comitatum Tolosanum, aliasque provincias crudeliter saeviret, et Episcopi segnes haereseos progressui obicem haud ponerent, sub initium saeculi XIII Papa Innocentius III. Patribus Cisterciensibus munus commisit in haereticos inquirendi, judicandi, et brachio saeculari tradendi. Anno 1233 Gregorius IX. Fratribus Praedicatoribus, qui in territorio Tolosano, in reliqua Gallia et Italia erant, plenam concessit potestatem haereticos ad suum tribunal citandi, relicto magistratibus civilibus executionis jure. Occasione pseudoreformationis luteranae Paulus III specialem Romae instituit Congregationem ex sex Cardinalibus conflatam, quam duobus Cardinalibus auctam Pius IV et Sixtus V confirmarunt. Haec Congegatio, cui ordinarie praeest Pontifex, vocatur *Tribunal Inquisitionis*, quia habet amplissimam potestatem de haeresibus similibusque criminibus inquirendi et judicandi. Officialium primus est Commissarius S. Officii ex Ordine Praedicatorum; unus vocatur Assessor S. Officii, reliqui Consultores nominantur (1).

§. 96. *Congregatio Indicis.*

In subsidium Officii Inquisitionis S. Pius V instituit *Congregationem Indicis*, collata eidem potestate libros perniciosos revidendi et prohibendi. Haec Congregatio constat numero Cardinalium ad Pontificis arbitrium, et habet insignes theologos, qui ex diversis Ordinibus Religiosis maxima ex parte desumuntur, et Consultores vocantur. Theologi isti legunt libros; dein in Congregatione suum depromunt judicium, illosque vel prohibent donec corrigantur, vel ex integro rejiciunt: Cardinales Congregationis plerumque ad sententiam theologorum accedunt, quae proponitur Summo Pontifici pro confirmatione. Theses in libro contentae damnantur vel omnes simul sumptae tanquam haereticae, schismaticae, erroneae etc., dicunturque *damnari in globo*; vel *in specie*, si scilicet unicuique damnatarum thesium censura adjicitur. Quia vero propositiones diverso sub respectu possunt esse perniciosae, ideo etiam qua-

(1) Limborch. Hist. Inquisit., Vid. H. E. Per. IV. c. 6. §. 6. 7.

lificatio diversa esse solet, v. g. *propositio haeretica, haeresi proxima, haeresim sapiens, schismatica, erronea, blasphema, impia, scandalosa, piarum aurium offensiva, male sonans, simplicium seductiva, temeraria, periculosa.* Propositiones Quesnelli in globo, Jansenii in specie fuere condemnatae. Terminato examine liber perniciosus in Indicem librorum prohibitorum refertur. Ecclesia a sua origine ad nostra usque tempora jure prohibendi libros perniciosos semper usa est. Congregatio Indicis maximi est momenti, magnamque Ecclesiae adfert utilitatem; etenim quemadmodum lectione bonorum librorum intellectus excolitur, et voluntas emendatur, ita libri veneno malae doctrinae referti homines inficiunt et corrumpunt. Hanc in rem, ut quilibet catholicus facilius sibi cavere possit ab hujusmodi libris pestiferis, Summi Pontifices de animarum salute soliciti indicem librorum prohibitorum fieri curarunt, quos legere sine Superiorum licentia non licet.

## §. 97. *Aliae Congregationes.*

Praeter enumeratas Congregationes dantur Romae et aliae, quibus Ecclesiae Primas specialia commisit negotia. Sixtus V instituit *Sacram Rituum Congregationem* eum in finem, ut omnia ad Dei cultum, divina officia, et Sacramentorum administrationem ordinet ac determinet, et abusus, si qui irrepserint, eliminet. Idem Pontifex aliam instituit Congregationem super *negotiis Episcoporum et Regularium*, quae constat ex meris Cardinalibus, ac propterea Cardinalitia dicitur. Haec Congregatio examinat relationes, quas singuli Episcopi omni quinquennio facere debent circa statum suarum Dioecesium, dirimit lites inter Clerum Regularem et Saecularem, circa exemptiones, inter Ordinum Religiosorum Superiores et subditos, circa disciplinam et professionis valorem ortas. Ad dilatandum inter infideles regnum Jesu Christi, Gregorius XV anno 1622 Romae instituit *Congregationem de propaganda fide* constantem ex tredecim Cardinalibus, tribus Praelatis et uno Secretario, cui Urbanus VIII anno 1627 Collegium addidit, in quo diversarum nationum juvenes linguis et scientiis imbuuntur. Notitiae causa commemoramus adhuc Congregationes *Immunitatis ecclesiasticae,* quae Cleri privilegia defendit, *Indulgentiarum,* quae Indulgentias curat, *Examinis Episcoporum*, quae examinat presbyteros ad dignitatem episcopatus promovendos, *Consistorialis,* quae praeparat negotia in Consistorio pertractanda (1).

(1) Zallwein t. 2. q. 3. c. 2. seqq., Relazione della Corte di Roma del Sig. Lunadoro, Notitia Congregationum et tribunalium Curiae Rom. auctore Hunoldo Plettenbergio, Binterim t. 3. l. 1. c. 2. §. 5.

# ARTICULUS IV.

## DE LEGATIS.

### §. 98. *Legatorum pontificiorum origo, et genus.*

Quemadmodum Romae Cardinales, Curiae et Congregationes, ita extra Urbem Romam Summum Pontificem in explendo munere adjuvant, ejusque vices agunt *Legati*, qui ita dicuntur, quia ut publice mittantur, leguntur, deindeque legantur, seu ablegantur in provincias et regna, aut ibidem jam existentes constituuntur ad fidei unitatem, et disciplinae ecclesiasticae integritatem tuendam, restaurandamque, aut ad alia negotia ecclesiastica nomine Pontificis administranda. Eorum origo est antiquissima; etenim jam saeculo IV in historia occurrunt Legatorum pontificiorum vestigia. Hi in origine duplicis generis erant, nimirum alii *temporarii et extraordinarii*, ad tempus duntaxat, et extra ordinem ablegati, ut vel unum alterumve negotium expedirent, vel Concilio generali nomine Pontificis praesiderent, eoque finito ad Pontificem redirent; alii *perpetui* et *ordinarii*, qui vel in aula imperatoris jugiter commorabantur, et ibidem Ecclesiae Romanae negotia curabant, de iisque ad Primatem referebant, inde etiam *apocrisarii* et *responsales* dicti; vel ex Episcopis provinciarum electi, Pontificis nomine ampliorem per certas regiones potestatem exercebant, reliquisque Metropolitis superiores erant, proprie *Vicarii Sedis Apostolicae* nominati. Non desunt, qui Claudium illum, Ephebum, Valesium et Fortunatum, quos Clemens I suam ad Corinthios epistolam delaturos misit, in numerum Legatorum Pontificiorum primi generis referunt. Secundi generis Legatum stabilem, ac perpetuum habuit S. Leo M. in aula Imperatoris Constantinopolitani. Hisce antiquiores sunt Vicacarii Apostolici. Innocentius I Praedecessores suos, ut ipse testatur, Apostolicos imitatus, Anysium Thessalonicensem Episcopum Vicarium, seu Legatum suum constituit, eique omnes causas, quae per totum Illyricum orirentur, commisit. Zosimus pro causis Galliarum Episcopo Arelatensi, Gregorius M. pro causis Siciliae Episcopo Syracusano eandem Vicarii Apostolici dignitatem contulerunt (1).

(1) S. Leo ep. 111. ad Marcian. ep. 112. ad Pulcher. Aug., Innocent. I, ep. ad Anysium, Zosimus epist. 5. et 6. ad Hilarium Episcopum, Gregor. M. l. 2. epist. 7. ad Maximian. Ep. Syrac.; Justin. Herming. l. E. t. 1. l. 1. tit. 30., J. Schott. Diss. de Legatis Natis §. 8., Pius VI. Resp. ad Episcopos Germ. de Nunt. Apost.

## §. 99. *Legati nostris temporibus.*

Hodie primo loco occurrunt *Legati nati*, suntque Episcopi Provinciarum, quorum Ecclesiis ex privilegio Sedis Apostolicae munus legationis perpetuo est adnexum ita, ut ad illas cathedras episcopales promoti titulum legatorum natorum nanciscantur. Ejusmodi Legati nati sunt, v. g. Salisburgensis, Pragensis, Strigoniensis, Remensis, Bituricensis, Lugdunensis, Toletanus, Bracarensis, Pisanus. Post Legatos natos veniunt *dati* seu *missi*, qui speciali Summi Pontificis mandato negotiorum causa in exteras provincias mittuntur. Hi, si respicias tempus, ad quod munus legationis confertur, vel sunt *ordinarii*, vel *extraordinarii*; ordinarii morantur in aulis Principum, et dicuntur *Nuntii*; extraordinarii illi vocantur, qui extra ordinem pro certis negotiis eliguntur: si vero potestatem ipsorum spectes sunt vel *Legati a latere*, qui a numero Cardinalium sumpti et quasi a latere Pontificis avulsi pro negotiis duntaxat maximi momenti ad Reges et principes ablegantur; vel *missi sunt cum potestate Legati a latere*, qui quamvis cardinalitia dignitate destituantur, potestatem tamen Legatorum a latere obtinent; denique *missi simpliciter*, hoc est Legati neque Cardinales, neque potestate Legati a latere instructi (1).

## §. 100. *Eorum potestas.*

Potestas Legatorum pontificiorum, praesertim illorum a latere per Decretales attributa olim erat amplissima: nam poterant constitutiones pontificias et canones urgere et instaurare, mores Praelatorum et plebis reformare, statuta perpetua condere, causas electionum examinare, et ad Sedem Apostolicam transmittere. Supra haec Legatorum communia jura Legati a latere jus habebant percussores Clericorum cujuscumque provinciae absolvendi, electiones Episcoporum, et Praelatorum exemptorum confirmandi, horumque caussas agnoscendi, beneficia concurrente cum ordinariis auctoritate in dioecesibus conferendi. Interdictae tamen erant ipsis causae graviores, ex. gr. erectio, unio, divisio episcopatuum, Episcoporumque depositio, aut translatio, item collatio beneficiorum juris patronatus laici, aut electivorum etc. Ceterum utebantur praecipuis insignibus, vestibus purpureis, albo equo etc., iis

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. p. 406., Schrodt. Inst. J. C. t. 1. §. 685.

praesentibus nemini alteri, nec Archiepiscopo, neque Patriarchae crux praeferri potuit; iis advenientibus suspensa erat aliorum Legatorum potestas; procurationes ex provinciis, qnas transibant, solebant exigere. Haec vero Legatorum potestas deinceps Snmmorum Pontificum voluntate, Conciliornm generalium canonibus, observantia, et Concordatis restricta fuit. Cnm Legatorum pontificiorum potestas vicaria sit, hodie ex speciali Pontificis mandato dimetienda est (1).

## SECTIO III.

### DE POTESTATE ECCLESIASTICA RELATE AD ECCLESIAS PARTICULARES.

### CAPUT I.

#### DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS NATIONUM, ET METROPOLITIS.

#### §. 101. *Dignitatis metropoliticae origo.*

Post Romannm Pontificem et Cardinales in hierarchia ecclesiastica caeteris Episcopis auctoritate et dignitate praestant Patriarchae, Primates nationum, et Archiepiscopi, qui olim communiter Metropolitae vocabantur. Quod ad dignitatis metropoliticae originem attinet, inter eruditos non convenit. Nonnulli tuentur eam ab apostolica institutione proficisci, provocantes ad Timotheum, cui Paulus jus concessit adversus presbyteros accusationem recipiendi, et Titum, quem idem Paulus jussit corrigere, quae deessent, et constituere presbyteros (Episcopos) per civitates (2). Ex hisce Apostoli gentium epistolis inferunt, Timotheum judicasse, et Titum instituisse Episcopos; quae jura ad solos metropolitas spectabant. Ast cum jura judicandi presbyteros, et constituendi Episcopos eo tempore omnibus Apostolorum Successoribus communia fuerint, haud possumus originem dignitatis metropoliticae ex apostolica institutione deducere. Neque id probat canon sextus Concilii Nicaeni, cujus haec sunt verba: « Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. » Hic canon Concilii Nicaeni anno 325 ce-

(1) Cap. 8. de offic. Legat. Cap. 25. de Privileg. Cap. de offic. Legat., Vid. Platina de Card. et offic. c. 22. et Giraldum Exp. Jur. Pontific. part. 1. tit. 20. p. 101. et seq., Schenkel, J. C. Sect. I. c. 3. p. 414., Trid. Sess. 24. c. 20. de Ref. (2) I. Tim. 5. 19. ad Tit. 1. 5.

lebrati originem metropoliticae dignitatis repetit non ab Apostolis, sed a consuetudine, quae antiqua dici potest, quin ad Apostolorum aetatem ascendat. Ad verum propius accedere videntur, qui causam, ob quam ea dignitas certis inter alias Ecclesiis obtigerit, partim in *praerogativa sacra*, partim in *praerogativa politica* reponunt. Ita ex primo capite Hierosolymitanus Episcopus, ex secundo Constantinopolitanus, ex utroque Romanus, Alexandrinus, Antiochenus metropoliticam potestatem nacti sunt. Sic pleraeqne metropolitanae Ecclesiae vel utrique, vel certe alterutri natales suos debuerunt ob sequentes rationes. Scilicet cum Ecclesiae ab ipsis Apostolis conditae, vel eorum saltem praesentia nobilitatae, veram et genuinam Christi doctrinam suo haberent gremio reconditam, ad quas in dubiis recurrere oportebat; cum in Synodis particularibus, quae jam saeculo II. celebrabantur, opus esset praeside, et honor praesidendi daretur Antistiti Ecclesiae matricis; cum reliqui Episcopi Praelatum Ecclesiae matricis ceu Patrem venerarentur; cum summae necessitatis videretur, arbitrum seu judicem deligi, qui quaestiones controversas dirimeret; cum saepe reliquis Episcopis in suarum Ecclesiarum causis Metropolium Antistites coram Praetore civili patrocinium impenderent; factum est, ut horum in caeteros auctoritas sensim moribus, cum consensu tacito vel expresso Primatis Ecclesiae induceretur, et quum ad ordinem servandnm plurimum conferret, per Conciliorum etiam canones firmaretur. Non desunt, qui arbitrantur politicae divisionis imperii romani divisionem Episcopatuum et eminentiam Episcoporum respondisse. Olim imperium romanum dividebatur in quatuor *Praefecturas*, nempe *Orientis, Illyrici, Italiae*, et *Galliae*, queis *Praefecti praetorio praeerant.* Praefecturae singulae rursus in *Dioeceses,* atque hae in *Provincias* fuerunt distributae: illas *Proconsules*, vel Vicarii, has *Praesides* gubernabant. Qui urbibus cum sacra potestate praeerant, simpliciter *Episcopi;* qui in Metropoli Provinciae residebant, et caeteris Episcopis auctoritate praestabant, *Metropolitae;* qui in Metropoli Praefecturae, vel Dioeceseos sedem episcopalem tenebant, omnesque totius Praefecturae, vel Dioeceseos Episcopos sibi subjectos habebant, *Exarchae,* aut *Metropolitae Majores* appellati sunt (1).

## §. 102. *Patriarchae.*

Inter Exarchas, seu Metropolitas Majores saeculo III eminebant Romanus, Alexandrinus, et Antiochenus; quibus dein-

(1) Thomassin. P. I. l. 1. c. 3. et seq., Petrus de Marca de Concord. Sac. et Imp., Dupin de antiq. discipl. eccl. §. 8. l. 9. c. 1., Lucius Palestinus Ant. Eccl. l. 9., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 4. §. 268. p. 422.

ceps Hierosolymitanus per canonem VII Concilii Nicaeni I, demum Constantinopolitanus accessit. Exarchis, seu Metropolitis Majoribus saeculo V in Synodo Chalcedonensi titulus *Patriarchae* tributus est, qui Patrum principem denotat. Romanae Ecclesiae Praesul, cujus jura patriarchalia cum juribus Primatus non sunt confundenda, qua Patriarcha Occidentis totum Occidentem, ad quem etiam Africa spectabat, quae jurisdictioni subjectum habebat. Patriarcha Alexandrinus, qui secundum post Romanum locum occupabat, suam jurisdictionem exercebat per Ægyptum, Lybiam et Pentapolim: Patriarchae Antiocheni Dioecesis se estendebat per Orientem proprie sic dictum, nimirum quousque tunc Praefectura Orientis se exporrigebat. Praesuli Hierosolymitano in Concilio Chalcedonensi Act. VII datae fuerunt tres Palaestinae, seu tres Provinciae Palaestinae. Episcopus Constantinopolitanus, Imperatorum favore fretus, patriarchalia jura usurpavit in Pontum, Asiam, et Thraciam. Postquam Sedes Orientalium Patriarcharum in barbarorum manus devenerunt, ne insignium Ecclesiarum memoria oblivione deleatur, Sedes Apostolica Patriarchas in partibus creat, qui Romae commorantur solo insigniti titulo, et Summum Pontificem variis in negotiis adjuvant. Anno 1847 Pius IX, obtento Sultani consensu, Patriarcham elegit, ut Hierosolymis resideat. Praeter Patriarchas majores, dantur etiam minores, uti sunt Venetus, Indiarum, et Ulyssiponensis, qui non procul distant a Primatibus, ac medium locum tenent inter Patriarchas majores, et Metropolitas (1).

### §. 103. *Patriarcharum jura.*

Jura Patriarcharum, olim perampla, erant partim honoris, partim jurisdictionis, praecipua autem sequentia: 1. Post Summum Pontificem, et Cardinales sedebant ordine dignitatis; 2. Crucem praeferebant per universum tractum sui Patriarchatus, nisi occurrisset Ecclesiae Primas, aut ejus a latere Legatus; 3. Metropolitas suae jurisdictioni subjectos ordinabant; 4. Eisdem pallium concedebant, sed postquam illud ipsi ab Ecclesiae Primate adepti fuerant; 5. A sententiis Metropolitarum appellationes accipiebant; 6. Metropolitas, eorumque suffraganeos censuris afficiebant; 7. Synodos convocabant, eisque praesidebant; 8. Totum patriarchatum visitabant; 9. Relationes

(1) Ruttenstock H. E. t. 2. p. 87-100., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 4. p. 421-423., Devoti Inst. J. C. Sect. III. §. 33-38. p. 193-201.

in materia fidei, morum, et disciplinae exigebant; 10. Tandem curam supremam omnium provinciarum sui patriarchatus gerebant (1).

### §. 104. *Primates nationum.*

Primatis nomen quondam Metropolitis, Exarchis, Patriarchis commune erat. In Africa singularis vigebat mos; scilicet senior cujuscumque provinciae Episcopus erat Primas, excepta Ecclesia Chartaginensi, cujus Antistes semper et nomine et juribus Primatis insignitus erat. Secundum hodiernam disciplinam Primates nationum medium quasi locum tenent inter Patriarchas et Metropolitas, et praesunt Metropolitis unius regni, vel nationis. Hujusmodi sunt Antistites Venetus pro Dalmatia, Salisburgensis pro Germania, Leopolitanus pro Gallitia, Strigoniensis pro Hungaria etc. Illorum jura olim Patriarchis similia erant; hodie praeter honoris praerogativam vix aliquid ex iis superest, si Primatem Hungariae demas, qui insignibus gaudet juribus tam ecclesiasticis, quam civilibus. Ille enim ex concessione Nicolai V intra limites suae jurisdictionis, in tota nempe Hungaria visitat et reformat in spiritualibus et temporalibus monasteria et alia loca ecclesiastica etiam exempta, Synodos cogit nationales, appellationes a Metropolitis suscipit, eidem in toto Hungariae regno crux antefertur, est supremus Comes Comitatos Strigoniensis, summus Secretarius et Cancellarius regni, et jus habet Regem coronandi (2).

### §. 105. *Metropolitae.*

Olim Metropolitae dividebantur in majores et minores; majores erant Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, minores Ephesinus in Asia, Caesareensis in Cappadocia, Heracleensis in Tracia etc. Majores Metropolitae vocabantur etiam Archiepiscopi, qui titulus post saeculum circiter VIII omnibus Metropolitis communis evasit. Secundum hodiernam disciplinam Metropolitae nomen ille Episcopus gerit, qui a Sede Apostolica ad talem dignitatem evehitur, et in aliqua provincia Metropoli residet, seu in civitate praecipua, quae tamquam mater aliarum consideratur. Metropolitae appellantur etiam Archiepiscopi, seu Principes Episcoporum, quia primi sunt omnium Episcoporum

(1) Devoti Inst. J. C. t. 1. Sect. III. p. 200, 201., Schenkel J. C. Sect. I. c. 4. (2) Concil. Afric. cap. 65. apud Pithoeum, Cod. Can. vet. Eccl. Rom. p. 160., S. Aug. ep. 119. num. 5. col. 1013. c. 2., Bingham. Orig. et ant. eccl. l. 2. c. 16. 17. §. 6. 9., Zallwein. l. 3. q. 1. c. 2.

suae provinciae. Episcopi jurisdictioni unius Metropolitae subjecti vocantur Suffraganei. In terris germano-austriacis praecipui Metropolitae sunt : Salisburgensis , Viennensis , Olomucensis , Leopolitanus, Pragensis, Goritiensis, cujus Suffraganei sunt Episcopi Tergestino-Justinopolitanus, Parentino-Polensis, Valiensis, et Labacensis (1).

## §. 106. *Metropolitarum jura.*

Metropolitarum , seu Archiepiscoporum jura ex veteri disciplina erant amplissima ; nam: 1. Episcopos provinciales confirmabant et consecrabant ; 2. Concilia provincilia cogebant , iisque praesidebant ; 3. Episcopos negligentes admonebant , accusatos in Synodo provinciali judicabant, et extra provinciam peregrinantibus literas formatas dabant ; 4. A sententiis Episcoporum sibi subjectorum appellationes recipiebant; 5. Relationes de negotiis gravioribus exigebant; 6. Provinciam visitabant; 7. Episcopos censuris afficiebant; 8. Omnium ad salutem totius provinciae pertinentium curam gerebant. Mutata Ecclesiae disciplina Metropolitarum jura fuerunt valde diminuta. Hodie Metropolitae sequentia jura habent: 1. Jus Episcopos sibi subjectos ad erigenda in propriis Dioecesibus Seminaria excitandi , et desides in hoc negotio corripiendi; 2. Jus supplendi Suffraganeorum negligentiam in conferendis beneficiis, administratione justitiae , puniendisque criminibus ; 3. Jus eos monendi , et censuris ecclesiasticis perstringendi, excepta tamen excommunicatione et depositione, quod Sedi Apostolicae est reservatum ; 4. Jus examinandi et approbandi causas absentiae Suffraganeorum a suis dioecesibus , eosque , qui ultra annum absunt, Summo Pontifici denuntiandi ; 5. Jus eos ad residendum in propria dioecesi compellendi; 6. Jus recipiendi appellationes a judiciis Episcoporum subjectorum; 7. Jus singulis trienniis Synodum provincialem convocandi ; 8. Jus ex causa in Synodo cognita et probata dioeceses Suffraganeorum visitandi; 9. Jus sede episcopali vacante Vicarium Capitularem constituendi, si id intra octo dies Capitulum Ecclesiae Cathedralis neglexerit (2).

## §. 107. *Metropolitarum insignia.*

Metropolitarum , seu Archiepiscoporum insignia sunt duo, nimirum *Crux* et *Pallium.* Crux Metropolitarum duplici, crux

(1) Cap. Scitote 2. caus. 6. q. 3. (2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1, 2, 3, 5, 18. c. 3. de appell. in 6. c. 5. de neglig. Episcop. suppl. c. 1. de censibus, in 6. §. Sane., Thomassin P. I. l. c. 40 n. 7. et 14., Bringham. l. 1. c. 16. §. 12. seqq.

Patriarcharum triplici ligno transverso distincta, illis solum in provincia sibi subjecta, his ubique, nisi in urbe Romana, aut praesente Legato dignitatis pontificiae insignibus ornato, praeferri solet. Crux praefertur etiam Regi Hungariae in signum apostolicae legationis, quam S. Stephanus pontificia largitate consequutus est, quamque noviter confirmavit Clemens XIII brevi apostolico ad imperatricem Mariam Theresiam dato. Pallii *origo* est obscura: illud genus vestimenti imperatori proprium, ab hoc Patriarchis concessum, demum ad alios Episcopos transiisse nonnulli autumant; at nullo historico documento haec opinio firmari potest. Ob antiquorum monumentorum defectum statuere haud possumus, quo primum tempore Romani Pontifices Metropolitis pallium attribuere coeperint. Hoc certum est, Symmachum, qui initio saeculi VI Pontificatum gessit, pallium misisse ad Theodorum Laureacensem Episcopum, uti patet ex ejus epistola 11, in qua fatetur, se pallium indulgere *more majorum*. Inde intelligitur, Pallii a Sede Apostolica obtinendi jam tunc morem fuisse plane veterem. *Forma* et *materia pallii* variis temporibus varia fuit. Hodie pallium est fascia ex lana candida texta quatuor circiter digitorum, quae in modum circuli humeros Praelati cingit, duas lineas habet ad pectus et a tergo pendentes, et sex cruces purpurei aut nigri coloris. Ut pallium firmius capulae inhaereat, infiguntur tres acus aureae, lapidem praetiosum in capita habentes. Pallia singulari solemnitate praeparantur. Die S. Agnetis 21 Januarii, ministri ecclesiastici Summi Pontificis curam gerunt, ut duo candidissimi agni habeantur, qui supra equum hinc et inde duabus clitellis impositi prius ad palatium vaticanum, ubi Papa e fenestra eis benedicit, deinde ad Ecclesiam S. Agnetis deferuntur. In Missa solemni, dum *Agnus Dei* cantatur, offeruntur; quo facto a duobus Canonicis Ecclesiae Lateranensis eorum cura committitur supradictis ministris, seu Subdiaconis apostolicis, qui privatis interim pascuis servant, lanam per Moniales in filum duci, et pallia confici curant. Confecta pallia pro re nata a Summo Pontifice benedicuntur, et peracta benedictione integra nocte relinquuntur super sepulchro S. Petri, unde desumpta et arculae imposita supra Cathedram, in qua S. Petrus Romae primum sedit, usibus futuris asservantur. Ex his intelligitur, quid sibi velit haec phrasis: « Pallium de corpore B. Petri desumptum. »

## §. 108. *Statuta de pallio.*

Statuta de pallio *modum petendi*, *usum*, *locum*, et *tempus* respiciunt. *Pallium peti* debet intra tres menses a die consecra-

tionis, et quidem instanter, instantius, instantissime, idest tam necessario, ut ante illud obtentum Archiepiscopus neque functiones episcopales per seipsum, neque jura metropolitica exercere, neque titulo Archiepiscopi uti queat; quae petitio iteranda est quoties Metropolita ad aliam sedem paris dignitatis transfertur. Olim omnes Archiepiscopi ad limina Apostolorum ire debebant pallium petituri; hodie longinqui petunt per procuratorem. Pontifex precibus annuens Cardinali Diacono committit, ut praesentem Archiepiscopum pallio exornet; quae caeremonia plerumque in Basilica S. Petri peragitur. Praelatus ad altare accedens formula veteri sibi indulgeri petit hisce verbis: « Ego N. electns Ecclesiae N. instanter, instantius, instantissime peto mihi tradi, et assignari pallium de corpore B. Petri desumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii. » Tum Cardinalis acceptum pallium imponit humeris petentis, dicens: « Ad honorem omnipotentis Dei, et Divae Mariae semper Virginis, atque BB. Apostolorum Petri et Pauli, nec non Ecclesiae tibi commissae tradimus tibi pallium de Corpore B. Petri desumptum, in quo est plenitudo prontificalis officii cum patriarchalis, tum archiepiscopalis nominis appellatione, ut utaris eo inter tuam Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. » Absentibus pallium imponitur per Antistitem a Summo Pontifice ad id delegatum. Jure communi pallium conceditur Archiepiscopis, et per privileginm aliis quoque Episcopis, salva tamen erga Metropolitam subjectione. *Usus pallii* est personalissimus adeo, ut illud nec commodare alteri vivus, nec successori relinquere moriturus, nec translatus prioris usum retinere possit; pallium cum Antistite sepeliri debet. Quod ad *locum* attinet solus Papa potest in universa Ecclesia propter jurisdictionis Primatum pallio uti: Archiepiscopus vero extra suam provinciam pallio nti nequit. Solus Pontifex utitur pallio *quovis tempore;* Archiepiscopis et Episcopis autem sunt certa *tempora statuta*, et quidem sequentia: Nativitas, Circumcisio, Epiphania Domini, Dominica Palmarum, Feria V in Coena Domini, Sabatum Sanctum, Pascha, Dominica in Albis, Ascensio Domini, Pentecostes, Festum Corporis Christi, festa majora B. V. Mariae, festum Omnium Sanctorum, festa Apostolorum, Dedicatio Ecclesiarum, Ordinatio Clericorum, Consecratio Episcoporum, anniversaria dies dedicationis Ecclesiae etc. (1).

(1) Barthol. opusc. jurid. t. 2. ep. I., Schnudt J. C. t. 1. §. 101., Schenkel J. C. Sect. I c. 4. p. 431., Devoti Inst. J. C. t. 1. Sect. III. §. 42. p. 207-209.

# CAPUT II.

## DE EPISCOPIS.

### ART. I.

### DE ORIGINE, QUALITATIBUS, JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

### §. 109. *Origo Episcoporum.*

Episcopus est vox graeca significans inspectorem, quia cujusvis Antistitis munus est inspicere, seu populo sibi commisso invigilare, ne lupi rapaces agnos Jesu Christi devorent. Episcopi sunt originis divinae, utpote Sanctorum Apostolorum successores. Eos revera esse Apostolorum successores patet ex *S. Scriptura*, *ex Traditione*, et *Concilio Tridentino*. S. Petrus scribens ad Episcopos Orientis ita loquitur: « Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro ego consenior ...... pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem coronam gloriae. » (1) *Consenior* significat ejusdem apostolatus dignitatis, ejusdemque ministerii participem esse. *Pascere* gregem Dei idem est ac regere fideles. Illi ergo Episcopi, ad quos scribebat D. Petrus, habebant eandem dignitatem et potestatem apostolatus, hoc est in apostolatu erant, quod erat Petrus, pari consortio honoris et potestatis praediti; idcirco erant veri Apostolorum successores. S. Paulus Mileto discedens Episcopis congregatis dixit: « Attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritur Sanctus vos posuit *Episcopos regere* Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. » (2) Teste Paulo illi Episcopi erant potestate praediti regendi Ecclesiam Dei, idest leges ferendi, judicandi et puniendi; atqui talem potestatem a Christo acceperunt Sancti Apostoli: ergo Episcopi erant Apostolorum Successores. S. Hieronymus in epistola ad Evagrium ita loquitur: « Episcopus ubicumque sit, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli.... ejusdem est meriti, ejusdem Sacerdotii. Omnes sunt Apostolorum successores » (3).

(1) I. Pet. 5. 2. (2) Act. 20. 28. (3) S. Hier. ep. ad Evagr., Et alibi ep. 53. et 85.

« Apud nos Apostolorum locum tenent Episcopi: et Episcopi omnes Apostolorum successores sunt. » Tandem Concilium Tridentinum (1) definivit: « Sacrosancta Synodus declarat, praeter caeteros apostolicos gradus, Episcopos, qui in *Apostolorum locum successerunt*, ad hunc hierarchicum Ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. » Inter Apostolos et Episcopos hoc intercedit discrimen: 1. Apostoli fuerunt a Christo Domino immediate electi, Episcopi vero mediate; 2. Apostolorum potestas fuit universalis, Episcoporum est ad dioeceses restricta; 3. Singuli Apostoli erant dono inerrantiae praediti, non vero singuli Episcopi; 4. Apostoli habebant potestatem miracula patrandi, uti testatur Paulus (2) « Signa Apostolatus mei facta sunt in prodigiis et virtutibus; » quae potestas ordinarie in Episcopos non transiit (3).

### §. 110. *Qualitates Episcoporum.*

Quanto excellentior est Episcoporum dignitas, tanto sublimiores qualitates, virtutesque requirit. Concilium Tridentinum (4) exigit: 1. Ut assumendus ad Episcopatum sit legitimis natalibus ortus; 2. Ut habeat aetatem 30 annorum; 3. Ut probis moribus sit praeditus; 4. Ut in ordine sacro saltem sex mensium spatio fuerit constitutus; 5. Ut scientia, quae muneri par, theologiae, vel juris canonici doctoratu, aut licentiatu, aut Accademiae ipsum ad alios docendos idoneum testantis elogio instructus inveniatur; 6. Ut denique de his omnibus accuratissima fiat inquisitio, servata forma legitima, et desuper instrumentum publicum conficiatur. Praeter has qualitates, juxta S. Paulum, Episcopus debet esse sine crimine, sicut Dei dispensator, non superbus, non iracundus, non vinolentus, non percussor, non turpis lucri cupidus, non litigiosus, sed hospitalis, benignus, sobrius, humilis, mansuetus, justus, sanctus, doctus, continens, suae domui bene praepositus, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere (5).

### §. 111. *Episcopi immediate a Christo habent potestatem.*

Episcoporum potestas est duplex, Ordinis nimirum et jurisdictionis; utraque eis obvenit immediate a Christo per

(1) Sess. 23. cap. 4. de Sacram. Ord. (2) II. Cor. 12. 12. (3) Bened. Stattler. Vera Herosolyma §. 158. (4) Sess. 22. Cap. 2. (5) Ad Tim. c. 3., ad Tit. c. 1.

canalem sacrae Ordinationis. Nam Christus ipsemet omnibus Apostolis dixit: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis. » (1) « Euntes ergo doceto omnes gentes baptizantes eos etc. » (2) « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos - Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. » (3) Propterea Paulus dicit, suum apostolatum esse non ab hominibus, sed a Deo. (4) Inde colligitur, Episcopos tanquam Apostolorum successores potestatem a Deo habere Primati Ecclesiae subordinatam. S. Petri Successor, qui a Christo plenam accepit potestatem in universum dominicum gregem, Episcopum ordinatum in vineam Domini mittere debet. Mittitur autem cum Summus Pontifex ei objectum jurisdictionis, idest aliquam dioecesim assignat. Nisi Episcopus consecratus a Primate Ecclesiae gregis dominici portionem accipiat, nequit valide jurisdictionem in sacra ordinatione acceptam exercere. Quemadmodum Sacerdos simplex, excepto casu necessitatis, non potest valide exercere internam jurisdictionem, nisi Episcopus ei assignet objectum; ita Episcopus nequit jurisdictionem externam exercere, nisi a Primate Ecclesiae accipiat dioecesim. Quam ob rem Concilium Tridendentinum (5) definivit: « Si quis dixerit eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati et missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi Dei, et Sacramentorum ministros anathema sit. » Item can. 8. « Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur non esse veros et legitimos Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. »

### §. 112. *Divisio jurium episcopalium.*

**Praeter jura, quae universam Ecclesiam respiciunt v. g. ex institutione divina ad Concilia generalia comparendi, suffragium liberum et decisivum dandi, leges ibi universam Ecclesiam obligantes condendi, sive in Concilio congregati, sive per orbem dispersi de rebus fidei et morum judicium infallibile ferendi, Episcopi intuitu propriarum dioecesium, qua Rectores et Pastores Ecclesiarum suarum potestate Ordinis et jurisdictionis praediti, propria habent jura, quae dividi solent in jura. 1. Ordinis, 2. Regiminis interni, 3. Regiminis externi, 4. Status seu dignitatis, 5. Legis dioecesanae.**

(1) Matth. 18. 18. (2) Matth. 18. 18. (3) Joan. 20. 21. 23.
(4) Gal. I. 1. (5) Sess. 23. can. 7.

### §. 113. *Jura Ordinis.*

Ad jura Ordinis episcopalis, praeter ea, quae cum Presbyteris habent communia, pertinet: 1. Jus privative administrandi Sacramentum Ordinis; 2. Jus conferendi Sacramentum Confirmationis, saltem quoad potestatem ordinariam; 3. Jus conficiendi S. Crisma in Coena Domini; 4. Jus consecrandi Ecclesias, altaria, vasa cultui ecclesiastico necessaria, campanas, et in genere peragendi omnes benedictiones, in quibus unctio crismatis intervenit; 5. Jns benedicendi Abbates, Abbatissas, S. Virgines, Reges, Coemeteria, aliaque loca (1).

### §. 114. *Jura regiminis interni.*

Jurisdictio episcopalis duplex est, interna nempe et externa. Ratione regiminis interni Episcopo eminenter competit potestas ligandi et solvendi in foro conscientiae, seu Sacramentum poenitentiae administrandi, indulgentias partiales concedendi, irregularitates et suspensiones ex delicto occulto provenientes, dempta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, tollendi in tota sua dioecesi; nam Episcopus in sua dioecesi est primus omnibusque superior Pastor animarum, reliqui vero Presbyteri ejus tantum adjutores. Item Episcopus jus habet reservandi sibi quosdam casus ita, ut absolutio Presbyteri absque Episcopi permissu, excepto casu necessitatis, nulla sit et irrita, sicut definivit Concilium Tridentinum (2) « Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit » (3).

### §. 115. *Jura regiminis externi.*

Ad jura jurisdictionis externae, quae potestatem legislatoriam, inspectoriam, judiciariam et coactivam complectitur, revocantur: 1. Jus pro tota dioecesi condendi leges, quas subditi in conscientia observare obligantur; 2. Dispensandi in iisdem, in decretis Synodorum provincialium, nec non in legibus Conciliorum generalium, quando Dioeceseos urget necessitas aut insignis utilitas, et recursus ad Sedem apo-

(1) Cf. F. A. Frey P. II. §. 208. (2) Sess. 14. Can. 11. (3) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6., Sess. 14. Can. 11.

stolicam est impeditus; 3. Invigilandi super doctrina fidei et morum, ac judicium saltem interim in dioecesi valiturum ferendi. 4. Causas omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes agnoscendi et decidendi; 5. Infligendi poenas ecclesiasticas, excommunicandi, et communioni restituendi; 6. Largiendi Indulgentias partiales; 7. Synodum dioecesanam convocandi; 8. Visitandi totam dioecesim; 9. Jus beneficia conferendi intra limites dioeceseos, vel saltem praesentatos aut nominatos a patronis instituendi; 10. Jus novas parochias erigendi, beneficia uniendi, parochis inhabilibus vicarios substituendi, beneficiarios dissolutos beneficiis privandi; 11. Jus cultum publicum dirigendi; 12. Loca etiam exempta ex delegatione Sedis apostolicae invisendi; 13. Tandem jus bona ecclesiastica administrandi (1).

### §. 116. *Jura status, seu dignitatis.*

Jura status seu dignitatis episcopalis censentur: 1. praeeminentia ante omnes Presbyteros, quia Episcopi dignitate sunt Presbyteris superiores; 2. Tituli honorifici, v. g. vocantur apostolorum successores, Summi Sacerdotes, Principes populi, Praepositi et Antistites, Angeli Ecclesiae etc.; 3. Insigna propria throni, mitrae, pedi, annuli, crucis pectoralis, chirothecarum, tunicellae, sandaliorum etc.; 4. praesente Episcopo alter Praelatus non audet uti baculo (2).

### §. 117. *Jura legis dioecesanae.*

Ad legem dioecesanam refertur jus exigendi. 1. *Inthronisticum,* seu subsidium charitativum, quod ex causa rationabili dabatur Episcopo in die consecrationis ejus; 2. *Cathedraticum*, seu pensionem annuam ex Ecclesiis et beneficiis in signum subjectionis, et honoris Ecclesiae cathedralis; 3. *Quartam decimarum et mortuariorum*, ex antiqua bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes divisione ortam, et *portionem canonicam dictam*: haec erat quarta pars decimarum, vel legatorum ad usum indeterminatum Ecclesiis obvenientium, ac praesertim bonorum beneficialium a clericis decedentibus relictorum; 4. *Procurationem canonicam*, seu congruam Episcopi intertentionem quoad hospitium et victum occasione visitationis canonicae. Priora tria jura quasi ubique locorum ex-

(1) Concil. Trid., Element. J. C. P. II. §. 93., Vid. Schenkel Inst. J. C. Sect. I. I. Cap. 5. §. 283. (2) Bingham Orig. eccl. vol 1. l. 2. c. 2., Lucius Paleotinus.

bleverunt. Circa procurationem canonicam vero Concilium Tridentinum haec statuit: *a*) Praeter frugalem victum nihil prorsus sub quocumque obtentu possunt visitatores exigere, aut acceptare: *b*) Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum; an vero praedicta victualia ministrare. *c*) In iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Amplius aliquid accipere praesumentes praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam aliis etiam poenis... juxta Concilii generalis Lugdunensis Constitutionem, quae incipit « Exigit » nec non et aliis poenis in Synodo provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniae mulctentur (1).

## §. 118. *Obligationes Episcoporum.*

Episcoporum obligationes sunt gravissimae et multiplices. Episcopi obligantur 1. residere personaliter in propria dioecesi sub gravis peccati reatu, excepto casu necessitatis, ubi eis extra dies festos Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, ob justas causas, quales forent christiana charitas, urgens necessitas, debita Superioribus obedientia, evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas, ad duos vel tres menses, ut abesse possint, conceditur: sex vero mensibus absentes quarta fructuum parte privantur ipso jure, qui pauperibus vel Ecclesiae sunt erogandi; longius abfuturi etiam Summo Pontifici sunt denuntiandi; 2. VerbumDei praedicare per se, et non per alios, nisi legitime impediti; quod munus Episcopis ita proprium est, ut antiquis temporibus illi soli praedicaverint, et hodie alii Clerici absque Episcopi venia et consensu sermones habere prohibeantur; 3. Curare cultum divinum, defendere Religionem, invigilare ne abusus committantur in administratione Sacramentorum, et inquirere diligenter non solum in libros, qui in lucem prodeunt, sed etiam in principia, quae in scholis traduntur; 4. Omni triennio visitare dioecesim per se, vel per alium, si adsit impedimentum, in qua visitatione omnia ad morum correctionem pertinentia sine strepitu judicii per Episcopum sunt peragenda ita, ut quae decreverit firma maneant, nec eorum vis per appellationem suspendi possit; 5. Dare omnibus exempla frugalitatis, modestiae, humilitatis, charitatis, puta evan-

(1) F. A. Frey P. II. §. 216-220., Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. de Ref. C. 2. de Censibus in 6.

gelicae perfectionis; 6. Commendare dignitatem suam morum gravitate, nec erga Regum ministros Regulos Baronesve indigna demissione se gerere, nec eis personaliter deservire (1).

## ARTICULUS II.

### DE ADJUTORIBUS ET VICARIIS EPISCOPORUM.

§. 119. *Diversa illorum genera.*

Quemadmodum Summus Pontifex in regenda universa Ecclesia Adjutoribus et Vicariis indiget, ita quoque Episcopi, praesertim ab iliis temporibus, quibus dioecesium limites dilatati fuere. Ex adjutoribus et Vicariis Episcoporum alii functiones liturgicas obeunt, alii jurisdictionem exercent, suntque sequentes; 1. Episcopi titulares, et Vicarii in pontificalibus; 2. Chorepiscopi; 3. Coadjutores Episcoporum; 4. Archipresbyteri; 5. Decani rurales; 6. Archidiaconi; 7. Officiales, et Vicarii generales; 8. Consistoria episcopalia. Jam de singulis disserendum.

§. 120. *Episcopi titulares et Vicarii in pontificalibus.*

*Episcopi titulares,* seu *in partibus* illi vocantur, qui titulum gerunt alicujus Ecclesiae ab infidelibus occupatae. Origo ipsorum repetitur a tempore expeditionum cruciatarum saeculo XII susceptarum, quo in Ecclesiis Orientis praeter Episcopos graecos schismaticos, etiam latini constitui coeperunt, ita ut unus esset graecus, alter latinus. Postquam illae regiones a Mahumedanis fuerunt occupatae, Romani Pontifices, ne memoria obliteraretur, ad titulos illarum Ecclesiarum deperditarum Episcopos ordinare non destiterunt, licet non possint amplius in illis residere. Hodie plerumque ordinantur ad operas subsidiarias Summo Pontifici, vel aliis Episcopis praestandas. Nominantur ab Episcopis, qui eorum opera uti volunt, et ab Ecclesiae Primate confirmantur, assignata eisdem aliqua Ecclesia in partibus infidelium. Hi sunt veri Episcopi, episcopali tum ordine, tum jurisdictione praediti; attamen jura episcopalia, quae ad dioecesim adstricta sunt, exercere absque consensu Episcopi loci ordinarii non possunt. In Hungaria rex apostolicus, jure patronatus regii nominat Episcopos titulares pro Ecclesiis, quae olim spectabant ad Hungariae regnum, nunc vero sunt sub jugo Turcarum. Episcoporum titularium, qui olim ex Regularibus persaepe as-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 1., Sess. 6 cap. 2., Sess. 5 cap. 2., Sess. 25. cap. 1. et 17., Sess. 24. cap. 10.

sumebantur, antiquus jam est in Germania usus; etenim in Synodo Coloniensi anno 1322 subscripsit Hermannus Hennensis Episcopus, Adolphi Leodiensis Procurator, qui ab Adolpho dicitur: « vices nostras gerens in pontificalibus. » Plerique Germaniae Episcopi, eoquod ampliores dioeceses obtineant, Episcopos titulares, seu suos in iis, quae ad officia ordinis episcopalis pertinent, Vicarios sibi adsciscunt; unde communiter vel eorum Suffraganei, vel Vicarii in pontificalibus appellantur (1).

### §. 121. *Chorepiscopi.*

*Chorepiscopi*, a *χωρῳ vico*, *ruri*, quod ruri Episcoporum vices agerent, dicti, jam saeculi IV initio memorantur in Conciliis Ancyrano an. 314, Nicaeno I. anno 325, et Antiocheno anno 341 celebratis. Chorepiscopi, uti probabilior fert sententia, erant Presbyteri, quibus Episcopi munus committebant ruri vices eorum agendi; saepius tamen accidit, ut veri quoque nominis Episcopi sedibus suis a persecutoribus ejecti ad id muneris assumerentur. Hi in suae potestatis exercitio toti ab Ordinarii pendere debebant arbitrio: nec ordines, etsi essent Episcopi, nisi forte minores, quibus olim accensebatur subdiaconatus, absque expressa Ordinarii facultate conferre poterant. Singuli Chorepiscopi plures curabant Ecclesias, easque lustrabant, et clericis ruralibus in aliam dioecesim abeuntibus literas *pacificas* dabant, quibus testabantur, clericum pace Episcopi sui fuisse dimissum. In genere chorepiscopi iisdem fere juribus, quae hodie vicarii foranei exercent, gaudebant. At cum potestatis suae limites transilirent, et jura Episcoporum invaderent, saepe coerciti, denique saeculo IX abrogati in eorumque locum alii Episcoporum Vicarii substituti sunt (1).

### §. 122. *Coadjutores.*

*Coadjutor* is dicitur, qui Episcopo infirmitate, senio, aliave causa impedito, quominus munia sua obire possit, in exequendo munere episcopali socius adjungitur. Coadjutores sunt originis antiquissimae. Primum Coadjutorum exemplum habetur in Ecclesia Hierosolymitana, ubi Coadjutor datus fuit Alexander Narcisso, qui annos natus erat centum et viginti. Prae caeteris autem illustre est exemplum S. Augustini, qui Valerio

(1) Schenkel. Inst. J.C. Sect. I. c. 7. p. 448. §. 291., Sartori t. 2. c.39. §. 1123., Thomassin P. I. l. 1. c. 28. n. 4. (2) Concil. Ancyr. c. 13., Thomassin de V. et N. Discipl. P. I. l. 2. c. 1. et 2., Schenkel Sect. I. c. 7. p. 293. p. 450., Devoti Inst. J. C. t. 1. p. 218. §. 50.

Episcopo Hipponensi malae valetudinis, seniique causa Coadjutor accessit. Coadjutores sunt duplicis generis, alii *perpetui*, qui dantur cum jure successionis, alii *temporales*, qui ad tempus tantum conceduntur. Perpetui nominantur et eliguntur ab iisdem, qui alias jus habent Episcopos nominandi et eligendi; confirmandi tamen sunt a Romano Pontifice: temporales assumi possunt ab Episcopis, qui eorum opera indigent, cum consensu Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium. Si autem Episcopus esset mentis impos, tunc solum Capitulum Ecclesiae Cathedralis Coadjutorem dare potest, in cujus electione duae saltem tertiae partes votantium eligendo suffragentur necesse est. Coadjutor perpetuus in Episcopatum nondum vacantem nonnisi *jus ad rem*, ut ajunt, habet, id est jus mortuo Episcopo succedendi. Coadjutor temporalis, non perpetuus, ex Ecclesiae redditibus est sustentandus. Quod ad jura attinet, Coadjutor ad Episcopum sublevandum adscitus in regula habet potestatem peragendi omnia, quae Episcopus peragere aut non vult, aut non potest; iis vero negotiis, quae adjutus perficere ipsemet vult, aut valet, Coadjutor se ingerere non debet. Generatim ad definienda jura Coadjutorum episcopalium respicere oportet ad finem, ob quem Episcopo dantur, et ad literas apostolicas, in quibus solent eorum jura definiri (1).

## §. 123. *Archipresbyteri.*

In functionibus ordinis sacerdotalis Episcopo vicariam operam navabant olim *Archipresbyteri*, quorum nomen jam saeculo IV. in variis monumentis ecclesiasticis occurrit. Officium Archipresbyteri ordinarie illi ex presbyteris, qui ordinationis tempore caeteros praeibat, fere proprium censebatur, nec nisi extra ordinem alteri commissum fuit. Erant autem duplicis generis, nimirum *urbani*, et *rurales*, subinde Archipresbyteri *plebani*, *christianitatum* dicti, ac in praecipuis solum ruris Ecclesiis collocati. Posteriores saeculo primum VI. nati esse videntur, quia scriptores tantum bujus aetatis eorum faciunt mentionem. Munus Archipresbyterorum urbanorum, seu Ecclesiarum Cathedralium erat absente vel impedito Episcopo ordinis presbyteralis functiones liturgicas per

(1) Henricus Valesius in Euseb. l. 6. c. 11. p. 268., Passidius in vit. S. Aug. c. 8. col. 292. t. 10. opp. S. Aug., S. Aug. ep. 213., Vid. Devoti Inst. J. C. Sect. V. §. 46. p. 214. et Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 7. §. 294. p. 451.

agere, peccatorum publicae poenitentiae subjectorum curam gerere, clericos in sacris officiis dirigere, eorumque mores observare. Verum nostris temporibus Archipresbyteri urbani non dantur amplius, et aliqua eorum jura in Decanum Capituli Cathedralis fuerunt translata. Archipresbyteri rurales habebant tractum sibi commissum, qui vocabatur *Archipresbyteratus*: ad eorum jura spectabat: 1) Jus conferendi sacramentum baptismatis, solis Ecclesiis Cathedralibus proprium, atque ideo Ecclesiae ipsis commissae nominabantur Archipresbyterales, plebanae, baptismales; 2) Jus regionis suae candidatos Episcopo ad ordines praesentandi: 3) Parochos sibi subordinatos in beneficii possessionem mittendi, eorumque fidei professionem excipiendi; 4) Jus iisdem, ac eorum plebi invigilandi; 5) Canonum executionem urgendi; 6) Ecclesias sui districtus visitandi; 7) Parochos in expletione morum officiorum negligentes ad Episcopum deferendi; 8) Synodos archipresbyterales congregandi, eisque praesidendi. Cum Archipresbyteri rurales essent Vicarii nati, et haberent jura definita, in horum exercitio independentiam ab Episcopo affectare coeperunt; quam ob rem titulus iste multis in locis fuit abolitus (1).

## §. 124. *Decani rurales.*

In locum Archipresbyterorum ruralium in dioecesibus, ubi titulus hic evanuit, substituti fuerunt *Decani rurales*, hoc solo discrimine, quod illi fuerint Vicarii Episcopi nati, hi sint dati. Decani rurales, alias etiam Vicarii foranei, Commissarii Episcopales appellati, fuerunt ita nominati, quia decem parochiis ruralibus ordinarie praesunt. Munus Decani ruralis confertur et adimitur ad arbitrium Episcopi. Decani rurales nomine et mandato Episcopi: 1) Parochos in possessionem beneficiorum immittuut; 2) Inspiciunt litteras clericorum, qui a Concistorio ex alio districtu ad eorum Decanatum mittuntur; 3) Defunctis parochis funebria persolvunt; 4) Observant mores parochorum et clericorum intra suas decanias, errores minoris momenti corrigunt, graviores ad Episcopos deferunt; 5) Capitulis parochorum praesident; 6) Visitant suum decanatum, ac relationem Episcopo desuper faciunt; 7) In causis majoribus, ipsis committitur, ut testes audiant, ad Episcopum deferant, suamque sententiam apponant; 8) Nonnunquam in casibus extraordinariis modo provisorio aliquid sta-

(1) C. 1. 2. 3. p. offic. Archipr., Thomassin P. I. l. 2. c. 3.

tuere possunt, quando res moram non patitur, ut Episcopi sententia expectetur. Quia non ubique paria sunt eorum jura, ex cujusvis dioecesis statutis, moribus, aut mandati specialis formulis veniunt aestimanda (1).

## §. 125. *Archidiaconi.*

Ad Vicarios et Coadjutores Episcoporum, qui partem aliquam jurisdictionis exercent, spectant potissimum *Archidiaconi* jam saeculo IV. in Ecclesia memorati. Olim Archidiaconus ille erat, qui inter Diaconos primatum habebat, et eligebatur ab Episcopo non secundum ordinationis aetatem, sed pro meritis, et praecipua rerum gerendarum dexteritate. Cum Archidiaconorum potestas ampla esset, etiam Presbyteri hanc dignitatem ambire coeperunt; quam ob rem a saeculo VII. saepe ex ordine Presbyterorum eligebantur. Archidiaconi erant Vicarii Episcopi nati, quia in Corpore Juris Canonici integer existit titulus, ubi definiuntur eorum jura. Immo sic crevit Archidiaconi auctoritas, ut non solum vicarius Episcopi natus fuerit, sed etiam Episcopi oculus appellatus. Ob quam elevatam auctoritatem et dignitatem Archidiaconus anteferebatur Archipresbytero, et Archipresbyter Archidiaconi jurisdictioni subjacere tenebatur. Archidiaconatus praelaturis, praesertim praeposituris Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Collegiatarum erant annexi. Sicut Archipresbyteri pluribus praeerant parochiis, ita Archidiaconi plures districtus ecclesiasticos, seu archipresbyteratus sub se habebant. Quod ad potestatem ipsorum attinet, Archidiaconi: 1) Colligebant oblationes et proventus ecclesiasticos, eosque inter clericos, pauperes et Ecclesias distribuebant; 2) Sacris ordinibus initiandos examinabant, examinatos Episcopo sistebant; 3) Parochos corporaliter, ut ajunt, instituebant; 4) Causas leviores omnes, et lites etiam contra Archipresbyterum dijudicabant; 5) Clericos delinquentes puniebant; 6) Ecclesias sibi subditas visitabant; 7) Synodos *Archidiaconales*, et quod laici quoque ad eas accedendum esset, *laicales* dictas, celebrabant, eisque praesidebant; 8) Clericis et ministris Ecclesiae praecipiebant omnia, quae ab ipsis juxta suos gradus obeunda erant, eosque in altaris ministerio dirigebant; 9) Ecclesiasticum, et divinum officium disponebant; 10) Sacrorum vasorum, et Ecclesiae principaliorem custodiam habebant. etc. Quum Archidiaconi potestate amplissima intumescerent, et Episcopis graves et

(1) Ferraris Bibliotheca, Schenket Sect. I. cap. 7. §. 302. p. 159.

molesti evaderent, eorum jurisdictio sensim fuit diminuta; nam causae matrimoniales, criminales, et beneficiales eis fuere subtractae, imo in multis dioecesibus eorum nomen abolitum, ut hac aetate in Ecclesiis aliis nulli archidiaconi, in aliis sola honoris praerogativa, in aliis potestate quidem, sed ad Episcopi arbitrium admodum restricta praediti reperiantur. Quodcirca hodie eorum potestas non ex jure Decretalium, sed ex mandati episcopalis formula, aut ex speciali dioecesis observantia dimetienda est (1).

## §. 126. *Officiales, et Vicarii generales.*

Archidiaconorum loco multis in Ecclesiis suffecti sunt *Officiales* et *Vicarii generales.* Officiales, seu Vicarii caussarum auditores jurisdictionem contentiosam, Vicarii generales jurisdictionem voluntariam exercent; seu illi lites contentiosas decidunt, hi ea, quae ad poenitentiae Sacramentum spectant, cognoscunt. Utrumque officium hodie, potissimum in Italia uni personae committitur, quae Vicarii generalis nomen gerit. Igitur Vicarii generalis nomine intelligitur ille, qui cum generali potestate ab Episcopo constituitur, ut ejus vices agat. Electio vicarii generalis a solius Episcopi arbitrio pendet. Requisita ejus sunt: 1) Debet esse clericus saltem tonsura initiatus; 2) Coelebs; 3) Et quidem saecularis, nisi gravis necessitas deposcat regularem, non tamen ex ordine Mendicantium; 4) Ad miuimum viginti quatuor annos natus; 5) Doctor Theologiae, Juris Canonici, vel alias, quantum fieri potest, idoneus. Vicarius generalis gaudet in totam dioecesim jurisdictione quidem *ordinaria,* quatenus lege stabili, et vi officii, simul tamen *vicaria,* quatenus nomino non proprio, sed vice Episcopi, et ceu ab ejus arbitrio dependenter exerceatur. Virtute mandati generalis ea omnia potest, quae ad ordinariam Episcopi jurisdictionem pertinent, iis solum rebus exceptis, quae jure, vel consuetudine, aut expressa Episcopi voluntate speciale hujus mandatum postulant. Ceterum Vicarius generalis non potest; 1) Exequi ea, quae sunt Ordinis episcopalis, aut quae ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicae delegatum spectant; 2) Synodum congregare, et suo arbitrio constitutiones synodales mutare; 3) Conferre beneficia, aut illa dividere, unire, supprimere; 4) Admittere

(1) Bingham Orig. Eccl. Vol. I. l. 2. c. 21. §. 18., Lib. I. Decr. tit. 23. de off. Arch., Aut. Schmidt. Diss. c. 1., Schenkel Sect. I. c. 7. §. 299, 300. p. 455, Ferraris Bibliotheca.

beneficiorum resignationes ; 5) Agnoscere causas criminales, in quibus tractatur de vita hominis, et de poena graviter infligenda; 6) Erigere novas parochias, praesentare ad beneficia jurispatronatus ad Episcopi praesentationem spectantia ; 7.) Imponere pensionem super beneficiis ; 8) Visitare dioecesim; 9.) Deponere ab Ordine, aliquem, aut a suo beneficio, officio, vel administratione amovere; 10) Res Ecclesiae alienare; 11) Oeconomum Ecclesiae instituere; 12) Dare licentiam aedificandi Monasteria, et Conventus; 13) Absolvere a casibus Episcopo reservatis; 14) Concedere litteras dimissorias, nisi Episcopus in dissitis regionibus degat etc. A Vicario generali ad Episcopum appellare non licet, cum utriusque tribunal unum, idemque sit. Cum jurisdictio Vicarii generalis dependeat ab Episcopo, hoc obeunte, aut suspenso ipsa quoque expirat, vel suspenditur (1).

## §. 127. *Concistorium episcopale.*

Hodie in pluribus Ecclesiis potestas Vicarii generalis exercetur per peculiare Collegium, quod *Concistorium episcopale*, quibusdam in locis vero *Vicariatus, Officium, Officialatus, Consilium ecclesiasticum* vocatur. Concistorium episcopale in regula componitur ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis, aliisque viris ecclesiasticis scientia et prudentia conspicuis specialiter ad id munus ab Episcopo deputatis, qui gaudent jure suffragium ferendi. Si adest Vicarius generalis, absente vel impedito Episcopo, ipse Concistorio episcopali praesidet, agenda proponit, vota colligit, et ex paribus adjecto suo majora efficit, remque secundum suffragiorum pluralitatem decisam declarat. Si autem Episcopus praesidet, singuli concistoriales dant quidem suffragium, attamen Antistiti potestas remanet, rem aliter decidendi, vel etiam minori numero votorum accedendi, quia vota concistorialium non sunt decisiva, sed tantum consultiva (2).

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. cap. 20., Decret. cap. 3. de offic. vic. in 6., Schodt. Inst. Jur. Can. t. 1. §. 65. seqq., Schenkel. Inst. J. C. Sect. I. c. 7. §. 301. p. 458., Devoti Inst. J. C. t. 1. Sect. IX. §. 80-82. p. 242-245., Ferraris Bibliotheca. (2) Barthel. Annot. p. 103.

# CAPUT III.

## DE CAPITULIS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM.

### §. 128. *Origo Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium.*

Quamvis Episcopi sint a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei, nihilominus hi, uti historia ecclesiastica testatur, jam primis saeculis in negotiis majoris momenti clericorum suorum consilia exquirere solebant. Clerici urbis episcopalis Senatum quendam, seu Presbyterium constituebant, cujus consilio operaque in pascendo regendoque grege utebantur Episcopi. Canonicorum nomen omnibus clericis, qui certae Ecclesiae *albo*, seu *matriculae*, vel *canoni* inserti, stabile ex ejus proventibus stipendium, quasi *annuum canonem*, habebant, alias fuit *commune*. Quod nomen deinceps iis solis, qui communem quodammodo vitam, et certam vivendi regulam (canonem) sectabantur, evasit *proprium*. Primus vitae communis auctor saeculo IV. inter clericos saeculares extitit Eusebius Episcopus Vercellensis. S. Augustinus quoque in Africa cum suo clero vitam communem egit, in suumque clerum neminem admisit, qui hanc vivendi rationem adoptare recusabat. Verum Institutum istud ad omnes Ecclesias non extendebatur; cum tamen esset insigne et valde utile, quia non modo clericos a multis malis praecavebat, verum etiam ad majorem perfectionis gradum elevabat, S. Chrodegangus Episcopus Metensis saeculo VIII. regulam praescripsit 24 capitibus constantem, quae anno 816 in Concilio Aquisgranensi approbata, agente etiam imperatore Ludovico Pio ab Ecclesiis ita fuit recepta, ut vix daretur Episcopus qui cum suis clericis non viveret in communitate secundum regulam S. Chrodegangi. Ab hoc tempore clerici dicti fuere *Canonici* a regula S. Chrodegangi, quae graece *canon* sonat. Vita horum Clericorum persimilis erat vitae monasticae; etenim utebantur iisdem aedibus, eodem triclinio, dormitorio etc., et inter eos, more Monachorum, erant *Praepositi*, *Decani*, *Oeconomi*, *Portarii* etc. Coetui Canonicorum nomen *Capituli* haud dubie a *Capitulis* seu locis, in quibus Monachi quotidie ad audiendum regulae benedictinae *caput* confluebant, inditum, vel etiam pro eorumdem ad discussionem negotiorum capitularium conventibus usurpatum est, unde qui in iis sessionis et suffragii jure gaudebant, *Capitulares* dicti sunt. Cum autem Ecclesiae Cathedralis servitio essent dediti, omnes simul sumpti nominati fuerunt *Capitulum Ecclesiae Cathedralis*; et quia Ecclesia, in qua Episcopus suam habet cathedram, per

excellentiam *Domus Dei* appellatur, hujus Canonici medio aevo etiam *Domini* vocabantur. Aucto subinde clericorum numero, et regularis vitae amore, Institutum Canonicorum a Cathedralibus Ecclesiis ad alias propagatum, et plures parochiales Ecclesiae in Canonicorum communiter viventium *Collegia* mutatae sunt, indeque duplicis generis orta sunt *Capitula*, scilicet *Ecclesiarum Cathedralium*, et *Capitula Ecclesiarum Collegiatarum* (1).

## §. 129. *Canonici saeculares, et regulares.*

Verum vitae communis Institutum jam saeculo X. inter Canonicos nutabat. Cum gravis eis evaderet illa vivendi ratio, cupiebant liberiorem auram captare; et revera Canonici Ecclesiarum Cathedralium, cum jam bonis temporalibus abundarent, vitam comunem deserunt, bonaque sua a bonis Episcopi sejunxerunt, et Corpus ab Episcopo separatum constituere coeperunt; et iterum bona temporalia inter se ita partiebantur, ut quilibet eorum in aedibus privatis habitaret. Ne igitur vetus Canonicorum disciplina penitus pessundaretur, varia hinc inde facta sunt reformationis tentamina. Sic Summi Pontifices Nicolaus II. et Alexander II. in Synodis Romanis 1059 et 1063 celebratis sanciverunt, ut Canonici juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, simul manducarent ac dormirent, et ad vitam communem reverterentur; sed perfectam peculii abdicationem ipsis non praeceperunt. Viri quidam pietate et doctrina insignes, quos inter eminuerunt in Italia S. Petrus Damiani, in Anglia Ecbertus Eboracensis, in Gallia Ivo Carnotensis Praepositus Ecclesiae S. Quintini, Canonicos non tantum ad vitam communem et omnimodam peculii et patrimonii abdicationem revocarunt, verum etiam monasticis votis obstringi voluerunt. Plura Capitula Collegiata communem illam, ac pene monasticam vitam revera amplexa sunt; sed Canonici Ecclesiarum Cathedralium huic jugo colla subdere recusarunt. Hinc orta est distinctio *Canonicorum saecularium, et regularium;* saeculares dicti sunt Canonici Ecclesiarum Cathedralium, qui more aliorum hominum in saeculo vivebant et vivunt: regulares, qui vota monastica emittebant,

(1) Bingham orig. eccl. l. 2. c. 19. §. 6. seqq., Cabassutius Diss. 18. de prisc. Ep. Senat., ac Presb., Thomassin. P. I. l. 3. c. 7. n. 7, Binterim Mem. t. 3. P. II., Valesius ad Senat. H. E. l. 5. c. 19., Mabillon. annal. Ord. Bened. t. 2. p. 577., S. Ambros. ep. 82. ad Eccl. Vercell., Possidius Vit. S. Aug., Labejus t. 7. Conc., Schenkel. Inst. J. C. Sect. I. c. 8. §. 305-307. p. 460-463., Devoti Inst. J. C. Sect. V. §. 35. p. 224.

8

communemque vitam agebant; et quia horum institutum similitudinem habebat cum Augustiniano vivendi modo inter clericos Ecclesiae Hypponensis olim inducto, etiam Regulares S. Augustini appellati sunt (1).

§. 130. *Jura Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium.*

Ab illo tempore, quo Canonici se a suo Episcopo separarunt, et Corpus separatum constituerunt, insignibus prorsus juribus et privilegiis sunt decorati. Capitula vero Ecclesiarum Cathedralium duplici modo spectari possunt, nimirum 1 quatenus cum Episcopo in regimine Ecclesiae concurrunt, quia Presbyterio Episcoporum quodammodo suffecta sunt, et 2 quatenus Corpus efficiunt proprium, ab Episcopo segregatum, et suis juribus instructum. Quatenus concurrunt cum Episcopo in regimine Ecclesiae, Capitula Canonicorum Cathedralium alia jura habent sede episcopali *plena*, alia sede *vacante*, aut *impedita*. Sedes episcopalis dicitur plena, dum provisa est suo Pastore, vacua quando Pastor ejus deficit, impedita si ultra trimestre manet sine Antistite, aut regimine Episcopi destituitur, quia intra trimestre ex canonum praescripto cuilibet Ecclesiae providendum foret de Pastore; nihilominus tales emergere possunt circumstantiae, ob quas intra tres menses nequit fieri provisio. Quae hic de Capitulis Ecclesiarum Cathedralium dicuntur, ea in Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum et Regularium quoque pro re nata locum habent, quia mortuo Praeposito similia quaedam jura eis competunt.

§. 131. *Jura Capitulorum sede plena.*

Sede plena Capitulum Ecclesiae Cathedralis Episcopi Senatum constituit, et habet jus in negotiis gravioribus dandi Episcopo jam *a) consensum*, jam *b) consilium*. Qua quidem in re consuetudinis, pactorum, atque praescriptionis praecipua habenda ratio est. Generatim tamen sub irritatione dispositionis consensus Capituli necessarius censetur: 1 Quoties agitur de juribus et obligationibus Episcopatus, v. g. si Episcopus contraheret debitum, quod ipse solvere non posset; vel si vellet sibi assumere Coadjutorem; 2 Quoties agitur de immutatione status Dioecesis, v. g. de alienatione, conjun-

(1) Mabillon in Act. Bened. t. 4. p. 748., Concil. Rom. an. 1059 et 1063., Sigbertus Gembl. c. 167, Front. vit. S. Ivonis., Devoti Inst. J. C. Sect. VII. §. 57. p. 226.

ctione, erectione, suppressione beneficiorum; 3 In negotiis emolumentum, vel detrimentum ipsius Capituli respicientibus, v. g. cum numerus Canonicorum augendus, vel minuendus est. Consensus iste capitulariter praestari debet, idest Capitulum a suo Praeposito vel Decano est convocandum, suffragia sunt exquirenda, et conclusum scripto instrumento est formandum. In negotiis vero, quae in canonibus non sunt expressa, *consilium* saltem duorum Canonicorum exquirat oportet Episcopus, et quidem *a)* in permutatione piarum fundationum; *b)* in publicatione Indulgentiarum; *c)* in collatione beneficiorum; *d)* in Seminariorum erectione; *e)* in destituendis personis ecclesiasticis; *f)* in corrigendis excessibus Capitularium gravioribus. Consilium Canonicorum liberum Episcopo relinquit potestatem illud acceptandi, vel repudiandi (1).

## §. 132. *Sede vacante, aut impedita.*

Sede vacante longe major est Capituli Cathedralis auctoritas; nam 1 Capitulo Cathedralis Ecclesiae jus competit eligendi Episcopum, quod in plerisque regionibus per concordata ad terrae principes translatum est. In imperio austriaco, demtis Capitulis Olomucaeno et Salisburgensi, quae praefato jure gaudent, Episcopi nominantur ab imperatore, et confirmantur a Summo Pontifice. 2 Capitulum succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria et administratione dioeceseos tam in spiritualibus, quam in corporalibus; atque ejus est judicare, condemnare, poenas irrogare, cetera demum agere, a quibus rei natura, juris dispositio, aut consuetudo non prohibet. Ne negotia pluribus commissa segnius, et difficilius expediantur, ex praescripto Concilii Tridentini Capitulum tenetur intra octo dies post obitum Episcopi eligere Vicarium Capitularem, qui sit doctor aut licentiatus juris canonici, vel alias idoneus, item unum vel plures Oeconomos, aut si malit vicarium generalem, ab Episcopo relictum, confirmare. Si Capitulum Cathedrale intra octiduum negligit eligere Vicarium et Oeconomum, ex jure devolutionis eos constituit Metropolita, et hoc non existente Senior Suffraganeus, vel demum Sedes Apostolica. — Quae de Capitulorum potestate *sede vacua* dicta sunt, eadem etiam obtinent *sede impedita*, nisi quod tum potestas haec ad ea quoque exporrigatur ne-

(1) Concil. Trid. Sess 23. cap. 18., Sess. 25. cap. 6., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. cap. 8. p. 47., Recheberger Enchirid. J. C. t. 1. §. 215., Frey P. I. Sect. II. §. 151.

gotia, quae sine Ecclesiae detrimento differri nequeunt, uti est beneficiorum collatio (1).

## §. 133. *Jura Vicarii Capitularis.*

Vicarius Capitularis rite constitutus ex officio dimoveri non potest, nisi justa, et Sacrae Congregationi Episcoporum, ac Regularium probata causa sit, in eumque tota transit jurisdictio ita, ut Capitulum nullam omnino partem sibi reservare possit. Vicarius Capitularis jus habet ad omnia, quae ad regimen bonumque Dioeceseos spectant, exceptis tamen variis negotiis, et quidem: 1 Non potest agere ea, quae sunt ordinis episcopalis, v. g. conferre Sacramenta Ordinis et Confirmationis; licet vero eidem exterum advocare Episcopum, vel si in Capitulo adsit canonicus episcopali charactere insignitus, eidem tale munus committere; 2 Nequit exercere ea, quae sunt jurisdictionis extraordinariae, v. g. Indulgentias concedere, vel si vicarius est Ecclesiae Metropolitanae in Episcopos Suffraganeos aliquod jus sibi arrogare; 3 Intra anni spatium dimissorias litteras dare, aut veniam facere alieno Episcopo clericos initiandi ordinibus, nisi forte qui necessitate, id est beneficii recepti, aut recipiendi occasione arctati fuerint: anno vero a morte Episcopi elapso dimissorias litteras omnibus tribuere potest; 4 Beneficia conferre, quorum libera collactio ad solum Episcopum pertinet; recte tamen confert ea, quae conjunctim cum Episcopo conferre deberet, et oblatum a patrono clericum instituit; 5 Innovare statum Dioecesis, hoc est beneficia, citra ineluctabilem necessitatem, unire, dividere, alienare, extinguere; 6 Bona Ecclesiae immobilia, aut res pretiosas praesertim bona propria mensae episcopalis donare, vendere, aut in alios usus transferre; 7 Proventus vacantis Ecclesiae sibi vindicare; 8 Litem de juribus Ecclesiae aut movere, aut prosequi; 9 Capitulationes, seu pacta, quibus certus regiminis episcopalis modus determinatur, cum eligendo, vel electo inire, saltem talia pacta, quae libertati Ecclesiae, superioritati territoriali aut Ecclesiae statusque legibus adversantur (2).

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 16., Schenkel. Inst. J. C. Sect. I. c.8. p. 468-469., Georg. Recheberger Enchirid. P. I. §. 214.

(2) Concil. Trid. Sess. 7. cap. 10.; C. 2. et cap. un. in 6., C. 40. de Elect. in 6. C. 3., Schenkel Inst. J. C. Sect. 1. cap. 8. §. 313, 114. p. 468-471., Benedict. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 9. n. 4. l. 4. cap. 8. n. 10..

## §. 134. *Jura Capituli, qua peculiaris Collegii.*

Quatenus Capitulum Ecclesiae Cathedralis Corpus constituit ab Episcopo segregatum, specialia habet jura, et quidem: 1 Jus celebrandi conventus absque Episcopo ad tractanda negotia ad se spectantia, ad quos potissimum a Decano convocandi sunt omnes Canonici praesentes, et si agitur de Episcopo eligendo etiam absentes: conclusa formantur ex sententia saniori, seu secundum majorem numerum votorum; 2 Jus statuta collegialia condendi, quae, ut vigorem exerant, debent ab Episcopo confirmari, et legi fundationis, praescriptae consuetudini, juri communi, juribusque tertii non adversari; 3 Jus in Collegium suum Canonicos, varia tamen in variis Ecclesiis ratione, cooptandi; 4 Jus bona ad Corpus Canonicorum pertinentia administrandi; 5 Jus habendi proprium sigillum, et proprium Syndicum, seu actorem, qui negotia capitularia nomine totius Capituli pertractet, ejusdemque bona curet. Capitulum etiam exemptum subest Episcopo tanquam sedis apostolicae legato (1).

## §. 135. *Diversi gradus in Capitulis.*

Inter Canonicos aliqui singulari fulgent splendore, qui pendet a *dignitate, personatu, et officio*. Dignitas est praerogativa honoris adnexam habens jurisdictionem externam, v. g. Praepositus Ecclesiae Collegiatae. Personatus est praeminentia absque jurisdictione in foro externo, v. g. Senior Capituli. Officium nihil aliud est, quam administratio cujusdam negotii sine jurisdictione et praeeminentia, v. g. custodia rerum ecclesiasticarum. Non idem in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis eorum numerus, et ratio. Totum in his rebus usus et Ecclesiarum consuetudo conficit. Quare videndum est, quid cuique in singulis datum sit jurisdictionis, quid honoris, quid muneris. Praecipuae personae Capituli jure communi sunt: *Praepositus, Decanus, Primicerius, Thesaurarius, Scholasticus.* Praepositus est fere ubique dignitas post Episcopum prima, et paucissima dantur Capitula, in quibus Decano potius, quam Praeposito primus competat locus. Post Praepositum ordine venit Decanus, qui ordinarie convocat Canonicorum conventus, in illis primum occupat locum, res gerendas proponit, suffragia colligit, ex sententia partis sanioris decreta format, instrumenta capitularia, quibus e-

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 8. §. 316. p. 472., Sartori §. 741., Rechberger Enchirid. J. C. Sect. III. §. 220. p. 173.

tiam Praepositus subscribat necesse est, expedit, moribus Canonicorum, et observantiae statutorum capitularium invigilat. Primicerius, ubi adest, scholae cantus praeest; hodie Cantor audit. Thesaurarius curam habebat thesauri ecclesiastici, cui subordinatus erat Custos, qui res minus praetiosas custodiebat. Scholasticus scholae Collegio Canonicorum adnexae praepositus erat, et clericos necessariis disciplinis imbuebat. In Capitulis austriacis tres Canonici a ceteris distinguuntur, nimirum Praepositus, Decanus, et Scholasticus. Scholasticus est Inspector omnium scholarum elementarium in Dioecesi existentium, et ea, quae has scholas concernunt, ad Concistorium episcopale referre debet (1).

## §. 136. *Officia Canonicorum.*

Officia Canonicorum praecipua sunt: 1 A die coeptae possessionis intra bimestre debent emittere professionem fidei; 2 Tenentur residere in loco, ubi habent canonicatum; possunt tamen abesse tribus mensibus, quin ab Episcopo reprehendi, aut in judicium citari possint; imo eis licet absentiam protrahere ultra trimestre, si servitium Ecclesiae, vel obsequium Episcopo praestandum, vel reipubblicae utilitas id deposcat. Absens ultra tres menses absque legitima causa, primo anno privandus est dimidia fructuum parte, recidivus fructibus totius anni; 3 Obligantur quotidie per se, non vero per substitutum in choro solenniter horas recitare; ob quam praesentiam in choro, et divinis officiis, aliave munia Canonicis dantur distributiones quotidianae ita, ut ille qui absque legitima causa abest eas non percipiat: quia vero plura Capitula non habebant nisi fructus annuos, qui *fructus grossi, mensa communis, fructus praebendae, vel praebenda* simpliciter dicebantur, Concilium Tridentinum statuit, ut tertia pars grossorum in distributiones quotidianas impendatur; quod tamen in pluribus Capitulis amplius non observatur; 4 Eorum est consilio et opere Episcopum in omnibus adjuvare, id est vocati ab Antistite, cujus sunt consiliarii et adjutores, negotiis ecclesiasticis quibuscumque debent operam navare; 5 Tandem Concilium Lateranense IV anno 1215 sub Innocentio III. celebratum tam in Ecclesiis Cathedralibus, quam Collegiatis instituit duo officia, nempe *Theologi*, et *Poenitentiarii*, quae Synodus Tridentina probavit. Munus Canonici Theologi, quem Theologiae laurea donatum esse oportet, est clericos discipli-

(1)Schenkel. Inst. J. C. Sect. I.c.8.p. 474., C. 1, 2. de offic. Cust., Georg. Rechberger. Enchirid. J. C. §. 222. p. 175.

nis theologicis imbuere; Canonici Poenitentiarii, qui sacrae Theologiae, aut Juris Canonici Doctor, et annos saltem quadraginta natus esse debet, nisi aliud loci ratio, et necessitas, vel utilitas Ecclesiae postulat, est confessiones fidelium audire. Uterque et praebendae fructus, et quotidianas distributiones percipit, etsi choro non intersit, dum officiis suis vacat (1).

### §. 137. *Dotes Canonicorum.*

Quum Canonici intimum Episcopi Senatum constituant, eique in arduis Ecclesiae negotiis consilio et opere auxiliari debeant, eosdem scientiis eum in finem necessariis instructos esse oportere, per se liquidum est. Praeter scientiam canones requirunt: 1 Ut dignitarii viginti quatuor annis sint majores, in clericali ordine constituti, doctrina ad munus suum instructi, probisque moribus praediti: ad reliquos Canonicatus non adsciscantur minores annis viginti duobus, et ordine subdiaconatus insigniti; 2 Ut saltem dimidia eorum pars constet ex presbyteris, et quidem talibus, qui sint doctoratus, aut licentiatus gradu ex theologia vel jure canonico decorati. Id tamen non semper et ubique fuit servatum, quia potissimum in Germania dabantur Canonicatus familiarum, ad quos promoveri non poterant, nisi vel ex illis familiis, vel ex aliis illustrioribus. Canonici reipsa tales *Majores* seu in *floribus* olim vocabantur, hodie dicuntur *Domini:* illi vero, qui mortuo Canonico reipsa tali jure succedendi gaudebant, *Minores* seu *in herbis* appellabantur, hodie *Domicellares*, nominantur. Ab utrisque distinguuntur Canonici titulares, quorum praerogativa conjuncta est cum jure titulum et insignia Canonicatus Ecclesiae Cathedralis deferendi (2).

### §. 138. *Eorum electio.*

Canonici, uti dictum est, consilio et opera adjuvare tenentur Episcopum in regimine Dioeceseos. Igitur cum sint consiliarii et adjutores Episcopi, huic competere videtur jus eligendi Canonicos tum reipsa tales, tum titulares ex benemeritis Curatoribus animarum, vel Professoribus theologiae. Hac in re tamen particularium locorum consuetudo prae oculis habenda est. Episcopus ubique gentium jus habet unum

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 12., Sess. 21. cap. 3., Sess. 24. cap. 8., Sess. 5. cap. 1. Cap. 4 de Magistris, Benedictus XIV. Inst. Eccl. 59. c. 5. de Syn. Dioec. l. 13. c. 9. (2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 12., Clement. 2. de aetat. et qualit. Ord., Van Espen Tract. de Inst. et offic. Canon. P. I. c. 2., Düzz Disquisit. Can. de Capit. claus. §. 25., Thesaur. J. C. t. 3. p. 194.

designandi, qui *Canonicus ad baculum* dicitur. Alicubi ipsa Capitula gaudent jure eligendi Canonicos; alii praesentantur ab iis, qui jus patronatus habent. In Austria et Hungaria plerique Canonici nominantur a terrae principe. Imperator Josephus II. statuit, ut Canonicatus praemii instar conferantur: 1 Curatoribus animarum benemeritis, qui saltem decem annis laudabiliter in vinea Domini laborarunt; 2 Professoribus Theologiae, qui pariter per decennium tali munere functi sunt; 3 Directoribus Seminariorum. Praeterea voluit, ut in antiquis Capitulis idem permaneret Canonicorum numerus, qui prius fuerat, pro Capitulis Metropolitanis neoerigendis vero non eligantur ultra duodecim, et pro Cathedralibus tantum octo, item praescripsit, ut Episcopus pro Ecclesiis Metropolitanis octo, et pro Cathedralibus sex Canonicos titulares ex benemeritis viris Imperanti praesentet.

## CAPUT IV.

### DE PRAELATIS NON EPISCOPIS.

### §. 139. *Praelatorum non Episcoporum notio et species.*

Praelatus proprie ille dicitur, qui cum honore et jurisdictione aliis praeficitur. Praelatus proprie talis in dioecesi est solus Episcopus, qui primum locum occupat, et in omnes jurisdictionem exercet. Praeter Episcopos dantur et alii Praelati inferiores, qui cum illis aliquam similitudinem habent, quique medium quasi inter Episcopos et Presbyteros locum tenent, quin sint ordine episcopali insigniti. Quod ad eorum potestatem attinet, haec repetenda est vel ex privilegiis Summorum Pontificum, vel ex prescriptione, quae hominum memoriam superat. Potestas Praelatorum non Episcoporum potest esse vel amplior, vel angustior, prout ferunt leges privilegii, vel consuetudinis, unde procedit. Horum Praelatorum tres dantur species, et quidem: 1 Praelati habentes jurisdictionem quasi episcopalem cum usu pontificalium, uti sunt abbates Monasteriorum, et Praepositi Canonicorum Regularium. 2 Praelati habentes usum pontificalium absque jurisdictione, quales sunt Praepositi et Decani Ecclesiarum Cathedralium, nec non Abbates titulares. 3 Praelati denique habentes jurisdictionem quasi episcopalem sine usu pontificalium, ad quam speciem spectant Ministri Generales et Provinciales Ordinum Religiosorum (1).

(1) Benedictus XIV de Synod. Dioec. l. 2. cap. 11., Constit. Apost. 76. t. 1., Bullarium p. 249 et Const. inter multa 33. p. 166., Devoti t. 1. p. 22. §. 53

## §. 140. *Eorum jura.*

Praelati habentes usum pontificalium absque jurisdictione potiuntur jure ferendi Praelatorum insignia, et utendi mitra baculoque pastorali in sacris functionibus. Illis vero, qui habent jurisdictionem sine usu pontificalium, et usum pontificalium cum jurisdictione, sequentia competunt jura: 1 Jus comparendi ad Concilia generalia, et suffragium decisivum dandi, exceptis ministris provincialibus. 2 Reservandi sibi casus, quos Clemens VIII. ad undecim restrinxit. 3 Absolvendi suos subditos a peccatis per se, vel per alios Sacerdotes ab Episcopo tamen ad audiendas confessiones approbatos. 4 Infligendi suis subditis censuras ecclesiasticas. 5 Visitandi Monasteria suae jurisdictioni subjecta. 6 Qui habent jurisdictionem cum usu pontificalium, et sunt benedicti, possunt suis subditis conferre primam tonsuram, et quatuor Ordines minores, non vero saecularibus, nisi speciale privilegium, aut praescriptio probetur; item benedicere vasa cultui divino destinata, campanas, paramenta etc. pro suis dumtaxat Ecclesiis, pro caeteris vero illas tantum peragere benedictiones, in quibus unctio chrismatis non intervenit. 7 Tandem jus habent praecedendi singulos Canonicos etiam Ecclesiae Cathedralis, sed non totum Capitulum (1).

# CAPUT V.

### DE PAROCHIS.

## §. 141. *Parochorum notio, et attributa.*

*Parochia* ( παροικια ) est vox graeca, quae *commorationem vicinam* significat. Parochia, seu paraecia olim ipsam Episcopi dioecesim saepe denotabat; nam in principe dioeceseos Civitate una erat Ecclesia Cathedralis, ad quam christiani non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum die dominico confluebant. Hodie parochia stricte et proprie sumpta est certus territorii districtus ab auctoritate ecclesiastica determinatus, cui praeest presbyter, Episcopo subordinatus, cum potestate curam animarum exercendi. Hic presbyter stabilis a parochia dicitur *Parochus*, quia debet constanter commorari in vicinia populi suae curae ab Episcopo commissi; vocatur etiam *Plebanus*, a plebe cui praeest, *Curator*, quia

(1) Decret. Sac. Rit. Congr. dd. 27 Sept. 1689., Rechberger Enchirid. J. C. p. 179., Ferraris Bibliotheca.

curam animarum exercet, *Rector* et *Pastor*, quia portionem gregis dominici regit et pascit. Parochi attributa sunt sequentia: 1 Necesse est, ut sit clericus dignitate Presbyteri insignitus vel saltem intra annum insigniendus; 2 Ut habeat coetum fidelium proprium, cujus curam spiritualem gerat, certumque sibi assignatum territorium; 3 Ut potestate propria, quatenus haec potestati vicariae et delegatae opponitur, ad exercendam curam animarum potiatur; unde fit ut parochus sine causa canonica nequeat beneficio destitui, vicarius vero ad arbitrium Episcopi possit amoveri; 4 Ut subjectus sit Episcopo, a quo, cum is primus ac communis pastor sit totius dioeceseos, parochos omnes institui oportet. Quoniam parochi potestas territorii sibi assignati idest parochiae finibus continetur, jurisdictioque ejus fori interni limites non egreditur, patet ratio: *a)* cur muniis parochialibus aut in aliena parochia, aut intuitu alienorum parochianorum absque horum pastoris consensu defungi non possit; *b)* cur nec in sua parochia sibi subditos censuris afficere, nec eosdem ab iis in foro externo absolvere; *c*) cur nequeat controversias decidere; *d)* nec leges ferre, nec in legibus ecclesiasticis dispensare, nisi ex delegatione Episcopi, vel sub epikia, hoc est ex praesumpta licentia ob improvisam necessitatem, v. g. quoad jejunium, auditionem missae, laborem die festo etc. Heic exponemus Parochorum, 1 originem, 2 qualitates, 3 officia, 4 jura (1).

## §. 142. *Parochorum origo.*

Circa Parochorum originem, discrepant Canonistae. Nonnulli, et hos inter Petrus Tamburinus defendunt, Parochos ab ipso Christo Domino institutos fuisse, ut una cum Episcopis, subjecta tamen ipsis potestate, Ecclesiam regerent, eorumque originem repetunt a 72 discipulis, quos Christus Sacerdotes fecisse arbitrantur. Verum hi discipuli missi in omnem civitatem et locum, quo Christus erat venturus, ad animos hominum ejus adventui praeparandos, haud erant omnes sacerdotali charactere insigniti, cum ex illis, teste S. Epiphanio, fuerint electi septem viri, quos Apostoli manuum impositione Diaconos ordinarunt. Alii Parochorum originem, demptis quibusdam recentioris disciplinae additamentis, ad tempora apostolica referunt, probantes, potissimum ex epistola S. Pauli (2) Presbyteros jam tunc coetibus fidelium prae-

(1) Ferraris Bibliotheca, Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 9. p. 481. §. 323. (2) ad Timotheum c. 5, 17.

fuisse, ubi Paulus ita loquitur: « Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina ». At falsam esse eorum opinionem liquet ex eo, quod tempore furentium persecutionum Christiani paucas hinc inde habuerint Ecclesias Cathedrales, quod per tria fere priora Ecclesiae saecula nulla in ecclesiasticis monumentis parochorum fiat mentio. Ab initio, teste historia ecclesiastica, una in principe dioeceseos civitate erat Ecclesia cathedralis, ad quam omnes sive in urbe, sive ruri habitarent, die solis conveniebant; et praesentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per Diaconos mittebatur. Huic Ecclesiae Cathedrali ipse praeerat Episcopus, qui suum habebat Presbyterium, hoc est Presbyteros illi addictos, quorum erat Antistitem adjuvare in Ecclesiae regimine et administratione. Cum aucto fidelium numero omnes ad Ecclesiam Cathedralem commode comparere haud possent, necesse fuit et in civitate episcopali, et in oppidis, et in pagis plures condere Ecclesias, ad quas Episcopus diebus dominicis mittebat ex Ecclesia Cathedrali Presbyteros, qui sacra obibant munera, hisque peractis ad Ecclesiam Cathedralem revertebantur. Itaque in singulis civitatibus una tantum erat Ecclesia, quae proprie Parochia, uti nunc est, dici posset, nimirum Ecclesia Cathedralis. Origo Parochorum repeti potest a saeculo IV, quo Ecclesia christiana sub imperatore Constantino M. pace et libertate frui coepit. Cum enim jam tunc magnus esset fidelium numerus, in plures coetus dividebatur, et singulis coetibus Presbyter praeficiebatur cum potestate Episcopo subordinata verbum Dei praedicandi, Sacramenta Ordinis sacerdotalis administrandi, functiones sacras peragendi, et oblationes percipiendi. Parochiae constitutae sunt primum in vicis et villis, quarum incolae cum ad Ecclesiam Cathedralem ob locorum distantiam non tam facile ire possent, eorum gratia praepositi sunt Sacerdotes, qui ibi residerent, populum illum regerent, muniaque ecclesiastica exercerent. Serius, probabiliter saeculo X., in civitatibus ortae sunt parochiae, neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab Episcopi arbitrio penderet, alii citius, serius alii parochos in civitate constituerunt, uti major, minorve numerus Christianorum, eorumque utilitas, aut necessitas postulabat. Igitur Episcopi Parochos elegerunt, hoc est quibusdam Presbyteris certam gregis dominici partem regendam commiserunt; atque ita Parochorum potestas ab Episcopali ordine, tanquam a fonte processit, et in omnibus est Episcopo subjecta. Numerus Parochorum increvit sequentes ob causas: 1 Cum inde a saeculo IV.

imperatores christiani cultum idolorum evertere conarentur, plura fana paganorum per consecrationem in Ecclesias Christianorum conversa sunt, quibus stabiles Sacerdotes praeficiebantur. 2 Sub Constantino M. et deinceps tam in civitatibus, quam in pagis perplures Ecclesiae sunt extructae. 3 Cum Principes et Nobiles suas haberent *Capellas*, et circa illas plures domus extruerentur, lapsu temporis Capellae Ecclesiae parochiales evaserunt. 4 Aucto fidelium numero, cum unus parochus ad curam animarum exercendam haud sufficeret, necesse fuit parochias ampliores in plures alias dividere. Ex parochiarum majorum divisione provenit, quod hodie Parochi in aliis parochiis adhuc jura quaedam, v. g. decimarum teneant; imo jus alios Parochos praesentandi habeant (1).

## §. 143. *Parochorum qualitates.*

Ad gravissima Parochi munia obeunda congruentes requiruntur qualitates *physicae*, *intellectuales*, *morales*, et *religiosae*. Qui ad munus parochiale aspirat debet habere 1. Qualitates physicas, id est visum, auditum, organum vocis, facultatem ambulandi, generatim corporis valetudinem; 2. Sufficienti cultura intellectuali, hoc est congrua scientia praeditus sit oportet, ut queat populum sibi commissum erudire, et casus obvenientes solvere; 3. Praeter scientiam quam maxime illi necessaria est cultura moralis, nimirum morum probitas, ut exemplo confirmet, quae ore praedicat: in specie illis fulgere debet virtutibus, quae ei amorem et fiduciam populi comparare possunt, uti sunt charitas, mansuetudo, et liberalitas erga pauperes; etenim charitate, mansuetudine, et liberalitate parochus absque dubio suorum subditorum corda vinciet; 4. Tandem necesse est, ut sit vir orthodoxus, qui ab Ecclesiae doctrina nulla in re recedat: qua de causa intra bimestre a suscepta parochia coram Episcopo aut ejus delegato fidei professionem emittere obligatur (2).

## §. 144. *Parochorum officia.*

Parochi, ceu ordinarii animarum pastoris, est *ex officio* plebem sibi commissam docere, regere et pascere per seme-

(1) S. Epiph. haer. 20. n. 4. l. . It. 1. p. 50., Devoti Inst. J. C. t. 1. Sect. X. p. 243-252., Marius Lupus de Paroch., Bingham. Orig. Eccl. l. 9. c. 8. t. 2., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 9. §. 484., Auctor bonae causae Cleric. Sect. I. (2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 18. Sess. 7. cap. 3. de ref. cap. Cum in cunctis 7. de elect. §. Inferiora Concil. Trid. Sess. 24. cap. 12.

tipsum, non autem por vicarium; hinc. 1. Parochus debet in sna parochia residere sub poena amissionis fructuum; si autem justam habet causam se absentandi, tenetur eam proponere Episcopo probandam, et licentiam in scriptis impetrare, ita tamen ut ultra duos menses non prorogetur, et pro eo tempora substituatur vicarius aptus, qui vices absentis parochi agat. 2. Quivis Parochus, sive sit saecularis vel regularis, dives ant pauper, juxta Constitntionem Benedicti XIV, quae incipit: *Cum semper*, diebns dominicis at festis debet applicare Missae Sacrificium pro populo. Nihilominus pauper animarum Cnrator de venia Episcopi potest stipendium acceptare pro die Domini, et Missam pro benefactore applicare, ita tamen ut iufra hebdomadam aliam celebret pro populo. 3. Tenetur Parochns administrare Sacramenta Baptismatis, Poenitentiae, Eucharistiae, Extremae Unctionis, et Matrimonii. Quod ad Confessionem et Eucharistiam attinet non solum Concilium Lateranense IV sancivit, verum etiam Synodus Tridentina monuit, ut Christiani omnes utriusque sexus in paschate a proprio Parocho Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta suscipiant. Sed cum privilegia Ordinibus Religiosis tributa, et frequentes Episcoporum concessiones quam plures extra ordinem Sacramentorum ministros induxerint, nunc ab eis quoque, modo intra limites concessionis se contineant, ea probe suscipiuntur, et jus Parochorum redactum est ad Viaticum ot Extremam Unctionem adeo, ut si Religiosusextra casnm necessitatis Extremam Unctionem administraret, excommunicaretur. Matrimonio adsistere ita proprium est Parochi officium, ut sine praesentia parochi alterutrius sponsorum, vel Sacerdotis a parocho, vel Episcopo delegati contractus matrimonialis nullus et invalidus sit. 4. Parochi est non solum pueros, rudesq ue homines Christianae Religionis rudimenta sedulo edocere, sed etiam diebus dominicis, et in festis solemnibus sermonem ad populum habere de rebus divinis, eique explicare, quae ad aeternam salntem omnibus sunt necessaria. Concio a Parocho habenda est inter Missarum solemnia, et quidem proxime post Evangelium. 5. Parochus obligatur S. Liturgiam, et quaevis Religionis exercitia rite, reverenter, et qnam piissime obire, benedictionem mnlieris post partum, fontis baptismalis, cereorum, cinerum, palmarum, carnium etc. peragere, matrimonia, festos dies, indulgentias, jejunia, natos, mortuos, et cetera, quae emerserint, Ecclesiae praecepta dennnciare, processionas ducere, defunctos sepelire, et habere libros baptizatorum, copulatorum, et mortuornm suis rubricis instructos, ex quibus, dum opus est, anthentica et publica possit expedire documenta. 6. Advigilare scholis et ludi litta-

rarii moderatoribus. 7. Praeire gregi suo integerrimo vitae exemplo. 8. Curam gerere pauperum, eisdemque superflua erogare. 9. Administrare bona temporalia cum Ecclesiae parochialis, tum Ecclesiarum filialium (1).

### §. 145. *Parochorum jura praecipua.*

Jura praecipua Parochorum sunt: 1. Jus ordinarium suis subditis omnia, praeter Confirmationem et Ordines sacros, Sacramenta, potissimum hodie Baptismum, tempore Paschatis Eucharistiam, ac Extremam Unctionem administrandi, nec non nuptialem benedictionem impartiendi; 2. Jus habendi fontem baptismalem et coemeterium, missas solemnes et publicas supplicationes celebrandi; 3. Jus naturale et divinum poscendi a suis parochianis sustentationem, decimas et pro loci consuetudine varias praestationes, et jura stolae seu honoraria et sportulas, occasione functionum parochialium pendendas, exigendi; modo ea nunquam severe et amare, maxime si alii proventus sufficientes penuriam excludant, extorqueant. Operarius est quidem dignus mercede sua; nihilominus si Curator animarum subtractione Sacramentorum, vel negatione sepulturae, aut duris verbis vellet jura stolae, aut decimas extorquere, populo evaderet exosus, omnem amitteret aestimationem, et Religioni multum noceret (2).

(1) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 8., Sess. 22. Decr. de observ. et rit. in celebr. Miss., Sess. 5. cap. 2., Sess. 24. de ref. Sess. 25. de ref., Benedict. XIV. Const. Cum semper et Const. Etsi minime., Cardinal. Bona Par. liturg. l. 2. c. 7. §. 7. p. 159., Devoti Inst. J. C. Sect. 10. p. 254. (2) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 9. p. 488. §. 329.

# JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

## PARS SECUNDA

### JUS PUBLICUM ECCLESIATICUM EXTERNUM.

### CAPUT I.

### DE MUTUO ECCLESIAE ET CIVITATIS NEXU GENERATIM.

§. 146. *Divisio materiae.*

Sub initium nostrarum praelectionum diximus, Jus ecclesiasticum in publicum et privatum; publicum vero in internum et externum dividi. Hucusque disputavimus de jure ecclesiastico interno, idest Ecclesiae Catholicae, ceu corporis moralis constitutionem exposuimus: nunc pertractare oportet jus ecclesiasticum externum, in quo traditur relatio Ecclesiae Catholicae ad illos, qui extra eam versantur, puta Respublica civilis seu civitas et alienarum confessionum homines. Ecclesia Catholica tam ad Civitatem, quam ad sectas alias ideo refertur, quia in uno eodemque territorio existunt, et rerum gerendarum commercium invicem intercedit. Videndum itaque in qua relatione sit Ecclesia Catholica ad Civitatem, et alias sectas; ideoque jus ecclesiasticum externum *duabus* constat *Sectionibus*, quarum *prima* disserit de relatione Ecclesiae ad Rempublicam civilem, et *secunda* de relatione Ecclesiae Catholicae ad alienarum confessionum asseclas. Tota primae Sectionis materia dispescitur in tria capita, in quorum *primo* agitur de relatione Ecclesiae Catholicae et Reipublicae ad se invicem generatim, *secundo* de juribus Ecclesiae Catholicae relate ad Civitatem, et *tertio* de juribus Civitatis relate ad Ecclesiam Catholicam.

§. 147. *Discrimen essentiale inter Ecclesiam et Civitatem.*

Quum homo sibi soli relictus nulla in re proficere, nec fines suos consequi possit, sapientissimus naturae Auctor vitae socialis studium illi instillavit, ita quidem, ut jam naturali quodam instinctu interpellaretur, ad vires suas cum aliorum hominum viribus conjungendas, tum ut commune omnium bo-

num promoveretur, tum ut singulorum facultates et vires excolerentur, ac roborarentur. Ita mox factum, ut homines in societates coalescerent, alias ab aliis diversas, quas inter principem sine dubio locum sibi vindicant *Civitas*, et *Ecclesia*. Societas hominum ad veram hujus vitae felicitatem temporalem promovendam cum communi imperio colligata, *Civitas* appellatur. Coetus fidelium sub legitimis Pastoribus, praesertim vero sub visibili omnium Capite, centroque unitatis Romano Pontifice Christi Religionem profitentium, eorumdemque Sacramentorum participatione ad spiritualem et aeternam salutem tendentium, *Ecclesia Catholica* dicitur. Quamquam Civitas et Ecclesia in uno eodemque territorio existant, membra Civitatis sint etiam membra Ecclesiae, et intimum inter utramque actionum commercium intercedat: nihilominus Civitas ab Ecclesia essentialiter differt ratione *originis, finis, mediorum*, et *extensionis* (1).

### §. 148. *Ratione originis.*

Deus Rempublicam civilem, seu Civitatem instituit *mediante natura*; etenim ipse naturae humanae stimulos indidit, ut homines in societatem coirent, regiminique cuidam se subjicerent, quia extra statum civilem nulla datur securitas, nulla justitia, neque instituta illa reperiuntur, quae tantopere necessaria sunt ad intellectum humanum excolendum, voluntatemque movendam, et consequenter ad finem ultimum assequendum. Potestas, qua regitur Respublica civilis est divina, quia non est potestas nisi a Deo; sed constitutio civilis, quae leges fundamentales Civitatis continet, non est a Deo, sed ab hominibus. Forma regiminis civilis est mutationibus obnoxia; idem enim est an sit monarchica, aristocratica, aut democratica. Contra Ecclesiam Catholicam fundavit Christus Dominus, verus Deus, *immediate per se;* nam ipse de coelo in hanc terram descendit, inter homines conspicuus apparuit, coetum fidelium congregavit, Rectores posuit, leges fundamentales tulit, seu propriam dedit Ecclesiae suae constitutionem, quae in se complectitur finem, media, et regiminis ecclesiastici formam immutabilem. Clare hoc discrimen exponitur in libro, cui titulus: « Defensio Cleri Gallicani » (2) quod in sequentibus punctis consistit.

1. Sacerdotalis potestas in lege et Evangelio a Deo ipso praesente atque conspicuo fuit instituta: civile autem impe-

(1) Putteanstok H. E. t. 1. p. 1., Schenkel. Inst. J. C. c. 1. p. 317.
(2) L. 6. Sect. II. c. 3.

rium, quamquam suo modo a Deo aut inditum, aut institutum sit; haud pari praesentia divinae majestatis.

2. Sacerdotalis principatus forma et regimen expresse sunt a Deo instituta: civile autem imperium generatim tantum traditum est, et hominum arbitrio forma relicta, sive illa monarchica, aristocratica, aut democratica sit.

3. Verum Sacerdotium, illiusque potestatis legitima administratio cum vera religione conjuncta est; imperia vero legitima etiam apud infideles vigent.

4. Ritus consecrandi Sacerdotes omnino divinus est, atque inter Sacramenta a Deo instituta numeratur, valetque interventu proprio atque expresso divini Numinis ac Spiritus: at regum consecratio neque a Deo est universim instituta, neque huic officio absolute necessaria, seu ut ajunt, essentialis non est.

## §. 149. *Ratione finis.*

Oportet probe distinguere finem *rei* seu *operis* a fine *agentis*, seu finem *proximum* a *fine remoto et ultimo*. Exempli gratia figulus conficit vas aliquod; vasis usus est finis rei, seu proximus, lucrum figuli finis agentis, seu remotus. Finis Ecclesiae proximus est salus animarum. Finis proximus Civitatis in eo positus est, ut per internam et externam securitatem vera hujus vitae temporalis felicitas obtineatur. Quemadmodum autem spiritus a materia, ita quoque finis Ecclesiae a fine Civitatis essentialiter distinguitur. Tam Ecclesiae, quam Civitatis finis remotus seu ultimus est gloria Dei utriusque Auctoris; « nam universa propter semetipsum operatus est Deus » (1). Sicut Ecclesia suis legibus liberas fidelium actiones eo dirigit, ut Deus glorificetur, ita Rector Reipublicae civilis felicitatem temporalem non ceu finem unicum respicere debet, sed omnia ad Dei gloriam promovendam ordinare obligatur. Sane licet finis Civitatis proximus sit temporalis felicitas; haec tamen a principibus et civibus ex Religionis officio ad finem sublimiorem referri potest et debet, secundum illud Pauli: « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis: omnia in gloriam Dei facite. » (2) « Audite ergo reges, et intelligite, discite judices finium terrae. Praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec

(1) Prov. 16, 4. (2) I. Cor. 10, 31.

custodistis legem justitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordiae: potentes autem potenter tormenta patientur. » (1) Si collisio aliquando per accidens oriatur, finis Ecclesiae fini Civitatis semper praeponendus (2).

## §. 150. *Ratione mediorum.*

Media, quibus utraque Respublica, ecclesiastica et civilis, ad finem suum proximum asseqnendum utitur, essentialiter diversa esse nemo inficiabitur. Ecclesiae media sunt tantum spiritualia; etenim ea praedicat verbum Dei, administrat Sacramenta, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia et doctrina, exhortatur ad fidem in Christum habendam, ad praecepta divina et ecclesiastica observanda. Cum Religio sit objectum intellectus et voluntatis, in quas facultates coactio non cadit, Ecclesia studet argumentis convincere hominum intellectum, et cum promissione proemiorum, tum comminatione poenarum in altera vita enititur movere eorum voluntatem ad amplectenda et executioni danda ea, quae vera Christi Religio praecipit. Verum Civitas habet media physica, nempe gladium, arma, carceres, ergastula, catenas, quibus membra sua cogit, ut actiones externas fini sibi praefixo conformiter ponant. Jam vero inter arma spiritualia et physica essentiale intercedit discrimen.

## §. 151. *Ratione extensionis.*

Vera Jesu Christi Ecclesia limites *loci*, *personarum*, et *temporis* excludit; nam Salvator divinus Apostolis dixit: « Ite in *universum mundum*, et praedicate Evangelium *omni creaturae*... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque, ad *consummationem saeculorum* »(3). Ecclesia igitur catholica omnia loca, omnes personas, et omnia tempora complectitur. Ecclesia est in toto orbe terrarum diffusa: omnis creatura rationalis potest, dummodo velit, ejus membrum evadere: Ecclesia non potest cessare, sed perdurabit usque ad consummationem saeculorum. Civitas contra ad certum territorium, ad certum numerum personarum, et ad certum tempus est restricta. Quod ad territorium attinet quaelibet Respublica civilis aliqnem terrae tractum, non vero totum mundum occupat. Respectu personarum quae-

(1) Sap. 6. 2-8. (2) S. Thomas Aquin. l. 1. de regim. Princ. c. 15., J. Georg. Wanner Diss. de Placeto eccl. §. 9. (3) Matth. 28.

libet Civitas portionem tantum humanae familiae complectitur, id est vel nationem unius labii, vel populos diversarum linguarum, ut obtinet in Austria. Tandem intuitu temporis Civitas potest cessare, sicut reapse finem habuerunt imperia Caldeorum, Medorum, Graecorum, Romanorum, Respublica Venetorum etc.

§. 152. *Independentia Civitatis et Ecclesiae.*

Civitatem ab Ecclesia, et Ecclesiam a Civitate in suae potestatis exercitio omnimode liberam et independentem esse, comprobatur argumentis invincibilibus et depromptis *a) ex ratione, b) ex Scriptura sacra, c) ex SS. Patribus, d) ex testimoniis imperatorum.*

*a) Ex ratione.* Civitas et Ecclesia sunt duae societates hominum supramae origine, fine, mediis et extensione essentialiter discretae. Quamprimum duo corpora essentialiter discreta coexistunt, tandiu tanquam libera et independentia sunt habenda, quandiu probari nequit alterum alteri se subjecisse. At neque Civitas unquam se subjecit Ecclesiae, neque Ecclesia Civitati: igitur utraque in sphera sua est libera, utraque independens.

*b) Ex Scriptura sacra.* Christus Dominus non terrae principibus, sed apostolis dixit: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ... (1). » « Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis » (2). Divinus Salvator ergo Ecclesiae suae dedit potestatem verbum Dei praedicandi, Sacramenta administrandi, novas leges ferendi; sed nullibi sacris in Litteris occurrit, quod ei moralem necessitatem imposuerit vel veniam a Civitate petendi, vel ab ea in exercitio suae potestatis dependendi. Et revera Apostoli semper et ubique potestatem a Christo acceptam independenter a Civitate exercuerunt etiam tempore furentium persecutionum; nam, non obstante Judaeorum et Gentilium contradictione, Evangelium propagarunt, Ecclesias fundarunt, novas leges tulerunt, Sacramenta administrarunt, successores ordinarunt, in refractarios poenis animadverterunt, quin a Civitate peterent licentiam, imo si quis obstaculum eis ponere conabatur, respondebant: « obedire oportet Deo magis, quam hominibus » (3). Similiter in Scriptura sacra non legitur, Civitatem in exercitio suae potestatis ab Ecclesia dependere, eamque cum leges condit, tri

(1) Matth. 28, 18. (2) Matth. 18, 18. (3) Act. 5, 29.

buta et vectigalia subditis imponit, milites colligit, bellum gerit, aliaque negotia mere civilia pertractat, debere ab Ecclesia veniam petere.

*c) Ex SS. Patribus.* Docuerunt hanc Civitatis et Ecclesiae independentiam SS. Patres. Atheragoras in Apologia Marco Anrelio Antonino in Christianos saevienti porrecta haec scripsit: « Nec imperium ad nos pertinet, nec thuribulum, nec res sacrae ad te spectant. »

S. Athanasius ab Arianis condemnatus in sua apologia dixit: « Si istud judicium Episcoporum est, quid cum eo habet imperator? » Et in epistola ad Solitarios: « Quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore anctoritatem accepit? »

Osius Cordubensis, teste eodem S. Athanasio in epistola ad Solitarios, Constantio imperatori scripsit: « Ne te immisceas rebus ecclesiasticis, nec nobis de his praecepta mandes; sed a nobis potius haec discas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit; ac quemadmodum qui tibi imperium surripit Dei ordinationi resistit, ita cave ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neqne nobis igitur imperare licet, neque tu adolendi potestatem habes. »

S. Ambrosius epistola ad Valentinianum imperatorem: « Noli te gravare imperator, ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare esto Deo subditus. Scriptum est: quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiae: publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum. » Et alibi (1): « Jus Caesaris non potest esse in templum. »

S. Gelasius papa ad Anastasium imperatorem: « Duo sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, sacerdotalis auctoritas et regalis potestas, utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia. » Denique S. Joannes Damascenus (2) « Penes imperatores non est potestas, ut Ecclesiis leges sanciant. »

*d) Ex testimoniis Imperatorum.* Constantinus M. Episcopis Arianis in Concilio Nicaeno I. libellos contra Praelatos Catholicos sibi offerentibus dixit: « Mihi, cum homo sim, nefas est hujusmodi rerum cognitionem arrogare, cum et ii, qui accusant, et qui accusantur Sacerdotes sint. Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; vos autem non potestis ab hominibus judicari » (3). Con-

(1) Ep. 20. (2) Orat. 2. de Imagin. (3) Ruffinus Hist. Eccl.

stantinus M. ergo ingenue confessus est, se non habere potestatem judicandi Clericos delictorum ecclesiasticorum insimulatos, seque in rebus ecclesiasticis Ecclesiae subesse.

Honorius imperator Occidentis ad fratrem suum Arcadium imperatorem Orientis ita scripsit: « Cum quid de causa religionis agitur, episcopale oportet esse judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium. »

Theodosius II. Candidiano Comiti, quem sui loco ad Concilium generale Ephesinum in causa Nestorii congregatum miserat, commendavit ut se non immisceret rebus ecclesiasticis hisce verbis: « Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se se immiscere. » Idem conceptis verbis professi sunt Valentinianus, Marcianus, et Justinianus. Unde liquido fluit neque Ecclesiam a Civitate, neque hanc ab illa in exercitio suae potestatis dependere (1).

## §. 153. *Ecclesia catholica non est in Civitate.*

Ex doctrina de independentia utriusque supremae societatis naturaliter sequitur, falsam esse theoriam eorum, qui ut terrae principibus adularentur, stabilita prius utriusque Reipublicae, ecclesiasticae et civilis, independentia, asserere non erubuerunt, Ecclesiam esse in Civitate, seu Ecclesiam particularem in iis, quae ad essentialia Religionis non spectant, potestati civili esse subjectam; atque ita quod una manu aedificaverant, altera destruxerunt. Hi, immemores divinae institutionis, Ecclesiam particularem impudenter compararunt cum societatibus accidentalibus et temporariis, v. g. industriae, commercii, navigationis, quae, ut existant, una cum earum statutis imperantis sanctione indigent, et ejus jussu solvi possunt. Quam impia sit haec comparatio, nemo non videt. Si Ecclesia particularis esset in Civitate, uti Neologi contendunt, quia Ecclesia universalis ex Ecclesiis particularibus constat, tota Jesu Christi Ecclesia esset potestati civili subjecta; quod pugnat cum independentia Ecclesiae, quam luculenter demonstravimus. Cum Ecclesia catholica temporis, loci, et personarum angustias non patiatur, patet eam omni sub respectu multo ampliorem esse quacumque Civitate, quae ad tempus, terrae tractum, et numerum personarum restricta est. Nos confitemur unam Ecclesiam catholicam, quae non potest dividi

(1) Petrus de Marca de Conc. Sac. et Imp. l. 2., Theod. in ep. ad Synod. Ephes. apud Hard. t. 2. Col. 466. Praef. ad Novell. I.

instar aliarum sectarum invicem separatarum secundum territoria, et institutionibus civilibus cujuscumque status subjici, quia tunc non modo ejus independentia omnino evanesceret, sed etiam veritas cum errore confunderetur. Regnum coelorum est quidem in hoc mundo, sed non est de hoc mundo; ideoque regnum spirituale non potest subordinari regno temporali; coelestia non subsunt terrenis; id quod est indelebile et immutabile, dominio delebili et mutabili nequit subjacere; Ecclesia Jesu Christi, depositaria et conservatrix fidelis veritatum coelestium et aeternarum nec debet, neque potest subesse Civitati, cujus objecta ad mundum et tempus pertinent (1).

### §. 154. *Civitas et Ecclesia simul perbene coexistunt.*

Quamquam Ecclesia et Civitas essentialiter discretae, suo in ordine summae atque independentes sint; nihilominus in uno eodemque territorio perbene coexistunt, quin ejusdem ordinis status in statu oriatur, aut Ecclesia Civitatem, vel Civitas Ecclesiam in fine suo assequendo impediat, suis in functionibus turbet, dummodo potestates, quibus reguntur, limites sibi praescriptos non transiliant. Nam cum neque fines naturaliter discreti, neque media essentialiter diversa inter se pugnent, facile intelligitur nihil omnino obstare, quominus ambae societates penes se in uno eodemque territorio coexistere queant. Quemadmodum aliae societates minores diversos fines habentes, et ad hos assequendos diversa media adhibentes in eodem statu reperiuntur, quin altera alteram evertat: ita etiam Ecclesia et Civitas in uno eodemque territorio perbene simul coexistere possunt. Nunquid non coexistunt? Ab esse ad posse semper valet conclusio (2).

### §. 155. *Imo mutuo se juvant.*

Ecclesia et Civitas non solum sibi invicem non adversantur, verum etiam, si potestas ecclesiastica et civilis suis se continent limitibus, et nonnisi recto se se exerant ordine, invicem insignem sibi ferunt opem. Religionem fulcrum esse Reipublicae nemo aequus, prudens nemo dubitabit. Id Plutarcho tam certum visum est, exploratumque, « ut urbem citius sine solo, quam rempublicam sine religione constitui,

(1) Georg. Rechberger Enchirid. J. C. a. Sect. I. p. 190. §. 215., Clemens Aug. Droste Arch. Colon. (2) Walfius P. VIII. Jur. Nat. c. 1. §. 65. etc.

aut constitutam servari posse affirmaret. » Et quae stabit absque religione Civitas?« Tolle, inquit Leibnitzius, religionem, et non invenies subditum, qui pro patria, pro republica, pro recto et justo discrimen fortunarum, dignitatum, vitaeque ipsius subeat, si eversis aliorum rebus ipse consulere sibi, et in honore atque opulentia vitam ducere possit. » Nam quotusquisque est, quem sola civilis honestas, vel praemii temporalis spes, aut poenae metus ad civis officia implenda pro omni rerum articulo moveant, etiam dum testis abest, dum impunitatis spes affulget, dum periculo terrent, dum damni horror, dum lucri cupiditas alio impellunt, trahunt? Sola Religio proposito sanctissimi, omniscii et justissimi remuneratoris Dei timore ac amore ad sinceram principibus ceu Dei ministris obedientiam praestandam, ad rectum in sui, civium, boni publici amore ordinem servandum, ad constanter implenda civis officia movebit. Unde quo religiosiores, eo ceteris paribus meliores cives, milites, conjuges, parentes, filii, servi, Reges, judices, denique debitorum redditores, et exactores ipsius fisci sunt, meritoque civitatis, throni principum, fidei et securitatis publicae tum internae, tum externae fulcrum praecipuum aestimatur religio. » Ex omnibus ecclesiis securitati, et bono reipublicae quam maxime consulit Ecclesia christiano-catholica, quae infallibili magisterio, infimae etiam plebi accomodato fidei firmitatem tuetur, libidinem opinandi, et dissidia in religione turbasque suspendit, apparatu religionis externae rudium etiam animos ad internae religionis, pietatis et justitiae amorem inflammat, legalitatem actionum externarum promovet, omnem juris violationem ut peccatum damnat, exactam officiorum observationem praecipit, in sacro tribunali poenitentiae peccatoribus fraenum injicit, solutionem tributorum et vectigalium urget, subjectionem potestati civili, utpote a Deo ordinatae maximopere inculcat (1). Ingentia, quae Civitates Religioni christianae debent, commoda, bonaque commemorat Abbas Nonnote.

Civitas vicissim securitatem, libertatemque Ecclesiae fovet ac tuetur; bona temporalia ad alendos Religionis ministros aut suppeditat, aut saltem ab invasionibus et usurpationibus defendit: dum ob Reipublicae civilis bonum vitia, malasque actiones exteriores reprimit, impeditque, morum corruptioni cavet, vitae decentiam et honestatem promovet, civesque ad veram pietatem concipiendam quodammodo praeparat: dum immorigeros, aut religionis inimicos compescit, legesque ecclesiasticas Civilibus sanctionibus et poenis urget, saepe facit,

(1) Rom. 13.

ut a malo retenti homines saltem ab aliis seducendis abstineant, vel etiam perpensis paullatim credendi et obediendi motivis veritatem ex animo amplectantur, demumque ad bonam frugem reducantur. « Atque ita saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit, inquit S. Isidorus, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiae per fideles Principes, sive solvatur; ille ab eis rationem exiget » (1).

### §. 156. *Quando collisio est possibilis.*

Quamquam Ecclesia et Civitas non solum in uno eodemque territorio perbene simul coexistant, sed etiam in fine suo consequendo se mutuo insigniter juvent; nihilominus sive errore sive vitio hominum alterutra, vel utraque suos limites transgrediendo, in sphaeram juris alterius involando, rectum ordinem non servando, sub obtentu religionis, aut boni publici collidere possunt, v. g. si potestas civilis aliquid praeciperet, quod potestas ecclesiastica vetat. Id reapse factum plura historiae monumenta demonstrant, quod Arianorum, Monotheletarum, Iconoclastarum, controversiarum de investituris Philippi Pulchri, Ludovici Bavari etc. historiam pervolutanti patebit. Inde deducimus conflictum inter Ecclesiam et Civitatem non esse aliter possibilem, nisi ex abusu potestatis vel ecclesiasticae vel civilis, ad quem evitandum necesse est sphaeram utriusque potestatis definire (1).

### §. 157. *Sphaera utriusque potestatis.*

Ad sphaeram utriusque potestatis definiendam Juris ecclesiastici Doctores omnes res, quae sunt legum objecta, trifariam dividere solent, nimirum *in res mere ecclesiasticas, mere civiles*, et *mixtas*. Res mere ecclesiasticae illae dicuntur, quae per Religionis notionem, et Ecclesiae finem determinantur,

(1) Puffendorf. de Concord. verae polit. cum Relig. Christ., Joan. Buddaei de concord. Relig. Christ. Statu-que civil., Barthel Diss. de Jur. Ref. ant. art. 8. §. 29., S. Aug. ep. 5., Montesquieu l' esprit de lois l. 24. c. 2. Caus. XXIII. q. 5. cap. 18. 20. 22, 23. apud Grat., Schenkel Inst. J. C. Sect. II. c. 1. p. 535-539. (2) Barthel. t. 1, ep. 4. p. 383.

v. g. dogmata theoretica, et practica, eorumque definitio, fidei professio, praedicatio verbi divini, administratio Sacramentorum, cultus divinus, ministrorum delectus, verbo omnia quae ad animarum salutem promovendam spectant. Res mere civiles vocantur illae, quae ex notione et fine Civitatis deducuntur, quaeque bono Reipublicae consulunt, et civibus temporalem felicitatem procurant, uti sunt testamenta, contractus, tributa, vestigalia, milites etc. Rerum mixtarum nomine veniunt illae res, quae sub diversis respectibus jam ad potestatem ecclesiasticam, jam ad civilem referuntur, puta matrimonium, delicta Clericorum canonica et politica etc. Res mere ecclesiasticae unice potestati ecclesiasticae, mere civiles potestati civili, mixtae utrique subsunt, id est mixtae separari debent, et id quod ad potestatem ecclesiasticam spectat, eidem, id quod ad potestatem civilem pertinet, huic tribuendum est. Si utraque Societas ecclesiastica et civilis in sua manserit sphaera, et regulas praefatas observaverit, omnis collisio evitabitur (1).

## CAPUT II.

### DE JURIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE RELATE AD CIVITATEM.

### §. 158. *Divisio jurium.*

Ecclesia ad Civitatem, et Civitas ad Ecclesiam ideo referri possunt et debent, quia ambae hae societates supremae in uno eodemque territorio existunt, membra Reipublicae ecclesiasticae sunt simul membra Reipublicae civilis, et commercium actionum invicem intercedit. Quemadmodum autem ex relatione entium ratione praeditorum oriuntur officia et jura, ita ex relatione Ecclesiae ad Civitatem, quae ex hominibus constat, officia et jura emanant. Jurisconsultorum nonnulli jura Ecclesiae, per quam intelligunt etiam Romanum

(1) Die 5 Julii 1851 Magnus Dux Hetruriae cum *Pio IX.* R. P. iniit Concordatum pro determinanda sphaera utriusque potestatis in Hetruria, quod quindecim constat articulis, et cujus argumentum ad sequentia puncta reduci potest: 1. Ecclesia est libera in omnibus functionibus sacri ministerii, censurat opera religiosa, et habet jus brachium saeculare implorandi. 2. Tribunalibus ecclesiasticis omnes causae natura sua spirituales, ecclesiasticae et matrimoniales, tribunalibus civilibus omnes causae civiles personas et bona ecclesiastica respicientes, quaestiones juris patronatus laici, et omnes causae criminales in Codice civili contentae reservantur. Si clerici levium transgressionum rei fiant, non alia poena, quam mulcta pecuniaria sunt plectendi, ita tamen ut potestas civilis certiores reddat Superiores ecclesiasticos, et clerici modeste tractentur si ut eorum statui convenit. 4. Ecclesia libere sua bona administrat.

Pontificem, qui eam repraesentat, relate ad Civitatem dividunt: 1. In jura ficta, seu perperam Ecclesiae tribnta; 2. In jura ab imperantibus civilibus Ecclesiae et statui clericali concessa. 3. Denique in jura Ecclesiae proprie talia (1).

## §. 159. *Jura ficta, seu perperam Ecclesiae tributa.*

Medio aevo et subsequentibus temporibus non defnerunt canonistae et philosophi, qui nixi verbis Apostoli gentium (2) ita argumentabantur : teste Paulo omnis potestas est a Deo; atqui Dei Vicarius in terris est Romanus Pontifex: ergo omnis potestas sive ecclesiastica, sive civilis est penes Romanum Pontificem. Hi Primati universae Ecclesiae tribuebant potestatem directam in regna temporalia, id est reges creandi, et regno privandi, adeoque reges terrae ceu Romani Pontificis vicarios considerabant. Absurdam esse hanc sententiam agnovit ipse Cardinalis Bellarminus, eamque refutavit: verum excusaturus Romanos Pontifices, qui quosdam imperatores et reges deposuerunt, et subditos juramento fidelitatis absolverunt, eisdem indirectam concessit potestatem in bona terrena principum, quasi inter directam et indirectam quoad effectum aliqnod discrimen esset. Opinabatur vir doctissimus Ecclesiae Primati competere jus deponendi reges, quoties hi haeresi, schismate, vel aliis criminibus Ecclesiae damnum inferunt, ne subditi eorum exemplo aut auctoritate tracti a fide deficiant, vel a centro unitatis separentur, aut viam perditionis ineant. Ad excusanda facta Romanorum Pontificum medii aevi, potissimum S. Gregorii VII, Innocentii III, et Innocentii IV, qui terrae principes regno exuerunt, non est opus Primati Ecclesiae tribuere potestatem indirectam in regna, sed sufficit in memoriam revocare: 1. Qnod intuitu imperii Romani praesertim, Summi Pontifices crediderint se jus habere deponendi imperatores, quia Leo III anno 800 imperium occidentale resuscitavit in persona Caroli M., quod extincta familia Carolingica ad Duces Saxonicos et Franconicos transiit, qui post electionem Romam petebant, ut a Romano Pontifice coronam imperialem acciperent. 2. Quod fnerit sincera et constans medii aevi persuasio, Romanum Pontificem tanquam Dei hisce in terris Vicarium esse omnium rerum arbitrum. 3. Quod populos a jugo tyrannidis et barbarici liberaverint. 4. Quod in controversiis principum inter se, aut populos judices fuerint vocati, seu ipsorum consensu pro restabilienda concordia intercesserint. 5. Quod matrimo-

(1) Reckberger Ench. J. C. Sec. I. c. 2. p. 196. (2) Rom. 13.

nii sanctitatem et indissolubilitatem saepe a principibus violatam tuiti fuerint. 6. Quod canones et disciplinam Ecclesiae vindicaverint. 7. Quod libertatem Italiae, et Patrimonium divi Petri defenderint. Nullam potestatem neque directam, neque indirectam competere Ecclesiae, seu Romano Pontifici in regna temporalia, patet ex *ratione, revelatione, traditione, historia ecclesiastica, et testimoniis doctorum virorum.*

*Ex ratione.* Si Ecclesia et Civitas, ut diximus, sunt duae societates hominum supremae, origine, fine, mediis, extensione essentialiter discretae, quarum quaelibet potestate propria, summa et independente gaudet liberas subditorum suorum actiones ad finem praefixum dirigendi: si potestas civilis non ab Ecclesiae Primate, sed a Deo tamquam fonte in Civitatum Rectores derivatur: si finis Ecclesiae est mere spiritualis, scilicet salus animarum, et media ad hunc finem assequendum necessaria ejusdem naturae spiritualis esse debeant: si objecta potestatis ecclesiasticae sunt fidei et morum veritates, disciplina, et eae solum res temporales, quae ad cultum Religionis externum, et ministrorum sustentationem spectant; ipsa sana ratio perspicit, Romano Pontifici neque directam, neque indirectam competere potestatem in regna temporalia.

*Ex revelatione.* In sacra Scriptura neque vestigium occurrit collatae a Christo Domino Ecclesiae suae directae vel indirectae potestatis in regna temporalia. Christus ipse Ecclesiam et Civitatem probe discrevit, et obedientiam erga utramque Rempublicam inculcavit, dicens: « Reddite, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo ». (1) Accusatus arrogati sibi regni temporalis Pilato interroganti respondit: « Regnum meum non est de hoc mundo ». (2) Ergo Salvator divinus manifestavit regnum suum non esse temporale, profanum, periturum, sed coeleste, spirituale, aeternum, cui nonnisi potestas spiritualis respondere potest. Praeterea Apostolis non dedit potestatem reges creandi et deponendi, sed omnes ad veram Religionem et pietatem adhortandi, proemia et poenas in altera vita proponendi, contumaces excommunicandi. S. Paulus, optimus doctrinae Jesu Christi interpres, ait: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quae antem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis

(1) Matth. 22. (2) Joan. 18, 36.

laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ». (1) Quibus verbis Gentium Apostolus non solum significat obtemperandum esse potestati civili, quaecumque ea sit, quia omnis potestas est a Deo, sed insuper eam ita esse in suo genere perfectam, et independentem, ut nullo modo dependeat ab Ecclesia, sive spectatur quoad originem, sive quoad exercitium. Si enim terrae princeps ab Ecclesia haberet potestatem temporalem, Paulus debuisset eum Ecclesiae, non Dei ministrum appellare. Unde palam fit Ecclesiam neque directam, neque indirectam habere potestatem in regna temporalia. S. Petrus scribens ad Hebraeos Orientis ita se expressit: « Subditi estote omni creaturae propter Deum, sive Regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.... Servi subditi estote in omni timore Dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis: haec enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste ». (2) Etiam Apostolorum princeps aperte dicit Reges et duces non ab Ecclesia, sed a Deo mitti; adeoque non ab Ecclesia, sed a Deo potestatem regendi subditos accipiunt.

*Ex traditione.* Tertullianus in apologia pro christianis inquit: « Nos in imperatoribus veneramur judicium Dei, qui ipsis dedit imperium nationum ». Imperatores ergo a Deo, non ab Ecclesia habent imperium.

S. Joannes Chrysostomus (3) scribit: « Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, etiam si Apostolus sis, sive Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subvertit ista inspectio ».

S. Ambrosius ad Auxentium: « Coactus repugnare non novi; dolere potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, adversus milites Gothos, lachrymae quoque meae arma sunt: aliter nec possum, nec debeo resistere ».

S. Augustinus: (4) « Non tribuimus dandi regni, atque imperii potestatem nisi *vero Deo,* qui dat felicitatem in regno coelorum solis piis, regnum vero terrestre et piis, et impiis ».

Gelasius I. in epistola ad Anastasium imperatorem: « Imperator praesidet humano generi dignitate, sed in perceptio-

(1) Rom. 13. 1. 8. (2) I Petr. 2, 13. (3) In cap. 13. ep. ad Rom.
(4) L. 5. de Civit. Dei c. 25.

ne Sacramentorum Sacerdotibus est subjectus; legibus Principis, quantum attinet ad ordinem publicae disciplinae, parent religionis Antistites, sed in erogandis mysteriis et coelestibus Sacramentis Princeps ordine Religionis a Sacerdotum judicio pendet ».

*Ex historia ecclesiastica.* Primis tribus saeculis sub imperatoribus ethnicis, et tardius sub imperio Juliani apostatae, et principum arianismo addictorum Ecclesia catholica cruentissimas persecutiones, vexamina, molestias et injurias sustinuit: nihilominus ejus Antistites non coeperunt cum fidelibus consilium eos imperio privandi, neque unquam in rebus civilibus debitam obedientiam denegarunt, optime scientes quid Deo, et quid Caesari deberent. Neque objiciat aliquis, Jesu Christi asseclas tunc non potuisse hostibus Ecclesiae resistere, quia testibus Tertulliano et Irenaeo jam saeculo II. et III. in toto orbe maxima erat hominum multitudo, qui sub signis Redemptoris divini militabant. Eo major autem erat Christianorum numerus sub imperio Constantii, Juliani apostatae, et Valentis. Ecclesiae catholicae igitur non defuit possibilitas contra eos insurgendi, eosque imperio privandi; ast Ecclesia catholica numquam hoc fecit, quia probe agnovit, se neque directam, neque indirectam habere potestatem in regna temporalia.

*Tandem ex testimoniis doctorum virorum*: Rousselius (1) « Utrique potestati suus gladius attributus est: Ecclesiae videlicet spiritualis: Principi saeculari materialis quo in corpora hominum impiorum saeviat. Sunt igitur isti duo gladii divisi: ordinati vero ut ambo concurrant in illius corporis tutelam et defensionem; sicque Sacerdos temporalem gladium invocare possit, vel Princeps eum stringere debeat pro illius defensione, etiamsi a sacerdote non invocetur: ac temporalis etiam princeps exigere a spirituali viro queat, ut, cum opus erit, suum mucronem exerat; verum ita ut uterque Princeps et sacerdotalis et temporalis liber sit in usu gladii ».

Petrus de Marca (2) « Regium imperium quietem publicam, Episcoporum sollicitudo felicitatem aeternam hominibus procurat. Reges saecularibus, Pontifices spiritualibus ordinandis se impendunt .... Duo sunt distincta imperia, sed nobilitate imparia: neutrius vero libertas ab altera infringenda .... Auctoritas regia in rebus humanis administrandis non potest admittere consortium potestatis ecclesiasticae, quae ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere nequeat ».

(1) Hist. jurisd. Pont. l. 7. c. 5. n. 5. 7. (2) De concord. Sac. et Imp. l. 2. c. 1. et 2.

Dupinius: (1) « Ambae potestates sunt penitus disparatae et a Deo solo, a quo sunt institutae, dependent, ita ut neutra illarum in alteram quidquam possit, quamvis tamen spiritualis sit temporalis nobilior ».

Duquet: (2) « Ecclesia potestatem habet super fidelem, minime autem super regiam auctoritatem; et potest Principem usu rerum sacrarum interdicere, sed nullam unquam potest vim inferre potestati, quam non tenet nisi a solo Deo ».

## §. 160. *Jura ab imperantibus Ecclesiae concessa.*

Inter jura Ecclesiae ab imperantibus civilibus concessa praecipuo referunt jura triplicis immunitatis ecclesiasticae, nimirum *personalis*, *realis*, et *localis*. Immunitas personalis in se complectitur *a)* privilegium fori, vi cujus clerici olim in causis civilibus et criminalibus potestati civili non erant subjecti, *b)* exemptionem a quibusdam servitiis civilibus statui clericali haud convenientibus, v. g. militiae, *c)* privilegium canonis, quo fit ut si quis suadente diabolo clericum percutiat ipso facto excommunicationem incurrat, *d)* beneficium competentiae, quo clerico obaerato salva manet ejus statui congrua sustentatio, etiamsi creditoribus suis satisfacere nequeat. Immunitas realis est privilegium, vi cujus clerici et Ecclesiae eximuntur a solvendis tributis, et dicitur realis quia ipsis rebus, scilicet bonis clericorum et Ecclesiarum inhaeret. Denique immunitas localis sita est in exemptione Ecclesiarum et aliorum locorum sacrorum a nonnullis actionibus, quae sine irreverentia in iisdem institui nequeunt, v. g. mercatum et judicia forensia exercere, delinquentes ad illa confugientes inde extrahere, saltem ad sanguinis poenas exigendas; quod privilegium alio nomine etiam asylum ecclesiasticum appellatur. Circa has immunitates ecclesiasticas non desunt Doctores, qui eas in jure naturali fundatas, adeoque altioris originis esse contendunt. Nos utriusque partis argumenta praecipua adducimus.

## §. 161. *Argumenta illorum, qui immunitatem ecclesiasticam ex jure naturae deducunt.*

1. Ratio ipsa naturalis suadet, Religionis ministros utpote de Civitate, quae sine Religione subsistere nequit, caeteris magis meritos a reliquorum civium classibus distinguendos, et a muneribus communibus eximendos esse. 2. Non reperi-

(1) De auct. Eccl. disc. diss. 7. (2) De Inst. Princip. P. IV. c. 5. art. 7

tur gens adeo barbara, quae suae Religionis ministros, res et loca sacra non fuisset venerata. Romani, Aegyptii, Chinenses non solum delubra, verum etiam sacrificulos magnificis immunitatibus donarunt. In Aegypto tempore famis terrae Sacerdotum immunes servatae, et Sacerdotibus ex horreis publicis cibaria suppeditata fuere. (1) Artaxerses Persarum Rex mandavit suis gubernatoribus, ut Sacerdotibus, Levitis et Cantoribus Hebraeorum non imponerent vectigalia, tributa, et annonas. (2) 3. Templa idolorum, v. g. Dianae Ephesi, Cereris et Proserpinae in Peloponneso, Osiridis in Aegypto, Apollinis in Assyria, Veneris in Papho, et plura alia asyli juro gaudebant. 4. Apud populum israeliticum Sacerdotes, tota tribus Levi, Templum Dei, resquo ad illud spectantes variis immunitatibus fruebantur. 5. Clerus absque immunitate vilescit, ejusque auctoritati derogatur si cum plebe tribunalibus civilibus subjicitur. 6. Concilium Tridentinum Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus derivat (3).

### §. 162. *Argumenta illorum, qui immunitatem ecclesiasticam a principum clementia derivant.*

1. Nulla immunitatum species derivari potest ex jure naturae; nam Clerici in causis civilibus spectantur ut cives, qui perinde gaudent securitate vitae, bonorum, famae, aliisquo juribus a Civitate fluentibus: ergo qua tales jure naturali subsunt foro civili, tenenturque ferre onera cum aliis civibus, quia cum iisdem experiuntur commoda publicae securitatis. Bona clericorum et Ecclesiarum coaluerunt ex donationibus christianorum, quao suberant tributis et vectigalibus; ideoque pendet a terrae principibus ea ab oneribus vel eximere, vel eisdem subjicere. Demum jus naturale lesae Reipublicae jus relinquit illimitatum in delinquentes cujuscumque conditionis. 2. Immunitas ecclesiastica non potest derivari ex jure positivo divino, quia Christus fundando Ecclesiam nullum novum forum instituit pro causis civilibus clericorum, nec potestatem civilem diminuit, quin potius S. Paulus mandat, ut omnis creatura potestatibus sublimioribus subdita sit, cui consonant SS. Patres, in specie S. Bernardus, qui (4) Hincmarum Senonensem ita est allocutus: « Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; si omnis et vestra; quis vos excipit ab universalitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. » Imo gentium Apostolus ipse stans

(1) Gen. 47. (2) I. Esdrae c. 7. 24. (3) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 25.
(4) Ep. 42.

coram Festo judice saeculari ad Caesarem appellavit. (1) Eodem modo res se habet intuitu immunitatis realis; etenim Redemptor humani generis loquens de tributis dixit: « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo »; (2) et divus Paulus: « Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal ». (3) Cum Christo et Apostolis concordant SS. Ecclesiae Patres. S. Justinus: (4) « Illud etiam summo nobis studio est, ut vectigalia, et census iis, quibus hoc munus commissum, primi omnino pendamus, quemadmodum a Christo instituti sumus. S. Irenaeus: (5) « Secundum hoc Dei ministri sunt, qui tributa a nobis exigunt ». S. Ambrosius: (6) « Si tributum imperator petit, non negamus: agri Ecclesiae tributum solvunt ». Asyla in veteri Testamento invecta, in Novo foedere utpote ad judicialia spectantia exoleverunt ita, ut eorum nulla fiat mentio. 3. Tandem neque a jure ecclesiastico potest immunitas ecclesiastica deduci, quia Ecclesia Clericos eorumque bona a potestate Civitatis, cum haec ab illa minime dependeat, eximere nequit, prout neque statuere asyla, cum jus vitae et necis sit penes Civitatem. Cum igitur immunitas ecclesiastica neque a jure naturali, neque positivo divino, neque ecclesiastico derivari possit, patet eam nonnisi clementiae imperatorum civilium esse adscribendam, eorumdemque moderationi subesse, potissimum quia historia ecclesiastica ostendit, quando et quomodo ab imperatoribus fuerit concessa, varieque jam amplificata, jam restricta, et modificata. Decebat, ut terrae principes privilegia a suis antecessoribus Ecclesiae et Clero concessa intacta servarent; ast inde a saeculo XVII. in variis regionibus immunitas ecclesiastica fuit violata, et hodie nonnulla tantum privilegia ejusdem vigorem habent.

### §. 163. *Jura Ecclesiae proprie talia.*

Cum Ecclesia Jesu Christi custos sit et ministra divinae Religionis, et non solum, ut ait Montesquieu, fideles ad beatitudinem aeternam perducat, verum etiam in hac terrestri peregrinatione felices reddat, dummodo leges ab ipsa praescriptas observent, debet subsidia parare, et impedimenta removere, ut finem sibi propositum consequatur; hinc generatim Ecclesiae competit jus ad omnia media justa, quae ei sunt necessaria ad salutem animarum promovendam. In specie autem Ecclesia habet. 1 *Jus exigendi a Civitate protectio-*

(1) Act. 25 (2) Matth. 22. (3) Rom. 13. (4) Apol. 1. (5) L. 5. adv. haeres. c. 24. (6) Ep. 32.

*nem civilem a)* quoad libertatem in exercitio Religionis, et usum omnium rerum, quae ad essentialia et accidentalia Religionis, Reipublicae tamen innocua, spectant, *b)* quoad incolumitatem, ut nimirum omnia ejus jura et bona salva sint, *c)* quoad justitiae administrationem, ut scilicet quod jam possidet ei non adimatur, et jurium suorum violatores condignis poenis excipiantur. 2 *Jus cavendi*, ne boni politici obtentu, aut potestatis civilis abusu, quidpiam Religioni, Ecclesiae, aut animarum saluti statuatur, vel exigatur; quod jus Ecclesia exercere debet modo suae indoli congruo, et adhibere media spiritualia, puta adhortationes, preces, reclamationes, patientiam, et constantiam in perferendis pro Dei nomine rebus adversis. 3 *Jus et officium exemplo et verbo promovendi bonum Civitatis*, id est adhortandi et urgendi fideles, ne debita Reipublicae civili officia cum animae suae, ac felicitatis temporalis detrimento negligant, ut reddant Caesari quae sunt Caesaris, sint potestati civili subjecti non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, exhibeant eidem debitum honorem et reverentiam, solvant tributa et vectigalia, leges civiles justas observent, contra salutem Reipublicae non conspirent etc (1).

## CAPUT III.

### DE JURIBUS CIVITATIS RELATE AD ECCLESIAM.

### §. 164. *Civitati non competit jus in sacra.*

Omnia objecta Religionis sunt vel *essentialia* ac prorsus immutabilia, vel *accidentalia* mutationibus obnoxia. Ad illa spectant dogmata fidei morumque, Sacramenta, Hierarchia originis divinae, aliaque a Christo Domino instituta; ad haec pertinent omnes res disciplinares. Protestantes, speciatim Hugo Grotius *in commentario de imperio summarum potestatum*, et Samuel Pufendorfius *in libro de habitu Religionis christianae* ad vitam civilem, docuerunt et adhuc docent, Christum Dominum non Petro et Apostolis, sed toti fidelium coetui dedisse potestatem sacram, coetumque fidelium potestatem a Christo acceptam in terrae principem transtulisse; ideoque Ecclesiam non esse statum ab imperio civili segregatum, et imperantem civilem habere jus in *sacra*, seu in *essentialia*, idest jus suis subditis Religionem praescribendi, sacra refor-

(1) Montesquieu l'Esprit des lois l. 24. c. 6., Rechberger Encb. Jur. Eccl. §. 263., Schenkel Inst. J. C. Sect. II. c. 1. p. 542.

mandi, determinandi, declarandi, definiendi, quia *cujus est regio, illius est Religio.* At Protestantes in manifesto errore versantur; nam teste Scriptura sacra Christus Dominus non toti coetui fidelium, sed solis Apostolis eorumque successoribus potestatem sacram contulit; hinc coetus fidelium nullam sacram potestatem in terrae principes transferre potuit. Populus quoad actiones externas tantum imperanti civili se subjecit, ut in Civitate tute et secure juribus et bonis suis utatur et fruatur; intuitu vero Religionis mansit liber, quia Religio pendet ab hominum conscientia, quae omnino libera esse debet: igitur Civitati nullum jus in *sacra* competit. Constantinus M., Theodosius II, et Valentinianus, Romanorum imperatores, ingenue confessi sunt, sibi nullam in Religionem competere potestatem (1).

## §. 165. *Neque circa sacra.*

Nonnulli Canonistae desiderio ducti principum auribus blandiendi, et amplissimos dignitatis gradus adipiscendi, ut probrosum haereticorum nomen a se abigerent, principium Protestantium palliantes, Ecclesiam Jesu Christi catenis cinxerunt, ancillam Civitatis reddiderunt, ejusque independentiam ab ipsis quoque propugnatam eliminarunt, ac turpiter sibi contradixerunt, asserentes ad jura majestatica, id est ad jura essentialia Principis, quae habentur etiam in Sultano Turcarum, et Imperatore Chinensium, pertinere jus *circa sacra*, hoc est circa *potestatem ecclesiasticam, exercitium Religionis, personas ecclesiasticas, ac bona ecclesiastica,* et Civitati concesserunt jus placiti regii, institutionem christianam promovendi, accidentales Religionis ritus moderandi, colloquia pro decidendis controversiis Religionis instituendi, numerum et dotes Clericorum praescribendi, studia theologica dirigendi, limites dioecesium et parochiarum restringendi et determinandi, recursum ab abusu potestatis ecclesiasticae recipiendi, exclusivam ad dignitates et officia ecclesiastica dandi, bona ecclesiastica administrandi, et plura alia quae enumerare nimis longum foret. At Civitati nullum jus circa sacra, idest circa res disciplinares Ecclesiae competere potest; nam ea, quae ad Dei cultum tam internum quam externum, atque animarum salutem proxime referuntur, ecclesiastico privative subjecta sunt imperio: eo autem non essentialia solum, sed et accidentalia pertinent. Proinde etiam jus determinandi, quod solis Ecclesiae Rectoribus Christus reservatum vo-

(1) Commentarius de finib. utriusque potestatis cap. 1. Lugani a. 1779.

luit, Civitati competere nequit. Ex sacris Literis constat, divinum humani generis Redemptorem solis Episcopis jus novas leges ferendi contulisse: atqui haec potestas haud circa *essentialia* et *dogmatica*, in quibus una declarandi potestas locum habet, sed circa *disciplinaria* se exerit; etenim Episcopi non sunt nisi ministri et dispensatores mysteriorum Dei; (1) servi sunt, quos constituit Dominus super familiam suam (2). Quemadmodum autem ministri et servi nullum jus habent in res a Dominis sibi commissas; ita neque Hierarchae ecclesiastici in dogmata fidei et morum a Christo Domino sibi tradita. Ecclesiae Rectores igitur non habent potestatem *in sacra*, id est non possunt abolere, mutare essentialia Religionis, vel nova dogmata statuere, sed *circa sacra* tantum: quod si Civitati jus in sacra, hoc est in objecta disciplinaria mere ecclesiastica conceditur, vel omnis potestas legislativa Ecclesiae Rectoribus adimitur, aut id, quod Christus Dominus solis Episcopis dedit, magistratibus civilibus commune redditur, seu terrae princeps Episcopo aequatur, quod absurdum est (3).

### §. 166. *Jura Civitatis relate ad Ecclesiam.*

Rectori reipublicae civilis relate ad Ecclesiam competit: 1 *Jus advocatiae et protectionis;* idest jus Religionem et Ecclesiam Jesu Christi defendendi et protegendi; etenim cum Religio Christiana, cujus Ecclesia est custos et ministra, sit fulcrum Civitatis, veraeque felicitatis temporalis subsidium praestantissimum, contineat veritates divinas, quae cuilibet magni esse debent utpote ad salutem animarum consequendam necessarias, prohibeat omnis generis mala, etiam ea quae nec oculus legislatoris civilis perspicere, neque brachium judicis punire potest, doceat obedientiam potestati civili praestandam esse non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ac finem Reipublicae civilis mirum in modum promoveat, ejus Rector habet jus Ecclesiam, quae est columna et fundamentum veritatis, defendendi et protegendi. Sane si res omnes, etiam imperium civile divinae gloriae illustrandae servire debet; si princeps personas, jura, bona suorum civium et collegiorum defendere et protegere tenetur, multo magis ad Ecclesiae a Deo institutae, et ministrorum ejus securitatem, honorem, bona, jura defendenda et pro-

(1) I. Cor. 4. 1. (2) Matth. 24, 45. (3) Petrus de Marca de conc. Sac. et Imp. l. 2. c. 5. n.6. et c. 6. n. 6 etc., Schenckel Inst. J. C. Sect.II. c. 2. p. 543. §. 360.

tegenda obligatur; si quivis paterfamilias, quivis homo intuitu suorum, imo et aliorum tenetur Religionem promovere, quanto magis princeps, qui *Dei minister est in bonum.* « Regia potestas, scribit S. Leo, non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium est imperatoribus collata, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bona statuta sunt defendendo, pacem iis, quae turbata sunt restituant ». « Mirantur, ait S. Augustinus, quia commoventur potestates christianae adversus detestandos dissipatores Ecclesiae; si ergo non commoverentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas vestra, quid dicam: quia hoc pertinet ad reges saeculi christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. Talia facere volunt (haeretici), et saltem talia pati nolunt. Nam videte qualia faciunt, et qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur ». 2 *Jus bonum Ecclesiae promovendi;* nam etiam Reipublicae civilis Rector catholicae Religioni addictus tenetur omnes actiones suas ad finem ultimum, id est ad Dei gloriam dirigere, quod facit dum Ecclesiae bonum promovet, et impedimenta removet. Ei igitur jus competit Ecclesiae Antistitibus in definiendis fidei et morum veritatibus, nec non in statuenda disciplina ecclesiastica libertatem et auctoritatem sartam tectam servandi, definitiones et decreta eorum tum exemplo suo, tum legum civilium sanctionibus sustinendi, eorumque executionem urgendi, doctrinam veritati contrariam prohibendi, verae religionis hostes, aut legum ecclesiasticarum contemptores compescendi, dissidia de Religione comprimendi etc. 3 *Jus cavendi* non circa dogmata et essentialia Religionis, quia per haec civilis Respublica ab Ecclesia erroris experte laedi nequit, sed circa objecta disciplinaria et mutationibus obnoxia, ne sub obtentu Religionis, aut abusu potestatis ecclesiasticae damnum Civitati inferatur. Igitur quoties per leges disciplinae novas, vel per abusum potestatis ecclesiasticae Reipublicae civilis finis laederetur, aut subverteretur, toties terrae princeps jus habet impediendi, quominus hoc malum societati civili obveniat (1).

(1) S. Leo ep. 125. ad Leonem imp, S. Augustinus tract. II. in Joan., Conc. Trid. Sess. 25. cap. 20., Stettler vera Hierosolyma §. 178. seqq., Schenkel Inst. J. C. Sect. II. c. 2. p. 547. etc.

# SECTIO II.

## JUS PUBLICUM EXTERNUM RELATE AD ALIENARUM CONFESSIONUM HOMINES.

## CAPUT I.

### DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE AD ALIAS SECTAS.

### §. 167. *Tolerantiae notio et divisio.*

Dum plures Ecclesiae diversam religionem profitentes in uno eodemque territorio existunt, oriuntur relationes quae non sunt possibiles nisi sub conditione *tolerantiae;* etenim si invicem non se tolerarent, altera alteri interitum pararet. Tolerare idem est ac sustinere quidquam ita, ut illud potius abesse, quam adesse vellemus. Tolerantia communiter dividitur in *theologicam, christianam,* et *civilem. Theologica,* quae *religiosa,* vel *ecclesiastica* vocatur, nihil aliud est quam indifferentia in materia religionis, qua secta una ita fertur ad alterius sectae dogmata, ut credat ejusdem membra salvari posse, quin a suae religionis principiis recedat, nec dubitat aliarum confessionum asseclas ad sacrorum communionem admittere. *Tolerantia christiana* est exhibitio officiorum amoris, humanitatis et justitiae erga omnes homines sine discrimine religionis, et dicitur christiana quia a Christo originem suam trahit. *Tolerantia civilis* est facultas a regimine politico data cuidam civium classi propriam exercendi religionem, quae plus minusve patere potest.

### §. 168. *Tolerantia theologica.*

Ecclesia catholica a tolerantia theologica abhorrere debet, quod patet ex sequentibus: 1 Per tolerantiam theologicam inutilis plane redditur omnis revelatio: si enim omnes religiones bonae forent, ac salutares, ad quid Deus voluntatem suam hominibus patefecisset? Ad quid supplicia minatus fuisset iis, qui ejus resisterent voluntati? Ad quid unigenitus Dei Filius in hanc terram descendisset? Ad quid doctrinam suam praedicasset? Ad quid miracula patrasset? Ad quid passus et mortuus fuisset? Ad quid sanguinem suum fudisset? Nonne illusoria essent haec omnia? At vero: « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, et filius hominis, ut mutetur: dixit ergo et non faciet, locutus est, et non implebit? (1)

(1) Num. 13, 19.

2 Si omnes religiones verae forent, duae vel plures darentur veritates sibi contrariae: hoc vero absurdum est; etenim veritas individua est ac simplicissima, nec ipsi opponi potest nisi error et falsitas. Veritas necessario excludit errorem et falsitatem, ut lux expellit tenebras, neque cum iis ullo modo consistere potest. 3 Admissa tolerantia theologica Deus aeque patrocinaretur veritati et errori, et aeque diligeret et salvaret eos, qui ejus mandatis obsequuntur, et eos qui voluntarie et culpabiliter ipsi resistunt, rejiciuntque veritates a se ad credendum propositas; per consequens Deus esset indifferens circa veritatem et falsitatem, virtutem et vitium, obedientiam et perduellionem, quod non solum divinis attributis repugnat, verum etiam ipsam Dei notionem destruit, et Deum Epicuri inducit. 4 Si sermo praesertim est de diversis christianorum sectis, Christus auctor fuisset omnium contrariarum opinionum; etenim aliter revelasset Catholicis, aliter Lutheranis, aliter Calvinistis, aliter Zuinglianis, aliter Socinianis: igitur Christus indifferens esset, sive quis suscipiat totam, sive partem Religionis ab ipso revelatae, sive adoretur ut Deus, sive habeatur ut simplex creatura; quod nulla ratione esse potest. 5 Nos a natura ita comparati sumus, ut non possimus non communicare aliis veritatem, cujus persuasi sumus, potissimum si ab ea salus aeterna pendet. Natura compellimur ad auxilium proximo periclitanti ferendum, praecipue ad avertendum ab eo malum malorum omnium maximum, id est aeternam damnationem: hinc fieri nequit, ut catholicus, qui de suae Religionis veracitate convictus est, Religionem suam, quam cuivis ad salutem necessariam novit, aliis persuadere non studeat. Jam vero si id cuilibet catholico incumbit, eo magis Ecclesiae docenti, quae est columna et fundamentum veritatis. 6 Christus venit in hunc mundum, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perduceret, ut fieret unum ovile, et unus Pastor, quia est unus Dominus, una fides, unum baptisma; Christus, Ecclesiae Fundator, Apostolis praecepit, ut praedicarent Evangelium omni creaturae et lumen veritatis evangelicae ad terminos usque orbis terrarum diffunderent. Fuisset ne opus mittere Evangelii praecones in mundum universum, si quilibet homo in sua religione potuisset salvari? Ex his liquido fluit, Ecclesiam catholicam abhorrere a tolerantia dogmatica. Ecclesia Jesu Christi debet sanctissimum Religionis depositum custodire, et aliis tradere, doctrinam coelestem propagare, et tenebras errorum depellere, mediis tamen suae indoli congruis, praedicatione nempe, exhortatione, proemiorum et poenarum propositione, exclusis fraudibus, blandimentis et

physica coactione, quae in intellectum haud agunt, et voluntatem non movent. Quam ob rem SS. Ecclesiae Patres institutionem veluti unicum medium propagandae Religionis christianae agnoverunt. « Religionis, inquit S. Athanasius, non est cogere, sed docere et convincere ». « Eos, scribit S. Gregorius M., qui a Religione christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, eos ad unitatem fidei necesse est congregare ». Et alibi: « Nova et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem » (1).

## §. 169. *Tolerantia christiana.*

Tolerantia christiana consistit in eo, ut omnibus hominibus utpote a Deo creatis, sine religionis discrimine, officia charitatis, humanitatis, et justitiae exhibeantur; quo spectant erogatio stipis, aequitas in judiciis, fidelitas in contractibus, adjutorium in periculis, et benignitas, qua error circa religionem infirmitati, seductioni, educationi potius, quam malitiae adscribitur, nisi adeo manifesta sit, ut negari nequeat. Si duo homines, quorum unus catholicae, alter alienae religionis assecla foret, in aequali versarentur necessitate aut periculo, et uni tantum auxilio ferri posset, catholicus est semper praeferendus. Tolerantia christiana originem ducit a Christo Domino; nam divinus Salvator non solum eam praedicavit Judaeis relate ad omnes homines, verum etiam exposuit proposito exemplo Samaritani invisi, qui misertus hominis a latronibus sauciati ejusdem curam gessit donec reconvalesceret. (2) Hanc tolerantiam docuerunt Apostoli, et in praxim deduxerunt christiani per tria saecula inter furentes persecutiones ita, ut ipsi eorum inimici in stuporem raperentur, et testimonium perhiberent. Tolerantia christiana per bene consistit cum intolerantia theologica, quia illa non fovet errores, sed errantem benigna complectitur charitate: imo ea medium est aptissimum alienae Religionis asseclas ad veritatis agnitionem adducendi. « Neque propter errorem, inquit S. Gregorius M., odio habemus hominem, neque propter hominem diligimus errorem ». « Zelus et doctrina, scribit celeberrimus Frayssinous, numqnam debent charitatem immutare. Religio, quam profitemur, persequitur errores, sed tolerat personas. Quidquid per saeculorum decursum alienum

(1) Matth. 18, 19., Marc. 16, 15, Joan. 10, 16., Ephes 4., 3., S. Gregor. M. l. 2. ep. 52. l. 1. ep. 35. (2) Luc. 10, 31.

fuit ab hoc duplici charactere vis ex una parte, dulcedinis ex altera, non a Religione, sed a perturbatis animi motibus processit » (1).

### §. 170. *Tolerantia civilis*

Propter pericula seductionis Apostoli impense commendant fidelibus, ut, quantum fieri potest, ab haereticorum conversatione sibi caveant. Sic S. Joannes (2) scribit: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam (Christi) non habet, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim illi dicit ave, communicat operibus suis malignis ». S. Paulus ad Titum ita loquitur: « Haereticum hominem post unam vel secundam correptionem devita, sciens quia perversus est ». Et ad Romanos: (3) « Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos habetis, faciunt, et declinate ab illis; per dulces enim sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium ». Sancti Ecclesiae Patres, Apostolorum vestigiis insistentes, haereses tetris coloribus depingunt. S. Ambrosius de fide ad Gratianum imperatorem: « Haeresis est velut hydra fabularum, quae vulneribus suis crescit, et dum saepe reciditur, repullulat. » S. Hieronymus (4) « Scintilla statim, ut apparuerit, extinguenda est, et fermentum a massae vicinia removendum: secandae carnes putridae, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, pecora ardeat, corrumpatur, putrefiat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim repressa est, totum orbem ejus flamma populata est ». Si nostra de tolerantia civili sententia quaeratur, confidenter asserimus, quemlibet hominem ratione praeditum, et multo magis Reipublicae civilis Rectorem serio teneri in Religionis veritatem inquirere, inventamque amplecti et tueri, quia ab ea non solum ejus salus aeterna, verum etiam civium pendet. Vera Religione inventa, et in Statum introducta, vel si longa saeculorum serie jam existat, reliquae religiones falsae Civitati evadunt funestae; etenim religionum diversitas, teste historia, unionis vinculum inter cives solvit, animarum aversiones, jurgia, lites, tumultus, bella generat, tranquillitatem publicam turbat, et verae Religioni maximopere nocet: quapropter princeps ceu publicae tranquillitatis, et verae Religionis tutor ac vindex jus habet et officium vetandi, ne fal-

(1) S. Greg. M. l. 1. ep. 42., Frayssinous Conférences sur la Religion.
(2) Ep. 2. ad Electam ejusque filios. (3) 16, 17. (4) Comment. in ep. ad Gal. c. 5, 9.

sa religio in Civitatem introducatur, radices figat, et dilatetur, et praecipiendi, ut aliarum confessionum asseclae, si jam existant, vel a tumultibus et ab aliorum seductione abstineant, aut a suo territorio discedant. Ex dictis inferri haud potest, Reipublicae civili Rectori jus esse verae Religionis doctores et asseclas a regione, in qua falsa religio dominatur, excludendi: nam nemini jus competere potest prohibendi, ne quis Religionem veram et divinam praedicet, vel profiteatur, aut praecipiendi, ut quis falsam amplecti debeat. Religio catholica, quae notis characteristicis ceu divinam se se commendat, non fovet dissensiones, non excitat seditiones, sed cives ad concordiam stimulat; adeoque cuilibet terrae principi in votis esse debet. Licet enim Reipublicae civilis Rector catholicus veram atque divinam Religionem, qua publicae tranquillitatis tutor, et Ecclesiae Jesu Christi defensor ac protector fovere, et nonnisi unicae et orthodoxae Religionis exercitium suis subditis concedere debeat: eveuit tamen quandoque, ut utriusque Reipublicae tum necessitas, tum accidens utilitas, majusve periculum alio modo non avertendum civilem falsae religionis tolerantiam sibi exposcat. Hinc quoties ea sunt rerum adjuncta, in quibus, spectatis omnibus, et habita tam Ecclesiae, quam Reipublicae salutis ratione, falsam religionem civiliter tolerare, quam non tolerare minus malum sit, princeps poterit subditis suis a vera Religione alienis falsae religionis exercitium indulgere, quod vulgo, *tolerantiam civilem* appellant. A Rectore Reipublicae civilis quoque pendet, modum, conditiones, et fines tolerantiae praescribere; imo poterit princeps, salvis tamen praerogativis Religionis et Ecclesiae catholicae propriis, quoad jura civilia aequiparitatem civilem concedere (1).

## §. 171. *Ecclesiae a Civitate toleratae.*

Ecclesia Judaica toleratur in omnibus regionibus, in quibus major pars civium Religionem catholicam profitetur, et quidem: 1 quia a Judaeis vix ullum imminet periculum seductionis; nam, teste experientia, non solent alios ad religionis defectionem sollicitare, et raro evenit, ut aliquis ad eorum castra transeat; 2 quia considerantur tanquam oves Israel deperditae, quas Deus vult in testimonium Religionis christianae per totum orbem dispersas conservari; etenim quod

(1) Banniza Diss. de divers. relig. tollerantia c. 1. §. 2., Thesaur. J. E. t. 3. p. 442., Stattler. vera Hierosolyma §. 175. seq., Banniza de vera Relig. libert., Muratori de moderat. ingen. l. 2. c. 1. et 12., Schenckel Inst. J. C. Sect. II. cap. 2 p. 557, 558, 559.

ad librorum V. T. veritatem attinet sunt testes, et quasi Christianorum Bibliothecarii; 3 quia Judaei divinae justitiae testimonium perhibent, et aliquando ad fidem certo sint convertendi, uti Oseas, Sophonias, et Paulus praedixere. Etiam Ecclesia Graeca schismatica a catholicis Reipublicae Rectoribus quasi ubique gentium toleratur. Ecclesiae Lutheranae et Reformatae tam in Gallia, quam in Belgio vi legum publicarum plena religionem suam profitendi libertas concessa est. In Germania vi pacis Vestphalicae anno 1648 sub Ferdinando III. initae, Lutherani et Calvinistae liberum nacti sunt suae religionis exercitium: at in Austria non potuerunt hoc beneficium obtinere, quia praefatus imperator pro suis ditionibus illud denegavit. Josephus II. edito die 13 octobris 1781 decreto, Protestantibus utriusque confessionis, et Graecis schismaticis pro suis quoque ditionibus gratiosam tolerantiam concessit sub sequentibus conditionibus: 1 ut Religio catholica sit dominans et publico gaudeat exercitio; 2 ut Acatholici privatum habeant religionis exercitium, ubi eousque non erant in possessione publici ejusdem exercitii; 3 Ut usque ad primam Januarii 1783 quilibet Catholicus possit ad partes Acatholicorum transire erga solam insinuationem coram Magistratu civili loci, et Commissario ecclesiastico: a prima vero Januarii 1783 debeat coram proprio parocho catholico institutionem sex hobdomadarum subire; 4 Acatholicis sub gravi poena interdictum fuit Catholicos ad defectionem sollicitare; 5 Injunctum Catholicis et Acatholicis, ut quiete et pacifice vivant, et ratione religionis injurias invicem non sibi inferant; 6 Statutum, ut qui ad aliquam ex religionibus toleratis non spectat, pro catholico habeatur. Leopoldus II, Josephi frater, die 7 novemb. 1790 eandem tolerantiam extendit ad praefatas sectas in Hungaria et Transilvania commorantes. Tandem die 4 martii 1849 Franciscus-Josephus, Austriae imperator, edita constitutione omnibus Ecclesiis in suo imperio existentibus aequalia jura, et liberum religionis exercitium concessit. Etiam in aliis regnis catholicis, ubi principes vel sponte vel coacti novas emiserunt constitutiones, non solum Judaei, Graeci non uniti, Lutherani et Reformati, verum etiam aliae sectae, quibus enumerandis supersedemus, suae religionis exercitium obtinuerunt.

## CAPUT II.

### JURA, QUAE ECCLESIA CATHOLICA TENEBAT IN AUSTRIA RELATE AD ALIENARUM CONFESSIONUM ASSECLAS.

### §. 172. *Jura relate ad Protestantes.*

Notitiae causa commemoramus jura, quae Ecclesia catholica ante editam constitutionem tenebat in Austria relate ad Protestantes. Vi legum tolerantiae Ecclesiae Catholicae relate ad Protestantes sequentia jura competebant: 1 Sola Ecclesia catholica publicum habebat Religionis exercitium; 2 Parochus catholicus promulgabat in Ecclesia matrimonia Acatholicorum intra fines suae parochiae degentium, percipiebatque ab Acatholicis proventus stolares, decimas parochiales, et redditus fundationum; 3 Ad parochum catholicum spectabat habere catalogos baptizatorum, copulatorum, et mortuorum, e quibus privativo conficiebat instrumenta publicam fidem habitura; 4 Parocho catholico peculiare jus erat aegrotos acatholicos semel invisendi, eisque officia sua offerendi; 5 Jus exigendi ab Acatholicis ne Catholicos quacumque ratione ad defectionem sollicitarent, aut ignominiose tractarent, ad religiosos conventus admitterent, priusquam scriptam exhibuissent Magistratus facultatem concessi sibi liberi transitus ad Acatholicos; 6 Jus postulandi, ut in processionibus publicis, item dum Viaticum ad infirmos deferebatur, si obviam facti fuissent, vel caput detegerent, vel gressum sisterent, vel demum abirent; 7 Jus recipiendi quotquot desiderabant ad sinum Ecclesiae catholicae converti; quo in casu animarum Pastor debebat motiva conversionis examinare, et si fuerant spuria, in puriora mutare, candidatum solide instituere, praecipue in dogmatibus, quae Protestantes rejiciunt, et deinde Episcopo scribere, ut eum ab haeresi absolveret, et ad fidei professionem admitteret. Episcopus casum referebat ad Circuli Praefecturam, et haec certiorem reddebat ministrum acatholicum, ut conversum a catalogo suo deleret. Recidivum repellere tenebatur minister acatholicus, et casum Circuli Praefecto indicare, a quo certior fiebat Episcopus et hic monebat parochum, ut recidivum corriperet, et ad constantiam adhortaretur; 9 Si Acatholici leges tolerantiae violabant, v. g. sollicitando Catholicos ad defectionem, prostituendo horum sacra etc., si dissidia inde exorta pacifice componi non poterant, parochus jus habebat legum violatores ad politicam authoritatem deferendi.

## §. 173. *Jura Ecclesiae Catholicae relate ad matrimonia mixta.*

*Matrimonia* contracta a duabus personis diversi sexus, quarum una est catholica, altera acatholica, *mixta* vocantur. Circa matrimonia mixta leges tolerantiae sequentia statuebant: 1 Promulgabantur in Ecclesia parochiali catholica. 2 Pars acatholica sistere se debebat coram parocho catholico, ut de reqnisitis et impedimentis matrimonii rationem redderet; qua occasione parochus tenebatur exponere leges tolerantiae, potissimum eas, quae prolium educationem, et sollicitationem compartis ad defectionem spectabant. 3 Persona acatholica contrahens cum persona catholica debebat renuntiare juri petendi divortium totale, et consentire in matrimonii indissolubilitatem. 4 Copulatio pertinebat ad parochum catholicum, ita tamen ut etiam minister acatholicus tanquam testis adesse posset. 5 Parocho competebat jus, sicut reapso competit, denegandi copulationem personae catholicae cum acatholica a conjuge judicialiter separata. Pius VII. P. M. Brevi dato ad Carolum Dalberg Archiepiscopum Moguntinum 3 Oct. 1803 declaravit, matrimonia catholicorum cum personis, quae ritu acatholico fecissent divortium, esse adulteria, et partem catholicam veluti indignam publice a Sacramentorum perceptione esse repellendam.

## §. 174. *Circa proles legitimas.*

Quod ad proles legitimas attinet, statutum erat: 1 In matrimoniis mixtis, si pater erat catholicus, liberi omnes absque sexus discrimine catholice educari debebant: si vero pater acatholicam religionem profitebatur, filii patris, filiae matris fidem sequebantur. Summus Pontifex Gregorius XVI, edita anno 1841 Bulla mandavit, ut in matrimoniis mixtis pars acatholica, ante nuptiarum celebrationem spondeat, se permissuram ut omnes proles sine sexus discrimine in Religione catholica educentur, secus parochus non teneatur benedictionem nuptialem impertiri. Ferdinandus I. vero, Austriae imperator, decreto die 9 Jun. 1842 statuerat, ut acatholici, qui sponderent, et post contractum cum personis catholicis matrimonium reluctarentur, ab auctoritate civili ad promissa servanda adigerentur. 2 Proles a parentibus avulsae, et in Religione catholica educatae, si annos discretionis necdum erant adeptae, parentibus acatholicis reddi jubebantur; si vero annos discretionis assequutae fuerant, optio ipsis dabatur. 3. Liberi subditorum austriacorum, qui fidei causa emigra-

verant, et adepta conscientiae libertate in Austriam revertebantur, si durante parentum absentia in fide catholica fuerant educatae, parentibus restituebantur si necdum ad annos discretionis pervenerant; si vero maturum jam habebant judicium poterant vel in Religione catholica perseverare, vel religionem parentum profiteri. 4 Si pater acatholicus, superstite uxore, transibat ad Ecclesiam catholicam, liberi omnes utriusque sexus impuberes in fide catholica educandi erant: si vero mater convertebatur, patre in religione acatholica permanente, filiae tantum impuberes Religionem matris sequebantur. Quodsi, comparte mortua, superstes fidem catholicam amplectebatur, liberi omnes sine sexus discrimine in eadem educari debebant. 5 Si agebatur de prolibus, quarum parentes noviter ad Protestantes deficiebant, decreta austriaca distinguebant inter infantes primae aetatis, et eas, quae scholas catholicas jam frequentabant; priores sequebantur confessionem parentum; posteriores in perdiscenda doctrina catholica jam versantes, etiam deinceps scholam catholicam frequentare et catecheses excipere jubebantur, sique ad maturiorem aetatem pervenientes ad castra acatholicorum transire cupiebant, adultis acquiparabantur, et sex hebdomadarum institutioni subjiciebantur.

## §. 175. *Circa proles illegitimas.*

Pater acatholicus, si quidem jus educandae prolis extra matrimonium prognatae in suae confessionis dogmatibus vindicare sibi volebat, statim post baptismum patrem se talis prolis profiteri tenebatur; si id facere negligebat, deinceps non amplius audiebatur. Si nemo se declarabat patrem prolis illegitimae, jus ejusdem educandae devolvebatur ad matrem, modo ad unam ex confessionibus toleratis pertinuisset, prolemque ipsa aluisset. Quodsi ob matris paupertatem Civitas debebat sustentare prolem, ea in fide catholica, utpote dominante, educanda erat. Proles quoque expositae, quarum parentes ignorabantur, spectabant ad Civitatem et proinde in Religione catholica erant instituendae.

## §. 176. *Circa Catholicos qui ad castra Acatholicorum deficiebant.*

Inde a prima die Jannarii 1783 transiturus ad castra Acatholicorum sex hebdomadarum institutionem apud parochum catholicum subire debebat. Parocho sequentia praescribebantur:

1. Debebat inquirere in motiva. 2. Curare, ut institutio esset solida, et proponere dogmata claris Scripturae sacrae et SS. Patrum testimoniis firmata. 3. In institutione tenebatur uti mansuetudine, et ab omni vexatione, ab omnibus conviciis, ab omnibus verbis invectivis abstinere. 4. Poterat plures simul instituere. 5. Sufficiebat, si instituendus duabus vel tribus horis de die institutioni vacabat in aedibus parochialibus; dies vero, quibus antehac institutioni vacaverat, ab illis sex hebdomadibus subtrahendi erant. Si peracta institutione manebat pertinax, parochus eidem tradebat testimonium scriptum, quod novus apostata exhibebat Magistratui civili, a quo scriptam obtinebat facultatem ad castra Acatholicorum transeundi. Durante institutione talis pro catholico habebatur, et si in infirmitatem incidebat, non licebat ei ministrum acatholicum advocare. Parochus et Magistratus jubebantur invigilare, ne transituri ad Acatholicos, durante institutione, ullam cum eisdem haberent conversationem. Denique cautum erat, ut inquilini, famuli, aliique hujusmodi, qui ab una parochia ad aliam se transferunt, si se acatholicos profitebantur, debebant parochum novi domicilii, producto testimonio edocere, se legitime transiisse ad partes acatholicorum, alias poena gravis manebat ministrum acatholicum, si quempiam ad coetum suum sine praefato testimonio admittebat.

## CAPUT III.

### JURA ALIARUM CONFESSIONUM RELATE AD ECCLESIAM CATHOLICAM.

### §. 177. *Jura Judaeorum.*

Intuitu Judaeorum impleta est prophetia Danielis. Populus romanus dissipavit templum et sanctuarium eorum; in medio hebdomadae defecit hostia et sacrificium; et in templo fuit abominatio desolationis, quae usque ad consummationem et finem perdurabit (1). Judaeorum Communitatibus concessa est facultas habendi in Civitatibus Synagogam, Rabbinum, exercendi propriam religionem, verbum Dei suis praedicandi, circumcidendi pueros suae gentis, copulandi, et sepeliendi mortuos in coemeterio separato. In Austria, ubi proprias scholas non habent, jus ipsis tributum est scholas Catholicorum frequentandi, ita tamen, ut quando traditur doctrina Reli-

(1) Daniel. c. 9.

gionis possint exire. Judaei habent jus exigendi, ut Catholici eos non turbent in exercitio suae religionis, eisque non denegent administrationem justitiae. In Austria sub poena 1000 aureorum, vel sex meusium carceris interdictum fuit Judaeorum infantes, non excepto mortis articulo, invitis parentibus baptizare, ne proles vitae discrimini et odio exponantur, concordia inter Christianos et Israelitas turbetur, et commercium actionum tollatur. Non licet baptizare Judaeorum liberos ante annum decimum octavum completum, etsi ipsi baptismum peterent, quia adhucdum paternae potestati subsunt: excipitur casus si juvenis foret in mortis articulo, ac ipse baptizari peteret. Regimen Provinciae potest dare licentiam baptizandi proles Judaeorum septimum annum egressas, dummodo ipse baptismum petant, et pater vel tutor, aut ille, qui locum patris tenet, consentiat. Si autem septimum aetatis annum nec dum attigerunt, oportet ad aulam recurrere. Si pater hebraeus ad partes transeat Catholicorum, proles omnes sine sexus discrimine Religionem Patris sequebantur: si vero mater, omnes patri Judaeo relinquebantur: imo in defectu patris jus dabatur avo paterno proles penes se retinendi et educandi, dummodo earum sustentationem in se susciperet. Quodsi avus paternus id facere nolebat, vel superstes amplius non erat, tunc licebat matri curam habere et sustentationis et educationis suarum prolium. Haec circiter jura habebant Judaei in Austria ante editam ab imperatore Francisco-Josepho Constitutionem.

### §. 178. *Jura Graecorum non unitorum.*

Graeci Orientales saepius tentatam a centro unitatis ecclesiasticae separationem, tandem ducibus Photio et Michaele Caerulario perfecerunt. Renuerunt parere Successori S. Petri, cui Christus dedit plenam potestatem pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam, et in poenam peccati commissi, Deo ita permittente, inciderunt in servitutem Sultani, et imperatoris Russorum. Qui Turcarum imperio subjecti sunt, quatuor Patriarchas adhuc venerantur, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, et Hierosolymitanum, quorum priori maxima est auctoritas. Quod ad Ruthenos attinet, Petrus I suppressa Patriarchae Moscovitici dignitate, *sacram Synodum* constituit, cujus caput est imperator. Graeci schismatici in partibus Catholicorum obtinuerunt jus habendi proprias Ecclesias turribus et campanis instructas, proprios pastores, proprias scholas, exercendi cultum religionis externum in lingua vernacula, Sacramenta administrandi, conciones ad popu-

lum habendi, baptizandi, copulandi, et mortuos in coemeterio separato sepeliendi (1).

§. 179. *Protestantium Hierarchia.*

Secundum Protestantium principia potestas jurisdictionis ecclesiasticae non est originis divinae, sed humanae. In Germania Protestantes induxerunt tria systemata, nimirum *systema episcopale*, vi cujus terrae princeps est summus Episcopus, *systema territoriale*, secundum quod Ecclesia est institutum humanum, et potestas ecclesiastica pars potestatis civilis, et *systema Collegiale*, quo Civitas et Ecclesia ceu societates discretae et independentes considerantur, et potestas ecclesiastica in abstracto toti societati ita tribuitur, ut nemo possit eam exercere, nisi ille, cui a tota societate confertur.

In Austria pro asseclis Confessionis Augustanae et Helveticae fuerat adoptatum systema territoriale, vi cujus imperator habebat *jus in sacra*, id est jus in rebus tum fidei et morum, tum disciplinae declarandi, decidendi, et determinandi. Si exoriebatur controversia theologica inter ipsos Acatholicos, Regimen Provinciae, adhibito in consilium uno alterove pastore vel theologo, juxta Confessionis principia judicium ferebat: tardius potestas dirimendi controversias data fuerat Superintendenti, et Regimini Provinciae jus relictum appellationem recipiendi, et decidendi, vel in casibus difficilioribus ad aulam referendi.

Apud Achatolicos utriusque Confessionis potestatem ecclesiasticam exercent *Concistoria, Superintendentes, et Seniores.*

*Concistorium* est Collegium compositum ex consiliariis ecclesiasticis et civilibus, quod in rebus ecclesiasticis, ante editam a Francisco-Josepho Constitutionem, jura a terrae principe sibi demandata exercebat. Extant Viennae duo Concistoria, unum pro Confessionis Augustanae, alterum pro Helveticae asseclis. Ante praefatam Constitutionem in utroque praesidium erat catholicum. Consiliarii eligebantur ab imperatore ex asseclis Confessionis, ad quam Concistorium spectabat. Concistorium curat fidei negotia et religionis asseclas, decidit casus extraordinarios, accipit relationes a Superintendentibus, delegat hisce facultatem examinandi et instituendi praesentatos ad officium praedicationis, administrationi Superintendentium invigilat etc.

*Superintendentes* sunt personae, quae a Caesare nominatae Regimini Provinciae juramentum praestabant. Horum jura

(1) Mich. Lequien. l. 1.

et officia in districtu sibi adsignato generatim Religionis exercitium, cultus ordinem, praedicatores, scholas, magistros, bonorum temporalium administrationem, expensas, singularum Communitatum constitutionem, publicationem legum vel Consistorio, vel a Regimine Provinciae acceptarum, examen candidatorum ad officium praedicationis designatorum, investituram et introductionem praedicatorum, benedictionem novi Oratorii, et visitationem districtus respiciant.

*Seniores* sunt homines Superintendentibus subordinati, qui curam animarum in una Communitate exercent, simulque pluribus Communitatibus praesunt cum jure inspectionis. Superintendens idoneos ad dignitatem Senioris praesentat Consistorio, quod confirmationem electionis factae a Regimine Provinciae petere tenebatur. Seniores praestabant juramentum non Regimini Provinciae, sed circuli Praefecturae. Recipiunt et communicant Pastoribus sibi subjectis mandata Superintendentium, et per eos tum Pastores, tum Communitates petitiones suas ad Superintendentes, vel Consistorium dirigunt.

Cura animarum apud Protestantes bifariam exercetur, nempe *ordinarie* et *extraordinarie*. Ordinarie eam exercent *Pastores, Praedicatores, Parochi* in Communitatibus ejusdem Confessionis, et in horum defectu quaedam functiones Ludimagistris sunt commissae. Dum Pastor vel resignat, vel aliorsum transfertur, vel moritur, Consistorium examinat qualitates Candidatorum, unum ex praesentatis eligit, et Regimen Provinciae electionem confirmat (1).

### §. 180. *Jura Protestantium.*

Vi legum tolerantiae Protestantibus sequentia jura fuerunt concessa. 1 Ubi aderant 100 familiae, vel 500 individua ejusdem confessionis poterant habere Oratorium, proprium Pastorem, et scholas puerorum. 2 Pastorem eligebant ipsi Protestantes, si ab ipsis sustentabatur: si vero alebatur a Magistratu civili, is jure gaudebat cum Consistorio praesentandi. 3 Pastori liberum erat cultum religiosum more suo exercere, verba facere, aegrotis suae confessionis sacra ministrare, baptismum conferre, sponsos copulare, funera publica celebrare, mortuos sepelire. 4 Habebant proprios ludimagistros, qui publicis rei scholasticae inspectoribus suberant: ubi autem scholis carebant, frequentabant scholas Catholicorum, ita tamen, ut dum Religio tractabatur possent exire. 5 Praefectura Cir-

(1) Joseph Helfert., Manuale Juris Can. P. II. Sect. IV. §§. 550, 551, 552, 553, 554, p. 840-845.

culi in scholis Acatholicorum illa curabat, quae in scholis Catholicorum ad Conoistorium episcopale pertinent. 6 Denique ad emendas possessiones, ad acquirendum jus Civitatis et Magisterii in Collegiis opificum, nec non ad dignitates et munera publica admittebantur per dispensationem, idest supplicem libellum Regimini Provinciae porrigere debebant, antequam praefata jura consequi possent.

## §. 181. *Alia jura Protestantium.*

Praeter jura enumerata, Protestantibus adhuc alia competebant, et quidem *ratione functionum parochialium.* 1 Ubi proprium non habebant coemeterium gaudebant jure sepeliendi mortuos intra septa coemeterii Catholicorum in loco ad id deputato, ponendi signa suae confessionis super sepulchrum, et petendi ut campanae pulsarentur. 2 Pro funere comitando poterant proximum suae confessionis ministrum vocare; si autem hoc fieri nequibat, jus habebant exigendi, ut parochus catholicus illud comitaretur in vestitu ordinario: non licebat tamen eis vel cantilenas suae confessionis in funere decantare, aut concionem in coemeterio habere. 3 Subditi acatholici non tenebantur sumptus praestare pro aedificiis Catholicorum, pro custodiis in Ecclesia catholica, et pro vectura parocho catholico procuranda, dum sacras functiones peragebat. 4 Ministri acatholici, si aderant, baptizabant, copulabant, et sepeliebant suae confessionis asseclas; nihilominus baptizatos, copulatos, et mortuos illico referre debebant parocho catholico, ut eos libris parochialibus insereret. 5 In locis, ubi Ministri acatholici deerant, nec Protestantes vicino cuidam pastori adscripti erant, jus habebant exigendi, ut parochus catholicus baptizaret, copularet, et sepeliret eorum confessionis asseclas. In ejusmodi locis etiam ludimagister poterat in funus prodire (1).

(1) Nonnulla horum jurium, quibus Protestantes vi legum tolerantiae gaudebant, mentibus et cordibus simplicium indifferentiam religiosam instillare debuisse, nemo non videt. Anno 1829 quidam idiota, patria goritiensis, professione tonsor, Labaci commorans, invitatus a Calvinistis ad comitandum funus asseclae Helvaticae confessionis, renuit. Interrogatus, quare? respondit, quod non essent catholici. At illi reposuerunt; si non haberemus eandem Religionem, parochus catholicus baptizaretne nostras proles, conjungeret nos in matrimonium? Possetne comitari nostrum funus? Sepeliremurne nos intra septa coemeterii Catholicorum? Pulsarenturne pro nostris defunctis campanae? Hisce argumentis deceptus tonsor credidit Calvinistas a Catholicis in essentialibus religionis haud differre.

Edita 4 martii 1849 ab imperatore Francisco-Josepho nova Constitutione, subditi imperii austriaci nacti sunt libertatem conscientiae ita, ut ab

una ad alteram religionem sine obstaculo ex parte regiminis politici transire possint. Cuilibet autem Ecclesiae a Civitate receptae concessa est libertas omnes res suas ordinandi at administrandi; etenim paragraphus secundus citatae Constitutionis ita sonat : « Quaelibet Ecclesia a Civitate recepta omnes res suas independenter ordinat et administrat. » Itaque Catholici, Judaei, Graeci, Lutherani, Calvinistae sunt independentes in exercitio suae religionis, et in administratione rerum ad Religionem spectantium.

Ecclesiae Catholicae in specie vi praefatae Constitutionis sequentia jura in imperio austriaco concessa fuere: 1 Episcopi et fideles in negotiis spiritualibus libere possunt ad Romanum Pontificem recurrere, quin a potestate politica dependeant. 2 Integrum est Episcopis in rebus ecclesiasticis litteras mittere ad clerum et populum suarum dioecesium, ita tamen, ut teneantur unum exemplar tradere Regimini provinciae. 3 Episcopi, sine interventu auctoritatis civilis, possunt poenas ecclesiasticas infligere. 4 Ad potestatem tantum ecclesiasticam spectat suspendere aut deponere eos, qui officia ecclesiastica non impleant. 5 Ad exequendam sententiam Episcopi, si opus sit, possunt brachium saeculare implorare. 6 Episcopus habet jus approbandi catechetes et professores theologiae catholicos pro omnibus institutis tam inferioribus, quam superioribus, in sua dioecesi existentibus. 7 Episcopus datam approbationem potest revocare ; quo in casu catechetae vel theologiae professori jus relinquitur petendi a Regimine politico pensionem. 8 Regimen politicum nominat, vel admittit approbatos ab Episcopo ad docendam theologiam, qui funguntur munere suo ad normam legum academicarum. 9 Episcopus suis alumnis praescribit materias, quarum praelectiones debent audire in universitate, et deinde per se, vel per alios eos examinat. 10 Episcopus jus habet nominandi medietatem delegatorum gradu doctoris theologiae insignitorum, quibus incumbit examinare clericos examine rigoroso subeuntes pro laurea doctoris theologiae assequenda. 11 Nemo potest obtinere gradum doctoris theologiae, nisi prius coram Episcopo, vel ejus delegato emittet fidei professionem ad normam Concilii Tridentini. Haec ad perpetuam rei memoriam notanda censuimus.

[illegible]

# JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM

## §. 1. *Ordo servandus.*

Dilucidato Jure ecclesiastico publico interno et externo, transimus ad Jus Ecclesiasticum privatum, in quo jura et officia singulorum Ecclesiae membrorum exponuntur. Olim in scholis Jus Canonicum dividebant in quinque summa capita, agebantque *de Clericis, de Judicibus, de Judiciis, de Criminibus, et de Sponsalibus,* juxta notum versiculum: *Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.* Post Gratianum Juris Doctores dispescebant Jus in tres partes, in quarum prima agebatur de personis ecclesiasticis, in secunda de rebus ecclesiasticis, et in tertia de judiciis ecclesiasticis. Nos quoque in pertractando Jure Ecclesiastico privato hunc ordinem, utpote magis naturalem, sequemur, acturi 1 *de personis ecclesiasticis,* quia personae sunt primarium juris objectum; nam Deus propter hominem cuncta creavit; 2 *de rebus ecclesiasticis,* quia homo rebus indiget, et necesse est, ut jura circa res definiantur; 3 *de judiciis ecclesiasticis,* quia ubi sunt homines et res, ibi omnes injuriae, et lites evitari nequeunt. Tota igitur Juris Ecclesiastici privati materia exprimi potest hisce verbis: *Personis de rebus jus redditur per judicia.*

*Personae ecclesiasticae* sub triplici aspectu considerantur, et quidem 1 *in sensu lato* personae ecclesiasticae sunt omnes homines baptizati, et communione ecclesiastica gaudentes, quia singulis Ecclesiae catholicae membris competunt aliqua jura, quibus carent ii, qui ad eam non spectant; 2 *in sensu stricto* personae ecclesiasticae dicuntur christiani, qui sacros ordines susceperunt, quique tenent jura, quorum laici sunt expertes; 3 *denique in sensu strictissimo* personae ecclesiasticae sunt illi Clerici, qui officiis ecclesiasticis funguntur, et beneficia ecclesiastica possident, quibusque competunt jura, quae alii clerici officiis et beneficiis ecclesiasticis carentes non habent.

*Res ecclesiasticae* dividuntur in *spirituales, sacras, benedictas, religiosas et ecclesiasticas stricte tales.* Res spirituales illae dicuntur, quae ad cultum divinum externum pertinent, et salutem animarum promovent. Res sacrae, quae quidem in se profanae sunt, sed per consecrationem usibus sacris destinantur. Benedictae, quae per benedictionem usui ecclesiastico adscribuntur. Religiosae, quae in religiosos piosque usus publica, vel privata auctoritate convertuntur. Denique res ecclesiasticae stricte tales sunt bona ecclesiastica, quorum proven-

tibus Ecclesiae ministri sustentantur, et ea quae ad cultum divinum externum sunt necessaria procurantur.

*Judicia ecclesiastica* illa dicuntur, in quibus jura et officia ecclesiastica cognoscuntur, ac deciduntur, vel in quibus delicta mere ecclesiastica puniuntur. Prior judiciorum ecclesiasticorum species *jurisdictio juridica*, posterior *jurisdictio vindicativa*, seu *punitiva* vocatur.

Igitur Jus Ecclesiasticum privatum tribus constat Sectionibus. In prima sectione agemus de personis ecclesiasticis, et quidem 1 in sensu stricto, seu de Clericis; 2 in sensu strictissimo, seu de officiis et beneficiis ecclesiasticis. In secunda disputabimus de rebus ecclesiasticis, et quidem 1 de rebus spiritualibus, sacris, benedictis et religiosis; 2 de matrimonio speciatim; 3 de bonis ecclesiasticis. Tandem in tertia disseremus de judiciis ecclesiasticis, adeoque 1 de forma judiciorum ecclesiasticorum; 2 de delictis ecclesiasticis; 3 de poenis ecclesiasticis.

# SECTIO I.

## DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

### DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SENSU STRICTO, SEU DE CLERICIS.

### §. 2. *Capitis divisio.*

Persona ecclesiastica in sensu scricto, seu *Clericus* est homo baptizatus et confirmatus speciali modo in sortem Domini vocatus, et singulari ritu sacro Ecclesiae ministerio adscriptus. Clerici dividuntur in *saeculares* et *regulares*. Discrimen facit votum, quo se regulares, nequaquam vero saeculares ad observandam certam ordinis regulam obstringunt. Agendum est ergo hoc loco primum de Clericis generatim, deinde speciatim de Regularibus. Quod ad Clericos generatim attinet, primo indagandum, quaenam ad statum clericalem adeundum requirantur, dein quaenam sint tum officia, tum jura clericorum. Itaque caput istud tribus constat articulis: 1 de requisitis ad statum clericalem; 2 de officiis et juribus clericorum; 3 de clero regulari.

## ARTICULUS I.

### DE REQUISITIS AD STATUM CLERICALEM.

### §. 3. *Cultura intellectualis.*

Si ad exequendas cujuscumque status obligationes homines praediti esse debent qualitatibus, multo magis requiruntur in iis, qui ad implenda sublimis status clericalis officia assumuntur. Illi qui statum clericalem adire cupiunt necesse est, ut habeant *culturam intellectualem et moralem, sint immunes ab irregularitatibus, non careant Ordinationis titulo, ordinentur ab Episcopo proprio, subeant scrutinium, suscipiant Ordines sacros gradatim, servatis interstitiis, debito tempore, et debito loco*. In primis requiritur cultura intellectualis; etenim clerici tenentur leges divinas, et humanas interpretari, verbum Dei praedicare, populum erudire, mysteria Dei dispensare, liturgiam sacram digne administrare, dubia solvere, consilia suppeditare, curam animarum, quae est ars artium, exercere, Religionem, et jura ecclesiastica tueri, ad quae munia rite exequenda culturam intellectualem esse omnino necessariam, nemo non videt. Juxta praescriptum Concilii Tridentini necesse est, ut prima tonsura initiandi fidei rudimenta sint edocti, legere et scribere sciant, promovendi ad ordines minores linguam latinam calleant, ad ordines majores assumendi congrua scientia polleant, ut officia ipsis commissa debito modo exequantur. Sacerdotes praesertim saeculares, cum non sibi solis, sed etiam aliis utiles esse debeant, peculiari doctrina praeditos esse oportere tradit Romanus Catechismus: « In Sacerdote non solum ea cognitio re» quirenda est quae ad Sacramentorum usum et tractationem » pertinet, sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instruc» tum esse oportet, ut populo christianae fidei mysteria, et » divinae legis praecepta tradere, ad virtutem et pietatem » excitare, a vitiis revocare fideles possit ». Et paullo post allato Malachiae testimonio: « Labia sacerdotis custodiant » scientiam, et legem requirent ex ore ejus »: monet ad id recte praestandum non vulgarem, sed exquisitam doctrinam desiderari, etsi non summam in omnibus, certe tamen eam quae ad suscepti officii, et ministerii functionem unicuique satis esse possit (1).

(1) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 4. cap. 11. cap. 14.; Catechismus Rom. de Sacram. Ord. n. 32. Malach. 2, 7.

## §. 4. *Cultura moralis.*

Praeter culturam intellectualem in clericis requiritur quoque, et quam maxime cultura moralis. Non sufficit, ut intellectus sit excultus, etiam cor hominis excoli debet, quia, ait Paulus, scientia inflat, charitas aedificat. Clericus doctus, sed immoralis una manu aedificaret, altera destrueret. Non sufficit Verbum Dei praedicare, populum lacte coelestis doctrinae nutrire, sed necesse est etiam fidelibus exemplo esse, quia verba movent, exempla trahunt. Teste experientia populus magis ad moralitatem, quam ad scientiam clericorum oculos convertit, ita, ut actiones malas vel licitas, vel saltem minus graves credat. Morbis aliorum haud mederi potest clericus, cui dici potest: « medice cura teipsum. » Clerici sunt lux mundi, quae debet lucere coram hominibus, ut videant opera eorum bona, et glorificent Patrem, qui in coelis est. Clerici tenentur praebere exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, et in gravitate. « Monstruosa res, ait S. Bernardus, gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. » Quod sunt professione, actione magis, quam nomine demonstrare debent; irreprehensibiles eos esse convenit, cum ad corrigendos alios sint vocati. Consecrati Deo non polluant nomen ejus; incensum Domini et panes Dei offerentes, sancti esse studeant. Praeire debent tanquam duces, ut fideles ceu greges eos per ardua justitiae sequantur. Totius familiae ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. In nullo sit minor, qui cunctis est potior. Inde liquido patet quam necessaria sit clericis cultura moralis (1).

## §. 5. *Seminaria.*

Culturam intellectualem et moralem Clerici hauriunt in Seminariis. Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi a teneris ad pietatem et Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret. S. Synodus Tridentina statuit, ut in qualibet Ecclesia Metropolitana, vel Cathedrali, pro modo facultatum, et Dioecesis amplitudine, erigantur Seminaria, et adolescentes duodecim annos ex legitimo matrimonio natos re-

(1) Matth. 5., S. Bernard lib. 2. de Consid.

cipiantur ad Religionem pietatemque informandos, ampla Episcopis facta facultate, si destinatae secus pro educanda juventute fundationes non sufficient ad tegendas expensas, partem aliquam ex fructibus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum etiam exemptorum, non tamen Ordinum mendicantium, et Ecclesiarum proventibus, habita earum ratione, detrahendi, ac Seminario applicandi cum aliis beneficiis, si quae adsint, simplicibus. Ad erectionem, et sustentationem Seminarii contribuere tenentur Episcopus de sua mensa episcopali, Abbas de sua mensa abbatiali, Capitulum de sua mensa capitulari, et omnes beneficiarii de suis beneficiis. Pro administratione et regimine Seminarii faciendae statuuntur tres species Deputatorum, seu Consultorum. Prima species est duorum Canonicorum seniorum, et graviorum ab Episcopo eligendorum, quorum consilium adhibere debet Episcopus circa ea, quae visitationem, correptionem, et gubernationem personarum Seminarii concernunt. Secunda species Deputatorum, seu Consultorum est duorum etiam de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter vero ab ipso Capitulo est eligendus. Tertia species est duorum de Clero Civitatis, quorum unus similiter ab Episcopo, et alter a Clero eligendus. Quemadmodum agricola, nisi seret tempestive, non potest metere; ita Ecclesia fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit, nisi singuli Episcopi Seminaria erigant et foveant. Horum ope et reddendus Ecclesiae Dei pristinus nitor; et Clero Sacerdotioque pristinum decus, ita ut floreat eruditione sacra, pietate atque puritate. Stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo vix potest (1).

### §. 6. *Immunitas ab irregularitatibus.*

Ecclesia qualitates eorum, qui ad statum clericalem, variosque ejus gradus promovendi sunt, *certis regulis* definivit; atque iis dotibus destitutos, tamquam *a regulis Canonicis* alienos, seu *irregulares* declaravit, et a clericorum tum ordine, tum muniis exclusos voluit. Est autem *irregularitas impedimentum canonicum, quo quis ad primam tonsuram et Ordines suscipiendos, vel ad susceptorum usum,* ac quod consequens, *ad adipiscenda beneficia,* ut quae ordinum exercitium requirunt *ineptus redditur*. Dicitur impedimentum canonicum, seu per Ecclesiae canones constitutum, ut innuatur, neminem, *nisi Ecclesiae legibus* subjectum, adeoque nonnisi baptizatum, posse pro-

(1) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 18., Ferrari Bibl. Can. Jurid. Moral. etc.

prie irregularem dici, atque nullam irregularitatem esse *juris divini.* Irregularitas distinguitur in eo, quod irregularis valide, etsi illicito, sacros Ordines suscipiat, non item ille, qui eorum incapax est, v. g. non baptizatus, vel foemina non possunt valide sacros Ordines suscipere. Irregularitas dividitur: 1 *in totalem*, quae omnium Ordinum susceptionem impedit, et susceptorum exercitio privat, ut est illa proveniens ex defectu aetatis septem annis minoris, ex homicidio, et bigamia; et *partialem*, quae aliquorum tantum Ordinum susceptioni obstat, v. g. Juvenis nec dum habens aetatem viginti duorum annorum non potest suscipere Subdiaconatum, Diaconus oculo sinistro carens inhabilis est ad Sacerdotium; 2 *in antecedentem et consequentem*, prout nempe, vel antecedit Ordinum susceptionem, vel eam subsequitur; 3 denique in *perpetuam* et *temporalem*; illa sola dispensatione tollitur; haec temporis lapsu cessat, v. g. defectus aetatis (1).

### §. 7. *Causae irregularitatum.*

Causae irregularitatum sunt *delictum* et *defectus.* Quod ad irregularitatem ex delicto provenientem adtinet, distinguendum est inter veterem et recentiorem Ecclesiae disciplinam. Secundum veterem disciplinam omnibus gravioribus quibusvis post baptismum commissis criminibus etiam occultis publicae poenitentiae subjectis irregularitas erat adnexa, quae praecepto nitebatur Apostoli gentium, qui in epistolis ad Titum et Timotheum varias ministrorum Ecclesiae qualitates describens praecepit, ut Episcopi et Diaconi, per consequens et Presbyteri, sint sine crimine. Idem voluerunt Patres latini et graeci; quare etiam Clerici, teste Origene, qui lapsi fuerant, in communionem quidem per poenitentiam recipiebantur, attamen ab omni dignitate et praefectura in Ecclesia Dei arcebantur. Verum postquam disciplinae antiquae vigor fuit laxatus, illa tantum crimina inducunt irregularitatem, quae expressa in canonibus inveniuntur, vel infamiam afferunt. Olim irregularitas ipso facto incurrebatur; nostris temporibus lege est determinata (2).

### §. 8. *Irregularitas ex delicto.*

Sequentia delicta inducunt irregularitatem: 1 *Abusus baptismi.* Abutuntur autem baptismo, qui scienter et serio alium

(1) Can. 17. Concil. Nicaen., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 1. §. 414. p. 5. (2) Ad Tit. 1. ad Timot. 3. Cf c. 9. Dist. 50. c. 9., Conc. Nicoen. Item Dist. 50. c. 32. et c. 87. et de Reg. Jur. in 6, et praecipue Thomassin de V. et N. discip. P. 2. l. 1. c. 56. seqq.

rebaptizant, qui se rebaptizari patiuntur, qui ejusmodi iterationi baptismi ministerium et cooperationem impendunt, et tandem illi qui sine necessitate ab haereticis baptismum recipiunt. Qui in dubio rebaptizat infantem sub conditione, non fit irregularis. Propter iteratam Confirmationem non incurritur irregularitas, quia in canonibus non est expressum.

2 *Haeresis, schisma, apostasia.* Irregulares sunt haeretici, schismatici, apostatae a fide, eorum fautores, credentes, defensores, haereticorum etiam nepotes ex parte patris, ex matris parte solum filii, nisi eorum parentes ad sinum Ecclesiae redierint.

3 *Homicidium* voluntarium et injustum, id est sine auctoritate et justa causa patratum; hinc infantes, amentes, dormientes, et qui ad vitae propriae defensionem aliquem occidunt, non fiunt irregulares. Homicidium potest esse vel *casuale*, vel *dolosum*, vel *culpabile*. *Casuale homicidium* illud est, quod casu evenit. Dantes operam rei licitae, et adhibita debita diligentia, ne mors sequatur, non incurrunt irregularitatem, ut vertentes infirmos in lecto, vel de lecto ad lectum transferentes, si infirmi ex illa versione, et translatione moriautur, ludentes pila, conis vel aliis honestis ludis, campanam pulsantes licet pistillo decidente aliquis occidatur. Dantes autem operam rei licitae, et non adhibentes debitam diligentiam, ne mors sequatur, evadunt irregulares, ut lapides, pilas niveas hiemali tempore, tegulas a tectis projicientes, arbores incidentes, muros destruentes, si aliquis casu interficiatur. Dantes operam rei illicitae etiam adhibita diligentia ne homicidium sequatur, evadunt irregulares. Irregulares declarantur Clerici in sacris constituti, et Monachi exercentes medicinam, vel chirurgiam, et mortem alicui casualiter inferentes, non obstante peritia, et adhibita diligentia ad ipsam evitandam, praecise per hoc quod Clerici, et Monachi chirurgiam et medicinam exercentes extra casum necessitatis, dant operam rei illicitae. *Dolosum homicidium* dicitur si quis prius jam habuit intentionem alium occidendi, et in tumultu occidit ita, ut delictum lateat. *Culpabile* denique vocatur si quis, etsi non habuerit intentionem alium occidendi, potuit mortem praevidere, v. g. dum mandat quempiam instrumento verberari. Irregulares fiunt omnes physice vel moraliter ad procurationem abortus foetus animati concurrentes, omnes semetipsos aut alios mutilantes, nec refert an quis vel se, vel alterum mutilet, vel ab altero se mutilari patiatur, dummodo adsit culpa. Denique vulneratio lethifera, et etiam non lethifera, attamen cruenta, et cum sanguinis effusione conjuncta inducit irregularitatem.

4 *Illicita Ordinum susceptio, et illegitimus eorum usus.* Priori ratione irregularibus accensentur *a*) qui Ordines sacros furtive

suscipiunt, id est, qui nec vocati, nec approbati clandestine inter ordinandos se ingerunt; *b*) qui scienter ordinantur ab Episcopo notorie simoniaco, excommunicato, schismatico; *c*) qui Ordines suscipiunt in apostasia; *d*) Ordinati per saltum, seu intermisso ordine priori; *e*) suscipientes Ordinem Subdiaconatus eodem die cum minoribus, non vero si suscipiant duos ordines majores eodem die, quia pro hoc casu poena tantum suspensionis dictatur. — Posteriori modo irregulares evadunt *α*) Clerici qui Ordinem exercent, quem nunquam susceperunt; *β*) qui censura ecclesiastica constricti scienter Ordines exequuntur; *γ*) qui missam celebrant in loco interdicto subjecto; secus si locus pollutus sit, cum in jure non sit expressum.

5 Tandem irregularitatem inducunt omnia crimina quae adnexam habent infamiam; qualia sunt v. g. furta, adulteria, incoestus, sodomia, raptus virginis, simonia, sacrilegium, maleficium, veneficium, perjurium in judicio, crimen laesae majestatis, duellum etc. Infamia est duplex, nimirum *alia juris*, quae per sententiam judicis divulgatur, *alia facti* quam gravia crimina ex se inurunt auctori, quamprimum in vulgus sparguntur. Infames quoque, et per consequens irregulares censentur spectatores duelli, histriones, mimi, comoedi, saltatores, damnati ad triremes etc. (1).

## §. 9. *Irregularitas ex defectu.*

Non omnes defectus, sed ii tantum qui a canonibus notantur, producunt irregularitatem. Horum octo species dantur, et quidem 1 defectus natalium, 2 defectus animi, 3 defectus corporis, 4 defectus aetatis, 5 defectus fidei non satis probatae, 6 defectus libertatis, 7 defectus Sacramenti, 8 defectus perfectae laenitatis, seu mansuetudinis. Jam de singulis.

1 *Ex defectu natalium* irregulares sunt omnes filii illegitimo matrimonio nati. Cum liberis illegitimis non sunt confundendi expositi, quia teste experientia aliquando evenit, ut parentes pauperes proprios filios exponant; et in dubio semper id quod melius est praesumi debet. Filii illegitimi Clericorum etiam post obtentam ab irregularitate dispensationem vetantur assequi vel retinere beneficium in illa Ecclesia, in qua eorum pater est, aut erat beneficio provisus. Irregularitas ex defectu natalium inducta fuit saeculo X ad coercendum

(1) Tomassin de V. et N. Discip. t. 2. l. 1. c. 56. 91., Van Espen Jur. Can. un. P. II. tit. 10., Ep. Paul. ad Tit. 1. ad Tim. 3. c. 5. de haeret. in 6. Can. 2. dist. 33. c. 18. de sent. Cap. Dilectus 13. Cap. 24. de homic. Cap. Hi qui arborem dist. 50. Cap. Presbyt. 7. de homic. Reg. 87. Juris in 6.

incontinentiae vitium grassans inter clericos et nobiles, qui suos filios illegitimos in beneficia et dignitates ecclesiasticas intrudere solebant.

2 *Ex defectu animi* irregulares sunt *illiterati*, qui nimirum ignorant ea, quae ad ordinis suscipiendi officia peragenda requiruntur, *amentes, lunatici, fatui, imbecilles, energumeni, epileptici, seu morbo caduco laborantes.*

3 *Ex defectu corporis* variae prodeunt irregularitates. Defectus corporis oriuntur vel *ex mutilatione*, vel ex *debilitate*, vel ex *deformitate*. Propter defectus corporis ortos ex *mutilatione* irregulares sunt, qui una manu, pollice aut indice, et oculo sinistro, seu canonico carent. Ob defectus corporis *ex debilitate* provenientes irregulares sunt surdi, muti, non vero balbutientes, habentes manum aridam aut tremulam, claudi, qui sine baculo incedere non possunt, et totaliter abstemii, id est tales, quorum stomachus nec guttulam vini sufferre potest. Propter defectus corporis, qui *ex deformitate* originem trahunt, irregulares sunt gibberosi, pigmaei, strumati, naso et auribus carentes; in genere dici potest huc pertinere omnes illos corporis defectus, quis risum vel horrorem in rudi saltem plebe commovere possent. Ceterum occulta corporis vitia, quae officiorum impletionem non impediunt, irregularitatem non inducunt.

4 *Ex defectu aetatis* irregulares sunt, qui nondum habent annos a canonibus requisitos. Ad Ordines minores antiqui canones requirunt aetatem septem annorum. Quod ad majores Ordines attinet, ex praescripto Concilii Tridentini pro Subdiaconatu exigitur aetas 22 annorum, pro Diaconatu 23 saltem inchoatorum, pro Presbyteratu 24, et pro Episcopatu 30 completorum.

5 *Ex defectu fidei non satis probatae* irregulares sunt *neophiti*, seu recens baptizati, et *clinici*, idest in lecto conversi et aqua salutari abluti, quia Ecclesia vult prius convinci de sinceritate conversionis eorum, et de eorum perseverantia.

6 *Ex defectu libertatis* irregulares sunt servi proprie tales, qui, vero Deo sint grates, nunc inter Christianos exoleverunt, conjuges, nisi uxores consentiant, vel in monasterium pergant, aut votum continentiae amittant; item qui ad rationes reddendas sunt adstricti, antequam absolvantur, v. g. Tutores, Curatores, Quaestores, Syndici, Fiscales, Procuratores etc.

7 *Ex defectu Sacramenti* irregularibus accensentur nondum confirmati, et bigami. Quod ad bigamos attinet S. Paulus in epistolis ad Titum et Timotheum exigit, ut clericus non sit bigamus; ratio est quia matrimonium consummatum signi-

ficat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quae significatio deficit in bigamis, idest in iis, qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus, aut cum una vidua, vel corrupta. Bigamia triplex distinguitur, videlicet: *vera*, dum quis legitime contrahit, et consummat matrimonium cum duabus, vel pluribus uxoribus; *interpretativa*, dum quis contrahit et consummat matrimonium cum vidua, vel cum corrupta ab alio, vel propriam cognoscit uxorem, quam scit adulterio esse contaminatam; *similitudinaria*, dum quis post votum solemne castitatis emissum in Religione approbata, vel post receptionem Sacrorum Ordinum matrimonium quamvis invalidum contrahit et consummat: talis enim est aliquo modo similis contrahenti duplex matrimonium quatenus post matrimonium spirituale cum Christo initum, ab eo recedens attentat matrimonium carnale contrahere. « Iteratae nuptiae, ait « S. Augustinus, spiritualem Christi cum Ecclesia conjunctio« nem repraesentare nequeunt. » Irregularis autem non est, qui cum pluribus prius fornicatus est, et postea virginem ducit, quia hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum cum illis liberis praecesserit matrimonium significans conjunctionem Christi cum Ecclesia; nec qui contrahit cum vidua in articulo mortis constituta ad ejus honorem restituendum, cum qua antea rem habuerat, si matrimonio non consummato, vidua decesserit: nec qui contrahit cum vidua a primo viro non cognita; nec qui ducit foeminam a se solo prius corruptam, quia talis non divisit carnem suam in plures, sed adhuc est unicus unicae sponsus, sicque non patitur defectum Sacramenti. Ceterum est par ratio, sive quis ante, vel post baptismum plures habuerit uxores, quia baptismum tollit peccata, non uxorum multitudinem.

8 *Tandem ex defectu perfectae lenitatis, seu mansuetudinis* sunt irregulares omnes, qui directe concurrunt ad mortem, vel mutilationem, etiam justam, effectu secuto, ut Judices, Assessores, Consultores, Notarii, Accusatores, Testes ultronei et voluntarii, Ministri justitiae sententiam exequentes, milites, qui in bello etiam justo sibi conscii sunt occidisse aut vulnerasse. Licet enim omnes supradicti nullum committant delictum, cum tamen non perfecte imitentur lenitatem et mansuetudinem Christi, qui noluit pronuntiare dignam morte mulierem in adulterio deprehensam, ab Ecclesia inhabiles declarantur, ut in Altari immaculatam, et incruentam Hostiam Deo offerant, et Christi mansuetissimi personam repraesentent. Ab hac irregularitate excipiuntur Praelati, qui in eorum territorio non per se, sed per constitutos justitiae ministros criminalem jurisdictionem exercent, et Episcopi, qui clericum de-

gradant, ut brachio saeculari puniendus tradatur, dummodo contra mortis sententiam protestentur. Secundum hodiernam disciplinam exempti sunt ab irregularitate etiam Clerici, qui injurias sibi illatas persequuntur, vel sui adgressores ad judicium deferunt, modo declarent, se non intendere, ut poena mortis afficiantur. Medici et Chirurgi, dummodo conscientiose artem suam exerceant, licet mors sequatur, juxta saniorem Canonistarum opinionem, non incurrunt irregularitatem. Immo nec Clerici tam saeculares, quam regulares, licet medicinae et chirurgiae exercitium sit eis inhibitum, fiunt irregulares, si ubi copia medici et chirurgi deest infirmo opem ferant, quia tali in casu lex naturae omni praecepto ecclesiastico praeponenda venit (1).

## §. 10. *Effectus irregularitatis.*

Effectus irregularitatis est duplex, nimirum ratione *Ordinis*, et ratione *beneficii*. Ratione Ordinis, *irregularitas antecedens* efficit, ut Ordines *illicite* quidem, attamen *valide* suscipiantur; quia Sacramenta a Christo Domino instituta operantur non ex opere operantis, sed ex opere operato; si *irregularitas consequens* sit, idest Clerico jam ordinato superveniat, dum nascitur ex crimine, suscepti Ordinis usu eumdem privat: si vero oriatur ex defectu nulla culpa contracto, iis solum functionibus interdicit, quas ob defectum rite et decenter peragere nequit, v. g. Sacerdos, qui digitos canonicos perdit, Missam celebrare non potest, potest tamen praedicare, fidelium confessiones audire etc. Interim Sacerdos etiam ex crimine irregularis in extremis potest moribundum absolvere a peccatis, si alius desit, quia in casu necessitatis omnis reservatio cessat. — Ratione beneficii irregularitas impedit quo minus Clericus beneficia ecclesiastica recipere possit; cum enim beneficium ecclesiasticum detur propter officium, et irregularis officii divini capax non sit, quatenus illud nequit exercere, sequitur evidenter ipsum beneficium obtinere non posse. Quod ad irregularitatem beneficio jam obtento supervenientem attinet, si ea ex crimine oriebatur, secundum veterem disciplinam Clericus non solum privabatur beneficio, sed etiam ad laicam redigebatur communionem; ast jus novum hunc rigo-

(1) C. 1. de fil. Presb. et C. 1. ibid. in 6., Van Espen J. E. Univ. P. II. tit. 10. c. 3. Can. 3. 4. 5. Dist. 33., Concil.Aurel.III. c.6.cap. 7. de elect. Can. 1. dist. 48. can. dist. 57. Can. 6. dist. 77. c. 1 - 6. de cler. conj. c. ult. de temp. ord. in 6. Cap. Maritum dist. 23, et 14. Cap. Nuper a nobis 3. Cap. Monacho 27. p. 1. et cap. ult. de bigam. non ord. cap. aliquantos dist. 51., Ferraris Bibliotheca etc.

rem mitigavit, et statuit, ut non possit beneficio canonice obtento privari nisi per Judicis sententiam. Nihilominus irregularitas ex homicidio per assassinos perpetrato privat etiam beneficiis jam obtentis. Cum vero irregularitas praeter culpam cuipiam obvenit, ob quam officio fungi nequit, dandus est subsidiarius, qui irregularem suppleat in muniis, quae ipse obire non potest (1).

### §. 11. *An ignorantia excuset ab irregularitate.*

Si irregularitas provenit ex defectu, ignorantia non excusat; si vero oritur ex delicto, tunc distinguendum est inter ignorantiam juris, et ignorantiam facti. Ignorantia juris sita est in ipsius legis nescitia, et neminem excusat ab irregularitate ex delicto proveniente, quia procedit ex libera actione, quae imputationi subest, e. g. si quis sciret se baptizatum esse, et tamen sineret se rebaptizari, incurreret irregularitatem, etsi ignoraret rebaptizationi adnexam esse irregularitatem. Ignorantia facti, si sit invincibilis, sicut a peccato, ita etiam ab irregularitate excusat, v. g. si quis ignoraret se rebaptizatum esse, et sineret se rebaptizari, non evaderet irregularis, quia facta ignorari possunt (2).

### §. 12. *Modus tollendi irregularitates.*

Irregularitates quaedam temporiarae sunt, quaedam perpetuae. Irregularitas ex defectu temporali, v. g. aetatis, scientiae, libertatis desinit tempore, idest sublata causa, unde procedit. Irregularitas ex defectu natalium tollitur per professionem religiosam relate ad S. Ordinum susceptionem; ast quoad dignitates adipiscendas requiritur dispensatio. Irregularitates perpetuae tolluntur per dispensationem a Sede Apostolica impetrandam, nisi tales sint, ut Ordinum executioni penitus adversentur, v. g. amentia, caecitas etc., item in ea, quae ex omicidio voluntario provenit, venia dari non solet. Episcopi possunt dispensare 1 in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis iis, quae oriuntur ex homicidio voluntario, et aliis criminibus ad forum contentiosum deductis, quia hoc ipso fiunt publica. 2 Cum promotis per saltum, si non ministraverint. 3 Illegitime natos ad Ordines minores, imo ex consuetudine, aut vi indulti ad ma-

(1) C. 2. de Cler. aegr.; Suarez dis. 40. Sect. I. n. 2., Concil. Trid. Sess. 14. can. 7. de Sacr. poenit. Cap. 1. de homic. in 6. (2) Cap. 9 de cler. excom.

jores, nec non ad simplex beneficium indulgenter queunt admittere. 4 Presbyteros, qui nuptias illicitas, invalidasque contraxere, post longam poenitentiam officio possunt restituere. 5 Orto dubio, an corporis vitium sit, an non sit ejusmodi, quod irregularitatem inducat, Episcopi est declarare. 6 Tandem etiam, ubi casu fortuito, aut necessariae defensionis gratia homicidium esse commissum dicitur; res severo Episcopi examini subjicienda (1).

## §. 13. *Titulus Ordinationis.*

Ad Ordines majores suscipiendos requiritur *titulus ordinationis.* Est autem titulus ordinationis illud medium, quo Clerico de perpetua et congrua sustentatione providetur, si ad sacra munia obeunda inhabilis reddatur, ne victum indecore quaeritet. Olim clerici ad munia sacra obeunda inhabiles alebantur ex proventibus illius Ecclesiae cui erant adscripti; adeoque antiquissimis temporibus titulus ordinationis erat ipsa Ecclesia. At saeculo XII, postquam collatio beneficiorum separari coepit ab ordinatione, invaluere ordinationes sine titulo. Quum vero Clerici nullam haberent securitatem de honesta sustentatione, Concilium Lateranense III, anno 1179 celebratum, statuit, ut si Episcopus aliquem inopem ordinavorit absque titulo, ipse tandiu praebeat Clerico honestam sustentationem, donec in Ecclesia aliqua congrua stipendia obtinnerit, nisi forte bona propria habeat, vel ex paternis sustentari possit. Exinde successu temporis invaluit opinio, Episcopum ordinare posse etiam illos, qui aut ipsi habent congruam sustentationem, aut eam tenent ab aliis sibi assecuratam. Ita enati sunt tres tituli pro clericis saecularibus nimirum: 1 *Titulus beneficii*, si quis ad collatum beneficium ordinatur ita, ut ex eo perpetuam et congruam substentationem habeat; 2 *Titulus patrimonii*, dum clericus paternis gaudet bonis, quibus sustentari possit; 3 *Titulus pensionis*, *seu mensae*; si tertius aliquis se obliget, quod in casu inopiae ordinato alimenta praestare velit. Religiosi ex Ordinibus bona temporalia habentibus ordinantur ad *titulum professionis religiosae;* Mendicantes vero, qui bonis temporalibus carent, ordinantur ad *titulum paupertatis.* Etenim Religiosi ad dies vitae vota solemnia emittunt, et si in infirmitatem incidunt, Monasteria necessariam substentationem suppeditare obligantur. Ad Ordines minores

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. de ref. C. 1. de fil. Presb. in 6. C. 4. de Cler. conjug. C. 2. de corp. vitiat. Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. de ref., Cf. Van Epen J. E. U. P. II. tit. 10. c. 7. n. 29. seqq.

suscipiendos titulus non est necessarius. Ordinatus sine titulo ab Episcopo sciente, ab eodem sustentandus est: si vero culpa, et fraude quis ordinatur, quia falsum obtrusit titulum, juxta Concilii Chalcedonensis canonem suspensione ab usu Ordinis plectitur (1).

## §. 14. *Episcopus ordinandi proprius.*

Quamquam quilibet Episcopus rite consecratus sacros Ordines valide conferat; nihilominus, quum potestas Episcoporum ad dioeceseos suae limites sit adstricta, et legibus tum divinis, tum ecclesiasticis subordinata, ut quis statum clericalem legitime adeat, sacros Ordines suscipere debet ab Episcopo proprio, in Ecclesiae Romanae communione constituto, ab irregularitate aliisque impedimentis libero, et regulas ordinandi ab Ecclesia praescriptas observante. Ex hodierna disciplina proprius ordinationis Episcopus 1 *Ratione originis*, ad quam potissimum respicitur, ille est in cujus dioecesi parentes ordinandi tempore nativitatis constans domicilium habebant, nec attenditur fortuita nativitas occasione itineris, quae extra dioecesim contingit. Judaeorum et Ethnicorum ad catholicam Religionem conversorum, si ad statum ecclesiasticum adspirant, is Episcopus proprius est, in cujus dioecesi baptizantur. 2 *Ratione domicilii*, is est proprius Episcopus, in cujus dioecesi ordinandus fixam sedem habet adeo, ut vel per decennium saltem in ea habitando, vel res suas illuc transferendo, ibique insuper per aliquod tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibi permanendi animum demonstraverit, atque juramento confirmaverit. 3 *Ratione beneficii*, proprius est Episcopus, in cujus dioecesi ordinandus beneficium ad congruam sustentationem per se sufficiens pacifice possidet; unde quum nullus nisi saltem tonsuratus beneficium obtinere queat, primam tonsuram nemo, etsi a patronis praesentatus, et statim beneficio providendus, nisi a proprio originis aut domicilii Episcopo recipere, et jam ad tonsuram et Ordines minores promotus non nisi prolatis proprii tam originis, quam domicilii Episcopi testimonialibus litteris et beneficium per se ad honestam substentationem sufficiens consecutus ad ulteriores ordines promoveri potest. 4 *Ratione familiaritatis*, proprius Episcopus censetur, quo cum ordinandus tribus annis quasi commensalis commoratus est, et a quo statim post ordinationem beneficium congruae substentationi

(1) Concil. Trid. Sess. 21. cap. 2. de ref. Congr. Conc. Trid. Interpr. Cap. 4. de praeb. Cap. 23. de praeb. c. 1. et 2. dist. 70.

sufficiens est indepturus. Clericis Regularibus Episcopus proprius ille est, in cujus dioecesi coenobium vel monasterium existit, nisi forte specialia privilegia obstent. Promotus a Romano Pontifice ad ordines minores, ad altiores promoveri non potest nisi ab eo, cui Ecclesiae Primas facultatem delegat (1).

### §. 15. *Ordines licite recipi possunt etiam ab Episcopo non proprio.*

Episcopus non proprius potest licite Ordines sacros conferre, dummodo ordinandus *privilegium* Summi Pontificis ab alio Episcopo catholico Ordines recipiendi teneat, vel *litteras dimissorias*, seu scripto datam a suis Superioribus facultatem habeat. Litteras dimissorias concedere potest: 1 Episcopus electus, confirmatus et necdum consecratus, vel pallio ornatus. 2 Vicarius Episcopi Generalis speciali ad id Praelati mandato instructus, vel si Episcopus in remotis regionibus deget, et gravis adsit causa. 3 Capitulum cathedrale sede vacante, et Vicarius Capitularis intra annum quidem arctatis beneficio, post annum vero a vacantia sedis omnibus clericis sibi subjectis. Episcopus alienum clericum legitime non dimissum ordinans, per annum ab Ordinum collatione suspenditur; ordinatus vero a suscepti ordinis exercitio ad sui Ordinarii beneplacitum. Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et Vicarius Capitularis, si sua abutantur potestate, subjacent interdicto; ordinati vero, si minores ordines tantum susceperint, nullo clericali privilegio gaudent; si in majoribus sint constituti ab ordinum executione suspenduntur ad arbitrium futuri Praelati. Quod ad Regulares attinet, his a Sede Apostolica concessum fuit privilegium sacros Ordines a quocumque Episcopo communionem cum Ecclesia catholica habente recipiendi, quod privilegium Concilium Tridentinum sequentibus limitibus circumscripsit: *a)* Si Episcopus, in cujus dioecesi est domus religiosa, vel non est habiturus ordinationes, vel abest, Praelati Regulares possunt dare suis subditis litteras commendatitias ad quemcumque Episcopum, in quibus debet exprimi causa non futurae ordinationis, vel absentiae. *b)* Regularis sic dimissus examinandus est ab Antistite ordinaturo quoad doctrinam. *c)* Ordinari debet ab Episcopo in sua

(1) Innocent. XII. Const. Spiculatores; Concil. Trid. Sess. 23. cap. 9. de ref. Concil. Trid. Sess. 14. c. 2. Sess. 23. c. 10., Thomassin P. II. l. 1. c. 1. seqq., Schenkel J. E. Sect. I. de personis et Benefic. eccl. c. 1. art. 2. §. 420. p. 15.

dioecesi. Praelati Regulares haec praescripta non observantes, officii, dignitatis ac vocis activae et passivae privationem incurrunt (1).

## §. 16. *Scrutinium ordinandorum.*

Ne quis minus dignus ad sacros Ordines irrepat, triplex praemitti solet scrutinium: 1 Uno mense ante ordinationem, juxta praescriptum Concilii Tridentini, nomina canditatorum publice in Ecclesia praelegi deberent; ast hodierna die id supplent testimonia Professorum, et Superiorum sive Seminarii, sive domus regularis. Primum scrutinium instituitur ad mores caudidatorum explorandos. 2 Aliquot ante ordinationem diebus candidati ad Episcopum vel Concistorium vocantur, ut tum requisita ad Ordinationem, v. g. literas baptismales, testimonia studiorum, morum, et sanitatis exhibeant, tùm examen de rebus relate ad Ordines scitu necessariis subeant. 3 Ultimum scrutinium fit in ipso ordinationis actù cum Episcopo de dignitate promovendorum ad Diaconatum, et Presbiteratum interroganti Archidiaconus vel alius Assistens juxta formulam in Pontificali Romano contentam respondet: quantum humana fragilitas nosse sinit, scio eos dignos esse, ut ad sacros Ordines promoveantur; quod testimoninm dignitatis perhibere potest, modo de indignitate eorum non sit convictus (2).

## §. 17. *Gradus ordinationis.*

Ut ordinatio sit canonica necesso est, ut Ordines sacri recipiantur gradatim; etenim ab Ecclesia perscripti sunt certi gradus per quos ascendere oportet, scilicet a tonsura ad minores, a minoribus ad subdiaconatum, a subdiaconatu a l diaconatum, a diaconatu ad presbyteratum, a presbyteratu ad Episcopatum. Qui praetermisso inferiore altiorem suscipit, per saltum ordinatus dicitur, sic ordinatus ab usu ordinis ita suscepti suspenditur, et si in ordine omisso, antequam ordo omissus suppletus, et absolutio a suspensione data fuerit, ministrarit, redditur irregularis (3).

(1) C. 3. de temp. Ord. in 6. Conc. Trid. Sess. 23. c. 8. de ref. Sess. 7. c. 10. de ref.,Clemens VIII Const. *Demandato* a. 1596. 15. Maj., Benedictus XIV Const. *Impositi* a. 1747. 27. Sept. (2) Conc. Trid. Sess. 23. c. 5. de ref. c. 7. de ref. c. 2. dist. 24. c. 3. dist. 61. Tit. de ord. diac. et tit. de ord. presb. Cap. unic. de scrut. in ord. fac. (3) Cap. unic. de cler. per salt. promot. cap. 10. de excess. Prael. Conc. Trid. Sess. 23. c. 14. de ref.

## §. 18. *Interstitia.*

Illa temporum intervalla, qnae ex Ecclesiae constitutione interponi debent inter unius et alterius Ordinis susceptionem, *Interstitia* vocantur. Talia temporum intervalla, seu interstitia sunt ab Ecclesia constitnta, ut vocationis Clericorum veritas, morum probitas, et capacitas, seu peritia pro cujuscumque Ordinis exercitio nota atque perspecta esse possit. Temporum interstitia etiam in Ordinibus minoribus sunt servanda; ast quodnam intervallum inter unum et alterum ex Ordinibus minoribus intervenire debeat, non reperitur expresse praescriptum. Pro suscipiendis Ordinibus majoribus a Concilio Tridentino habetur expresse statutum, quod intercedere debeat intervallum unius anni a receptione unius ad receptionem alterius; hinc a susceptione postremi gradns Minorum Ordinum ad Subdiaconatum unus annus intercedere debet, *nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Idem anni intervallum Synodus Tridentina interjici voluit a Subdiaconatu ad Diaconatum, et similiter a Diaconatu ad Presbyteratum, nisi ob Ecclesiae necessitatem, atque utilitatem aliud Episcopo videatur. Anni cursus, qui inter unum, et alterum Ordinem debet intervenire, non est necesse, ut sit naturalis, et solaris babens trecentos sexaginta quinque dies, sed sufficit ut sit ecclesiasticus, videlicet ab una Quadragesima ad alteram, et a Pentecoste ad Pentecostem etc. Si Ecclesiae utilitas, aut necessitas id exigat, Episcopus super hujusmodi interstitiis cum suis subditis dispensare potest. Eadem facultas extenditur etiam ad Vicarium Generalem Episcopi, et Sede vacante ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, seu ad Vicarium Capitularem (1).

## §. 19. *Tempus Ordinationis.*

Canones Ecclesiae pro ordinatione certa tempora determinarunt. Tonsura quidem quavis anni die et hora, Minores vero Ordines omnibus diebus dominicis et festivis, si Episcopo placuerit, conferri possunt. Pro majoribus Ordinibns, scilicet Subdiaconatu, Diaconatu et Presbyteratu, semper servato jejunio, et intra Missarum solemnia conferendis, determinata sunt sex Sabbata, nimirum *Sabbata quatuor temporum*, *Sabbatum sitientes*, seu quod Dominicam Passionis praecedit, et *Sabbatum Sanctum*; nisi forte ordinans, vel ordinandus ex

(1) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 11. cap. 13. c. 14. de ref., Reiffenstuel l. 1. decret. tit. 11. num. 145. n. 155., Ferraris Biblioth. Voc. *Interstitia.*

privilegio Summi Pontificis ad haec tempora non sit adstrictus. Sic per gratias quinquennales Episcopis Germaniae datur facultas Ordines conferendi extra tempora praescripta. Episcopus ordinans non obtento privilegio canonica poena corrigendus, ordinatus ab ordinis exercitio suspendendus decernitur, imo ipso jure suspensus manet, usque dum Episcopus cum eo non dispensaverit. Pro Episcopis consecrandis quivis dies dominicus, aut Apostoli natalitius aptus habetur.

### §. 20. *Locus ordinationis.*

Locus ordinationis debet esse 1 *proprius*, idest intra dioecesim Episcopi ordinantis, quia nullus Episcopus extra districtum suae jurisdictioni subjectum sine licentia Ordinariatus ejus loci potest Pontificalia exercere, et quidem ita, ut si in aliena dioecesi sine consensu Ordinarii etiam propriis subditis auderet ordines conferre, ipso jure ab usu Pontificalium suspenderetur, ordinatus vero ab ordinum exercitio; 2 *locus sacer*, saltem cum de ordinibus majoribus conferendis agitur, quia hi tantum sub Missae sacrificio conferri possunt; 3 *locus publicus*, ad quem populo aditus pateat, et si fieri potest, Ecclesia Cathedralis, vel reliquis dignior, cum praesentia populi, prout praescriptae ceremoniae indicant, in hoc actu supponitur (1).

### §. 21. *Effectus Ordinationis.*

Effectus ordinationis sunt sequentes: 1 ordinatus acquirit jus munia Ordinum, quos recipit exequendi, simulque obligationes ordinibus adnexas in se suscipit. 2 Tonsura initiatus clero adscribitur, reliquorum Ordinum, beneficiorum ecclesiasticorum capax, et privilegiorum clericalium particeps redditur, ita tamen, ut beneficium ecclesiasticum non possit adipisci ante annum decimum quartum aetatis, nec gaudere privilegio fori, nisi beneficium ecclesiasticum jam teneat, aut habitum clericalem et tonsuram deferens alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviat, aut vero in Seminario, Universitate, vel schola de Antistitis licentia versetur ad Ordines majores suscipiendos. 3 Subdiaconus obligatur ad permanendum in Ordine Clericorum, ad castitatem perpetuo servandam, et ad horas canonicas in dies recitandas. 4 Ordo sacer imprimit characterem indelebilem, quo fit ut ordo semel valide receptus nec iterari, nec annichilari possit (2).

(1) Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. de ref. Sess. 23. c. 8. de ref. (2) Conc. Trid. Sess. 7. can. 9 de sacr; Sess. 23. cap. 6. de ref. Sess. 25. can. 8. de sacr.

## ARTICULUS II.

### DE OFFICIIS AC JURIBUS CLERICORUM.

### §. 22. *Officia Clericorum.*

Clerici, utpote in sortem Domini vocati, a populo segregantur, et per sacram ordinationem Ecclesiae ministerio consecrantur, ut verbi divini praedicatione, Sacramentorum administratione, divini cultus externi exercitiis, atque eximia morum integritate homines ad virtutem sectandam, et beatitudinem aeternam assequendam deducant. Hinc Clerici obligantur: 1 Ad morum probitatem; 2 Ad coelibatum; 3 Ad modestiam externam; 4 Ad abstinentiam ab occupationibus statui clericali haud convenientibus; 5 Ad curam animarum; 6 Ad precationem. Relate ad Clericorum vitam Concilium Tridentinum ita se exprimit: « Sic decet Clericos in sortem Domini » vocatos vitam, moresque suos componere, ut habitu, ge» stu, incessu, sermone, aliisque rebus nil nisi grave, mode» ratum, ac religione plenum praeseferant » (1).

### §. 23. *Probitas morum.*

In primis Clerici ad morum probitatem obligantur, quia longe efficaciora sunt exempla, quam verba. Probitas morum est duplex, scilicet *interna*, et *externa*. Probitas morum interna posita est in conscientiae munditia, in affectuum, ac intentionis integritate, in singulari virtutum studio, verbo, in convenientia actionum internarum cum lege morali: externa consistit in fuga omnium, quae dignitati, utilitati, et auctoritati status clericalis quomodocumque derogare possent; potissimum autem urgent canones, ut Clerici caveant ab *ebrietate, avaritia,* et *incontinentia*, et evitare studeant quidquid his vitiis vel ansam praebere, vel suspicionem parere potest. Quamobrem interdictum est Clericis: 1 publicas frequentare cauponas, nisi id fiat in itinere, aut negotiorum causa; 2 immodica et sumptuosa celebrare convivia, aut iis interesse; 3 lusibus aleatoriis, vel etiam aliis cum nimia animi propensione, aut cum studiorum, officiorumque neglectu indulgere; 4 ad choreas, indecora spectacula, aut oblectationes famae, vel virtuti noxias comparere; 5 Cum mulieribus, nisi forte primo et secundo gradu consanguineae, aut tales sint, quae omnem

(1) Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. de ref.

prorsus suspicionem excludant, cohabitare, aut alias nimis familiarem cum foeminis consuetudinem fovere. Beneficiarii hac in parto rei, si post primam admonitionem so non emendent, ipso jure tertiam partem proventuum amittunt; post secundam admonitionem omnes fructus, qui semper in aedificium Ecclesiae, aut in alium pinm usum impendendi sunt, perdunt, et a beneficio suspenduntur; perseverantes nihilominus in prava vitae ratione beneficiis privantur, et in futurum ad beneficia, dignitates et officia quaecumque ecclesiastica inhabiles fiunt; denique si intermissum consortium repetere, aut alias scandalosas mulieres sibi adjungere audent, excommunicationis poena plectuntur. Clerici vero beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciae perseverantiam, et qualitatem, ab ipso Episcopo carcero, suspensione ab Ordine, vel declaratione, quod inhabiles facti sint ad obtinenda beneficia, puniantur (1).

## §. 24. *Coelibatus.*

Quamvis Christus Dominus nominem ad vitam coelibem obligaverit, attamen primis jam Ecclesiao saeculis extabant Clerici, qui exemplum Christi, et Apostolorum imitati vel virgines, vel post nuptias continentes erant. Crevit autem vitae coelibis veneratio ex quo anachoretarum et monachorum instituta propullularunt. Ab hoc quippe tempore factum, ut coelibes in regula ad sacerdotium promoverentur, iiquo uxoratis passim praeferrentur. Verum consuetndo haec brevi in stabilem legem abibat, ita quidem, ut Clerici primum prohiberentur post susceptos sacros ordines nuptias contrahere, deinde si qui uxorati majoribus essent ordinibus initiati, uxores suas dimittere juberentur. Saeculo IV Concilia quaedam particularia, veluti Illiberitanum anno 305, Neocaesareense de eodem anno, et Ancyranum anno 314 celebrata Clericis in majoribus constitutis, id est Episcopis, Presbyteris et Diaconis matrimonii usum interdixerunt, eosque ad servandam perpetuam continentiam obligarunt. Anno 325 Patres Concilii Nicaeni I sanciverunt, ut Clero adscripti, juxta veterem Ecclesiae traditionem, jam non amplius uxores ducerent. Demum Summus Pontifex Siricius circa finem saeculi quarti generalem coelibatus legem Clericis ad ordines majores promotis

(1) Can. 1. 4. dist. 33. cap. 14. de vita et honest. cleric. Cap. 15. de vita et honest. Cleric. Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. de ref. Cap. 19. dist. 34. can. 6. dist. 40. cap. 15. et 12. de vita et honest. Cleric. Can. 25. dist. 81. cap. 1-9 de cohab. Cleric. et mulier. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 14. de ref.

imposuit, quam deinceps Innocentius I, Leo M., Pelagius II, Gregorius M. inculcarunt. Quam sancta, et utilis Ecclesiae Jesu Christi sit lex coelibatus nemo inficias ibit, qui sana mente consideraverit, officia Clericorum cum oneribus status conjugalis haud facile componi posse; etenim qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Quam ob rem sapientissimi legislatores coelibatum Clericorum legibus civilibus confirmarunt, et statuerunt, ut matrimonium a Clericis initum etiam in ratione civili sit semper invalidum. Ecclesia Clericos in majoribus constitutos a nuptiis alioqui licitis abstinere, vitamque coelibem agere jubet, eosdemque ad matrimonium deinceps contrahendum inhabiles reddit; Clericos vero, qui minores tantum ordines susceperunt, quibusque libertatem uxores ducendi haud negat, post connubia saltem a beneficiis ecclesiasticis excludit. Qui post receptum Subdiaconatus Ordinem matrimonium inire attentaret, praeter ejusdem nullitatem, ipso facto et irregularitatem, et excommunicationem incurreret (1).

### §. 25. *Modestia externa.*

Juxta praescriptum Concilii Tridentini Clerici decentiam et modestiam in habitu, gestu, incessu, et sermone studiose servare obligantur. Ad modestiam externam pertinet. 1 *Vestitus statui clericali conveniens.* Quamdiu imperium romanum subsistebat, habitus clericalis a communi laicorum habitu nec forma, nec colore; sed sola modestia discernebatur, eratque vestis oblonga, seu tunica talaris: postquam barbari imperium romanum everterunt, novaque regna condiderunt, laici novos hospites imitati vestibus brevioribus uti coeperunt, clericis antiquam vestium formam retinentibus, atque ita exorta est distinctio inter laicorum, et clericorum habitum. Episcopi animadvertentes, hanc habitus extrinseci distinctionem probitati, et gravitati Clericorum mirum in modum consulere, non solum eam approbarunt, verum etiam vestitum coloris nigri praescripserunt. Quoad vestitum Clerici generatim cavere debent, ne vanitatem sequantur, et ne sordidi, aut lacerati incedant, quod statui clericali summo esset dedecori. 2 *Gestatio tonsurae.* Barbaris ad fidem conversis, et in Clericorum numerum adlectis capilli resecandi erant; unde tonsura, subinde ad tonsurae monasticae modum adoptata originem tra-

(1) S. Hierom. l. 1. adv. Jovin. et ep. 50., Socrates L. 1. H. E. c. 11. Tom. I. Conc. p. 976. C. un. de Cler. conj. in 6. Concil. Trid. Sess. 23. c. 6. de ref., Schenkel Inst. I. C. Sect. I. C. I. Art. III. p. 53. §. 438.

xit. Qui habitum clericalem, ordini, et dignitati congruentem, et tonsuram, juxta Episcopi ordinationem, et mandatum non deferunt, si in sacris sint constituti, post primam Episcopi admonitionem suspenduntur ab officio; contumaces vero officio et beneficio privantur. Minoristae carentes beneficio amittunt privilegium fori, non vero canonis. Qui clericum habitum, et tonsuram clericalem non ferentem percutit, quin illum cognoscat, in excommunicationem non incurrit. 3 *Usus armorum.* Usus armorum modestiae, et mansuetudini minus congruentium Clericis interdicitur, nisi forte ad sui aliorumque defensionem iisdem potissimum in itinere opus sit. Sane Clericus sine necessitate armatus moveret risum (1).

§. 26. *Occupationes Clerici interdictae.*

Occupationes statui clericali indecorae, ac ideo clericis interdictae sunt: 1 Mercimonium, seu negotiatio quaestuosa, qua merces coemptae lucri causa aliis divenduntur. 2 Conductio vectigalium et praediorum. 3 Servitia militaria. 4 Munus procuratoris judicialis, nisi causam propriam, Ecclesiarum, vel pauperum agant, item minus judicis, et notarii in causis profanis. 5 Ars chirurgica, qua adustio vel incisio infertur. 6 Omne genus artis, vel opificii, quod communi aestimatione sordidum habetur. 7 Venatio, saltem si modum excedat, cum affectu quodam, aut cum neglectu officiorum clericalium, aliarumque nobiliorum occupationum exerceatur, et quidem ea severitate est Clericis prohibita, ut si Episcopus in ea saepius deprehensus fuerit, tribus mensibus, si Presbyter, duobus a communione arceatur, si Diaconus, ab officio suspendatur, reliqui vero arbitrarie puniantur. 8 Vetitum est Clericis comicos, histriones, joculatores agere, cuipiam famulari in occupatione vili, saecularibus, praesertim foeminis inservire, quia status clericalis deprimitur (2).

(1) Thomassin Disc. V. et N. P. I. l. 2. c. 37. et 33 - 33, Caus. 21. q. 4. per tot. c. 15. de vita et honest. Cleric. c. 2. de vita et honest. Cleric., Concil. Trid. Sess. 14. cap. 6. de ref. Sess. 23. c. 6. de ref. Can. 4. de sent. excom. C. 6. et 7. de vit. et hon. Cler. C. 2, caus. 21. q. 4. c. 2. de vit. et hon. cleric. (2) Can. 2. 9 - 12 dist. 38. can. 4. dist. 91. cap. 5. ne Cler. vel Monach. Cap. 2. de vit. et hon. cler. c. 24 de homic. Can. 1. 4. 5. Dist. 88. cap. 4. et 8. ne Cler. et Mon. cap. 19. de homic. Clement. unic. de vit. et hon. Cler. Cap. 1 et 2. de cler. venat. Cap. 1. et seqq. ne Cler. et Mon. c. 6. caus. 23. q. 8. c. 15 de vit. et hon. Cler. Clem. 1. eod. tit., Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 10. n. 5.

## §. 27. *Cura animarum.*

Potestas sacra a Christo Domino fuit instituta, et Sacerdotibus collata ad salutem animarum promovendam; hinc Clerici ad Presbyteratus dignitatem elevati tenentur verbum Dei praedicare, rudium instructioni sedulam operam navare, Sacramenta administrare, functiones sacras peragere, seu curam animarum exercere. Munus curae animarum obeundi cum presbyteratus ordine ita essentialiter est conjunctum, ut saltem in casu necessitatis nullus Sacerdos possit se eximere. Sane clerici ad Presbyteratus dignitatem elevantur, non ut otio marcescant, vel negotiis saecularibus se implicent, sed ut in vinea Domini laborent. Omnis arbor, ait divinus Salvator, quae non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Indignus, juxta S. Bernardum, lacte et lana convincitur, qui non pascit oves. Quapropter omnibus clericis enitendum, ut tum religionis, et virtutis, tum sacratiorum, optimarumque scientiarum studio animum magis magisque excolendo se ad officium curae animarum reddant idoneos, utque, ubi Presbyteratus ordinem receperunt, negotiis, et functionibus curae animarum incumbant.

## §. 28. *Precationis officium.*

Oratio est officium cujuslibet hominis christiani, multo magis autem Sacerdotis, qui non solum populo fideli omnium virtutum exemplis praeire debet, verum etiam speciali indiget divinae gratiae auxilio, ut officiis suis gravissimis debito modo satisfacere possit. Hinc reperimus jam sanctos Apostolos statis horis vacasse orationi, quorum exemplum sequuta primaeva Ecclesia publicas instituit preces, quae a clero, et populo in conventibus communiter persolvebantur, et cultus divini partem efficiebant. Subsequis temporibus, potissimum in Occidente post barbarorum invasionem, cum populus linguam latinam amplius non calleret, partim ad Canonicorum et Religiosorum chorum, partim ad preces privatas a singulis Clericis persolvendas fuerunt restrictae. Preces ab Ecclesia praescriptae communiter vocantur vel *Officium divinum*, quia ad Dei cultum instituuntur, vel *Officium Ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiae fiunt, vel *Horae Canonicae*, quia statis diei, ac noctis horis secundum regulas sacrorum canonum persolvi debent, vel *Breviarium*, quia est breve, et admirabile compendium Veteris et Novi Foederis, Patrum sententiarum, et vitae Sanctorum. Divinum Officium dividitur in *nocturnum*, quod de nocte celebrari consuevit, et adhuc apud plures Re-

ligiones, et regiones celebratur, et vulgo *Matutinum* nuncupatur, cui juxta morem Ecclesiae Romanae adjunguntur *Laudes, et diurnum,* quod de die persolvitur. Totum divinum officium communiter dispescitur in septem Horas Canonicas, nempe *Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium,* juxta illud Davidis (1): « Septies in die laudem dixi tibi ». Obligatio recitandi quotidie divinum Officium, seu Horas Canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo Sacri Ordinis, ex titulo beneficii ecclesiastici, et ex titulo Religionis choro adstrictae. Titulo Sacri Ordinis obligantur sub mortali ad recitandas Horas Canonicas Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium. Titulo beneficii ecclesiastici tenentur sub mortali divinum Officium recitare omnes beneficiarii, sive beneficium curatum, vel non curatum possideant. Beneficiarius recitationem divini Officii culpabiliter omittens privatur fructibus, qui vel in fabricam Ecclesiae, vel pauperum sustentationem sunt impendendi; et quidem juxta Constitutionem S. Pii V, qui matutinum omittit, tenetur medietatem fructuum illius diei, qui alias horas alteram quoque partem, qui vero unam ex minoribus boris sextam partem restituere. Ab hac lege eximuntur beneficiarii primis sex mensibus ab obtento beneficio, quos tamen reatus culpae mortalis manet. Titulo Religionis obligantur sub mortali ad recitandum Breviarium, sive pnbblice in choro, sive privatim omnes, ac singuli Regulares ( exceptis novitiis et conversis ) choro adstricti, et hoc ratione generalis consuetudinis, quae vim legis habet (2).

### §. 29. *Praecipua Clericorum privilegia.*

Quemadmodum gradus Clericorum sublimis et omni veneratione dignus, officia eorum gravia et sacrosancta sunt; ita marito iisdem varia tributa sunt privilegia. Si Pontifices, Sacedotes, Flamines populorum gentilium eximiis juribus, et privilegiis praediti erant; quanto magis verae Religionis ministri iisdem gaudere debent. Praecipua vero Clericorum privilegia sunt; 1 privilegium fori; 2 privilegium canonis; 3 privilegium servitiorum; 4 privilegium competentiae.

### §. 30. *Privilegium fori.*

Juxta Jus commune ecclesiasticum privilegium fori in eo situm est, ut Clerici tam in causis civilibus personalibus con-

(1) Ps. 118. (2) Cap. Dolentes 9. de celebr. Miss. Clement. I. eod. tit. Cap. 1. Praesbyt. Si quis presbyt. dist. 92., Concil. Lat. V. Sess. 9. §. Statuimus, Ferraris Biblioteca Voc. Officium divinum.

venti, quam de criminibus accusati nonnisi ad judicem ecclesiasticum deferri, ut ab eodem dijudicari possint. Privilegium fori, quod concessioni principum sive expressae sive tacitae in acceptis est referendum, Ecclesia omni aevo propriis armis defendit. Sancta Synodus Tridentina admonuit terrae principes, ceu Ecclesiae protectores, ut non sinant Ecclesiae, et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam a Magistratibus violari. Nihilominus privilegium fori, cui Clerici renunciare nequeunt, utpote statui clericali concesso, introductis novis constitutionibus politicis fere ubique locorum a Civitatis Rectoribus fuit abolitum. Hodierna die Canonistae dividunt actiones Clericorum in *mere civiles, mere ecclesiasticas, et mixtas.* Actiones mere civiles fini Civitatis, et publicae disciplinae oppositae subsunt foro criminali et politico. Actiones merae ecclesiasticae, nimirum illae, quae doctrinam et disciplinam Ecclesiae spectant, deferendae sunt ad Tribunal Episcopi, in cujus potestate est in reos delictorum mere ecclesiasticorum inquirere, eosque censuris, vel poenitentiis afficere. Actiones mixtae, id est tales, quae fini Ecclesiae et Civitatis nocent, ad utrumque forum ecclesiasticum et civile spectare censentur (1).

## §. 31. *Privilegium canonis.*

Privilegium canonis, seu jus personalis inviolabilitatis Clericis omnibus concessum fuit a Concilio Lateranensi II a. 1139 sub Innocentio II celebrato canone 15, qui ita incipit: « Si quis Clericum suadente diabolo percutit, etc. » Privilegium canonis in eo consistit, ut quisquis Clericum sive saecularem, sive regularem suadente diabolo, id est ex proposito, et illicito modo percusserit, aut in ejusmodi violento facto jussione, consilio, aut approbatione partem habuerit, incurrat excommunicationem. Ab hac censura immunes censentur 1 qui Clericum joci causa percutiunt; 2 qui vim a Clerico illatam vi repellunt, servato inculpatae tutelae moderamine; 3 qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus violentas injiciunt; 4 Qui, dum percutiunt, ignorant se Clericum percutere. Si de percussione constiterit, Clericorum percussores sunt vitandi sub poena excommunicationis minoris (2).

(1) Can. 37. caus. 11. q. 1. Tit. de foro compet. Conc. Trid. Sess. 24 et 25. Cap. 20. de ref. Cap. 12 et 13. de foro comp., Thomas Dolliner Diss. de Jure Personarum ecclesiast. (2) Decr. Grat. c. 29. causs. 17. q. 4. C. 1. de sent. excom. C. 1. 10. 24. eod. tit. C. 3. 10. ibid. C. 3. ibid. C. 4. de excom. C. 29. ibid. et Const. ad evitanda, quam vulgo Martini V dicunt.

## §. 32. *Privilegium servitiorum.*

Clerici exempti sunt ab omnibus servitiis personalibus, et officiis civilibus, quae cum muneribus sacris conciliari nequeunt, ut facilius et quietius vacare possint studiis literarum, et curae animarum. Hac de causa eximuntur 1 a militia, excepto casu extremae necessitatis, v. g. cum patria in periculo versetur; 2 a constructione viarum, pontium, aliisque laboribus sordidis et servilibus; 3 ab excubiis et vigiliis; 4 a muneribus publicis, curialibus, municipalibus, tutelis, curatelis. Clericis saecularibus liberum relinquitur munus tutoris suscipere, si vel testamento dati sunt, vel jure sanguinis vocati. Olim in Africa Clericis interdicebatur munus tutoris quaerere, imo si quis boc ausus fuisset etiam a communione ecclesiastica excludebatur; si tamen Magistratus hoc munus Clerico deferebat, vel si quis jure sanguinis obligabatur, minime erat ei vetitum (1).

## §. 33. *Privilegium competentiae.*

Vi privilegii competentiae Clerico obaerato et ad solvendum impari tantum ex suis proventibus relinqui debet, quantum ad congruam statui sustentationem potest sufficere, ne mendicando, vel alio quaestu sordido victum sibi procurare cogatur. Hoc privilegium fundatur in jure consuetudinario. Nonnulli tamen Jurisconsulti illud deducunt ex liberalitate imperantium civilium, quibus jus alti dominii competit, sine quo, ajunt, privilegium competentiae nec subsistere potest, quia creditor secus neque adigi posset, ut partem debiti dimittat, utpote jus habens ad exigendum totum debitum, nisi dominium altum suffragatur. In Austria statutum est, ut bona beneficiaria quoad substantiam neque retentioni judiciali (sequestro), neque executioni subjiciantur: redditus vero, quorum usus et administratio, ad Clericum spectant, retentioni judiciali et executioni quidem subsunt, attamen ex his ante omnia sustentatio, idest congrua 300 florenorum annuatim Clerico reservatur. Qui in contrahendis debitis dolo processerunt, boc privilegio non gaudent (2).

(1) L. 6. Cod. Theod. de Episc. et Cler. Schenkel Inst. J. C. Lect. I. p. 46. §. 445. (2) C. 23. dist. 93. §. Hunc autem c. 3. de solut., Schenkel Inst. I. E. Sect. I. de person. et benef. eccl. C. I. art. IV. de Jur. et privileg. Cler. §. 48. §. 446., Thom. Dolliner. Diss. de jur. Personar. eccl. p. 61. §. 47.

## ARTICULUS III.

### DE CLERO REGULARI.

### §. 34. *Origo Cleri Regularis.*

Jam primis Ecclesiae saeculis erant majoris perfectionis studiosi, qui relictis vitae commoditatibus, hominumque commercio, severiori et solitaria vivendi ratione a ceteris christianis distinguebantur, *Ascetae* propterea dicti. Cum saeculo tertio persecutio Decii saeviret, plures ascetae metu tormentorum perculsi ad vicinas solitudines se receperuut, ibique vitam austeram duxerunt, et nomine *anachoretarum*, a voce ἀναχωρῶ, *secedo*; vel *eremitarum*, ab ἔρημος, *solitudo* fuerunt insigniti. Perhibent, SS. Antonium et Paulum Thebaeum, primos extitisse vitae monasticae iustitutores. Hoc saltem liquet, S. Antonium fuisse primum, qui anachoretas in eremo Aegypti huc illuc sparsos, ad vitae societatem revocaret, stabilem illis vivendi legem dictaret, eosque superiorum regimini subjiceret. Nihilominus Antonii discipuli adhuc dispersi, sibique relicti in solitudinibus vivebant. Hos saeculo quarto sub uno capite in societates congregavit S. Pachomius eximius vitae monasticae promotor, unde monachi *Coenobitae* uominati fuere. In Aegypto et Oriente, Coenobitarum vitam propagaruut Amon Aegyptius, duo Macarii, Eustathius, Sebasteuus Episcopus, S. Basilius. Ex Oriente vitae coenobiticae institutum mox transiit in Occidentem, ubi saeculo sexto S. Benedictus monachos certae regulae subjecit. Inde a saeculo XI. perplures novi Ordines constituti fuerunt (1).

### §. 35. *Notio Ordinis Religiosi.*

Ut cetus hominum Ordinis religiosi nomine insigniri queat, sequentia requiruntur: 1 Certam regulam a Summo Pontifice approbatam profiteri tenentur; 2 Debent vivere in communitate sub suis Superioribus; 3 Necesse est, ut vota solemnia paupertatis, castitatis et obedientiae emittant. Clerici profitentes regulam aliquam, et viventes in communitate, quin votis solemnibus sint adstricti, appellantur *quasi regulares*, uti sunt Patres Congregationis Oratorii. Status clericalis non pertinet

(1) Can. Apost. c. 51, Athenagoras Apolog. c. 28., S. Hier. vita S. Pauli c. 1., Henr. Valas. in Euseb. l. II. Ist. Ecc. p. 17., Cf. S. Athanas. in vita S. Autonii.

ad essentiam status monastici; etenim ab initio omnes monachi laici erant. Conjunctio status clericalis cum statu monachali sensim tantum facta est in singulis monachis, qui ad functiones sacras in templo monasterii obeundas necessarii videbantur. Tandem saeculo XIV lex lata fuit, ut propter spirituale Ecclesiae bonum omnes monachi, quotquot habiles reperirentur, ad monitionem sui Superioris sacros Ordines susciperent. Inde ortum est in Ordinibus Religiosis discrimen inter *Clericos*, et *fratres laicos*, seu *conversos*, quorum illi choro, curae animarum, aliisque functionibus spiritualibus, hi laboribus manualibus, et domesticis servitiis se impendunt (1).

## §. 36. *Receptio Candidatorum.*

Juxta Concilium Tridentinum in Monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum candidatorum numerus recipiendus, et conservandus est, qui vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Pro receptione tyronum in Ordinem religiosum illicitum est aliquid exigere. Talis receptio declaratur simoniaca, dantes et recipientes pecuniam incurrunt excommunicationem majorem Papae reservatam, et Monasterium ipso facto ab officiis capitularibus, et jurisdictionis exercitio suspenditur. Inter moniales moderata dotis illatio etiam a sanctissimis viris non improbatur (2).

## §. 37. *Novitiatus.*

Necesse est, ut recepti, et induti candidati, antequam ad solemnem professionem admittantur, probent utrum ferendis omnibus Ordinis oneribus pares sint, utque Ordo eorum indolis, moralitatis, et capacitatis periculum faciat. Hunc in finem Synodus Tridentina, statuit ut in quocumque Instituto regulari sive virorum, sive mulierum saltem unius anni novitiatus, seu annus probationis integer, de momento in momento computandus, et absque ulla interruptione continuus, sub nullitate professionis praemittatur, cui neque novitius, neque monasterium renuntiare potest. Quodsi vero in aliquo Ordine longius tempus foret pro novitiatu destinatum, talem institutionem Concilium Tridentinum non improbat; licitum

(1) Clement. 8. §. 5. de statu Monach. Can. 6. caus. 16. q. 1. c. 1. de statu monach. in Clement. (2) Concil. Trid. Sess. 25 cap. de Regul. C. 1. de simon. in Extrav. Com.

tamen est post unius anni novitiatum, consentientibus Superiore, et tyrone, tempus probationis abbreviare. Durante probationis anno novitii tenentur animum suum religioso-moralibus ideis, atque exercitiis excolere, exactam regulae et statutorum notitiam sibi comparare, et officia, quae inde proficiscuntur, penitus discere (1).

### §. 38. *Libertas egressus.*

Novitiis plenissima egrediendi libertas relinquenda est. Ad omne egressus obstaculum removendum sacrosancta Synodus Tridentina quamcumque etiam juratam, vel in favorem qualiscumque pii instituti factam a novitiis renunciationem bonorum, et quamlibet desuper factam dispositionem pro invalida declarat, nisi fiat ultimis duobus ante solemnem professionem mensibus cum licentia Episcopi, aut ejus vicarii ea sub conditione, ut secuta tantum professione vigorem habeat. Pariter Concilium parentibus, agnatis, cognatis, aut parentum vices gerentibus prohibet, aliquid ex bonis novitiorum ante eorum professionem monasterio dare. Exeunte novitio tota substantia, si quam monasterio intulit, debet ei restitui; nihilominus novitius tenetur id, quod pro ejus victu et vestitu expensum fuit, compensare (2).

### §. 39. *Professio religiosa, ejusque requisita.*

Si novitius ad saeculum non redit, finito anno probationis, admittendus est ad professionem religiosam, qua fit regularis proprie talis, quaeque in nuncupatione solemnium votorum in Ordine ab Ecclesia approbato consistit. Ad valorem autem professionis sequentia requisita sunt necessaria: 1 Novitiatus unius anni de momento in momentum computati §. 37. 2 Aetas praescripta, et quidem juxta Concilium Tridentinum sexdecim annorum completorum. In austriacis ditionibus, ex dispositione legum civilium, nemo, sub poena nullitatis professionis, mulcta pecuniaria trium millium florenorum, exilii Superioris, et suppressionis Conventus, potest emittere vota solemnia, nisi habeat vigesimum quartum annum completum, vel vigesimum primum completum, et non interruptam commorationem triennalem in Monasterio a die suscepti habitus computandam. Haec tamen licentia professionis vigesimo primo aetatis anno post commorationem trium annorum in Coe-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. c. 15. (2) Cap. 22. de Regular. cap. 2. eod. tit. in 6. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 16. de Regular.

nobio emittendae ad Moniales non est trahenda. 3 Spontanea emissio, et conveniens acceptatio professionis. Professio religiosa considerari debet tanqnam contractus inter profitentem, et Ordinem religiosum; quare spontanea emissio, et conveniens acceptatio ad ejusdem essentiam pertinent. Igitur sic dicta oblatio prolis ex parte parentum facta, prolem non obligat ad emittendam professionem religiosam, nisi aetatem assequuta professionem emissam ratam habeat. Pariter invalida est professio, si emittitur a persona usu rationis carente, dolo circumventa, in errore vel ignorantia versante, vel metu injusto, etiam indirecte a tertio incusso adacta, ant si rite acceptata non sit. A quo professio religiosa acceptari debeat, ex constitutionibus cujusvis Ordinis discendnm est. 4 Jura tertii per eandem ne violentur. Hinc nec obaerati, nec milites ante dimissionem, neque publicis rationibus reddendis obnoxii ante obtentum absolutorium ad emittendam professionem religiosam idonei judicantur. Conjuges quoque, post consumatum matrimoninm, vota solemuia emittere nequeunt, nisi alter conjux consentiat, et monasterium ingrediatur, vel ob aetatem non sit amplius suspectus, et continentiam voveat; aut vero una pars rea sit adulterii, quo in casu pars innocens etiam invita comparte potest monasterium ingredi, quin tamen vinculum matrimonii solvatur ita, ut conjux in saeculo manens ad novas nuptias transire queat. Quod si matrimonium sit solummodo ratum, alteruter conjugum intra dnos a facta copulatioue menses adhuc in claustrum secedere potest, et si dein ibidem etiam contra alterius partis voluntatem professionem religiosam emittat juxta jus commune ecclesiasticum matrimonii vinculum dissolvitur. Item Episcopus, vinculo matrimonii spiritualis constrictus, sine licentia Summi Pontificis nequit Dioecesim snam deserere, et vota solemnia in Ordine aliquo emittere (1).

### §. 40. *Effectus professionis religiosae.*

Professio religiosa valida juxta leges ecclesiasticas seqnentes producit effectus: 1 Extinguit vota 'simplicia prius emissa, tollit irregularitatem ex defectu natalium ortam, de-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. eap. 15. de Regular. Cap. 1. de Regular. C. 31. ap. et 16. de Regular. Cap. 14. de Regular. junet. ean. 3. eaus. 20. q. 1. Cap. 15. de Regular. Cap. 1. et 3 de Regular. in 6. Cap. 1. de his, quae vi metuque eausa. Cap. 13 et 16 de Regular. Can. unie. dist. 53. Cap. 4. 13 et 20 de convers. eonjug. Cap. 15. 16 ibid. Coneil. Trid. Sess. 24. can. 5 et 7 de Sacr. Matr. Cap. 2 et 7 de convers. eonjug. cap. 16. de Sponsal. Coneil. Trid. Sess. 24. can. 6. de Sacr. Matr. C. 18. de Regular. c. 10.

let maculam ex vitae anteactae delictis contractam. 2 Relaxat ingratitudinem alias exhaereditatione dignam. 3 Dirimit non solum inita sponsalia, sed etiam matrimonium ratum non consummatum. 4 Obligationem imponit Ordini, aut monasterio professum religiosum tota vita retinendi, fovendi, nutriendi, induendi, omnibus necessariis providendi etiam in casu infirmitatis, vel impotentiae. 5 Professo injungit, ut toto vitae suae tempore in Ordine, aut Claustro permaneat, vitam juxta regulam instituat, vota religiosa servet, et ambulet vocatione, qua vocatus est (1).

## §. 41. *Officia Regularium.*

Officia Regularium ex ipsa professione religiosa, et speciali cujusvis Ordinis regula intelliguntur, quae sunt obligationes pro virili servandi vota obedientiae, paupertatis, et castitatis. Votum obedientiae obligat monachum ad prompte suo Ordinis Superiori obsequendum in omnibus, quae hic ipsi secundum regulam praecipit, aut prohibet, ita quidem, ut ei nec liceat contra gravans Superioris decretum appellare. Votum paupertatis hodie eum effectum habet, ut nullus Religiosus quidquam proprii habere possit; sed cuncta, quae quisque pro suo usu possidet, aut acquirit ad totam communitatem pertineant, neque ullus sine tacito, vel expresso, generali, vel speciali consensu Superioris, qui communitatem repraesentat, facultatem habeat de aliqua re disponendi. Proprietarius inventus, et convictus biennio voce activa et passiva caret, et pro criminis qualitate gravioribus poenis plectendus decernitur; moriens vero, nisi dimittat, extra commune coemeterium sepeliendus est. Votum denique castitatis monachum non tantum ad servandam continentiam in statu coelibi obligat, verum etiam ad contrahendum validum matrimonium inhabilem reddit (2).

## §. 42. *Superiores Ordinum Religiosorum.*

Cum sermo instituitur de Ordinum Religiosorum Superioribus necesse est distinguere inter Ordines, in quibus stabilitas loci obtinet, idest integro vitae tempore duratura in

(1) Cap. 4. de voto C. 5. de Regular. in 6., de fil. Presbyt. 9. 3. c. 7. de conjug. c. 1 de stat. monach. Concil. Trid. Sess. 24. can. 6. de Sacr. Matr. Sess. 25. cap. 1. de Regular. (2) Cap. 3 et 26 de appell. Cap. 5 de Regularib. cap. 2. 4 et 6. de statu monach. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 2 de Regular. C. 24. de stat. monach.

eodem monasterio commoratio, uti apud Benedictinos, Cistercienses, Canonicos Regulares, et Moniales, et Ordines, in quibus mutatio loci est introducta, quae facit, ut Religiosi vi mandati suorum Superiorum ex uno claustro ejusdem Ordinis ad aliud migrare debeant. In Ordinibus stabilitate loci gaudentibus Superiores sunt *primarii*, et *secundarii*. Primarii dicuntur *Abbates* vel *Praepositi*, et ad dies vitae eliguntur: secundarii vocantur *Priores*, aut *Decani*, et ad tempus constituuntur. In Ordinibus, ubi stabilitas loci non obtinet, Superiores triplicis sunt generis, scilicet *Generales*, qui Ordini universo, *Provinciales*, qui unius Provinciae monasteriis, et *Locales*, qui singulis coenobiis praesunt. Locales ordinarie nominantur *Rectores, Priores, Guardiani* pro Ordinum diversitate, v. g. apud Gesuitas dicuntur Rectores, apud Dominicanos Priores, apud Franciscanos Guardiani.

## §. 43. *Eorum electio.*

In Ordinibus, ubi stabilitas loci obtinet, Superiores primarii, seu Abbates, et Praepositi per canonicam a cunctis capitularibus peractam electionem constituuntur; Superiores vero secundarii, idest Priores, et Decani vel ab Abbate, et Praeposito libere denominantur, vel per vota religiosae communitatis electi ab ipsis confirmantur; qua in re attendendum ad locorum consuetudinem, et ad Ordinis statuta. In reliquis Ordinibus, ubi stabilitas loci non obtinet, Superiores primi, secundi, et tertii generis eliguntur in Capitulis, quae sunt vel *generalia*, vel *provincialia*. Ministri generales per vota absolute majora eliguntur in Capitulis generalibus, ad quae Minister, et Definitores generales, nec non Ministri Provinciales ex toto Ordine jus habent comparendi. Capitulum generale convocatur a Ministro generali. Ast ab aliquot lustris saltem Minister generalis utriusque familiae Fratrum Minorum Observantium, et Reformatorum a Summo Pontifice per Breve eligitur. Ministri vero Provinciales eliguntur in Capitulis provincialibus, quae constant ex Ministro Provinciali, Custode, Definitoribus, et primariis Superioribus localibus. Penes Ministrum Provincialem jus est congregandi Capitulum provinciale. Praesidem Capituli eligunt Definitores. Secundum Ordinis Constitutiones, saltem apud Patres Franciscanos, tam convocatio, quam praesidium spectant ad Commissarium generalem. Electiones Regularium sub poena nullitatis fieri debent per vota secreta. Juxta Ordinis statuta electio peragi debet intra unum diem, secus electio devolvitur ad Ministrum generalem. Ad valorem electionis requiruntur vota absolute

majora; in paritate vero votorum Praeses votum decisivum habet. Scrutinium intra diem renovari debet, donec absoluta majoritas votorum obtineatur. Electus Minister Provincialis tenetur significare suam electionem Ministro Generali, et ab ipso confirmationem petere. Munus Ministri Provincialis durat tribus annis, quibus laudabiliter terminatis, si apta individua in Provincia desint, cum venia Generalis Ministri potest reeligi. Superiores locales eliguntur a Ministro Provinciali, Custode, et Definitoribus. Etiam horum munus durat triennio, ita tamen, ut si habiles Religiosi desint, possint confirmari. Sed si apti Religiosi ad ferendum onus Superioris reperiantur, omni triennio mutandi sunt, ut quilibet probet quanta dulcedine Superioris dignitas sit perfusa (1).

## §. 44. *Potestas Superiorum Ordinum Religiosorum.*

Potestas Superiorum Regularium est triplex, nempe: 1 Spiritualis; 2 Disciplinaris; 3 Oeconomica. Vi potestatis spiritualis possunt sibi reservare casus, quos Clemens VIII ad undecim restrinxit. In Ordine S. Francisci sequentes sunt reservati: 1 Veneficia, incantationes et sortilegia. 2 Apostasia a Religione. 3 Nocturna, ac furtiva a Conventu egressio. 4 Proprietas contra votum paupertatis. 5 Lapsus carnis voluntarius, opere consumatus. 6 Occisio, aut gravis vulneratio. 7 Malitiosa retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores. 8 Juramentum falsum in judicio. 9 Procuratio abortus, etiam effectu non secuto. 10 Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii. 11 Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. Item possunt subditos a casibus reservatis absolvere per se, vel per alios Sacerdotes Ordinis, ac etiam extraneos, ab Episcopo tamen ad excipiendas confessiones approbatos, et censuras ecclesiasticas ipsis infligere. - Vi potestatis disciplinaris, quae paternae, seu herili haud absimilis est, praecipere possunt quaecumque ad disciplinam, ordinem, et aequalitatem necessaria judicaverint, modo legibus naturalibus, positivis divinis, et regulae non adversentur. Vi tandem potestatis oeconomicae bona, et proventus monasteriorum administrant. Ambitus hujus ternae potestatis ex constitutionibus Sedis Apostolicae, et Ordinis desumendus est. Quae Ordinem universum respiciunt, curae et sollicitudini Ministri Generalis commissa sunt. Quae ad

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 6. de Regularib. Vide Sambucianas Constitutiones cap. 8.

totam religiosam provinciam spectant, a potestate Ministri provincialis pendent. Quae intuitu singulorum monasteriorum ordinanda, vel dispensanda sunt, ad sphaeram Superioris localis pertinent.

### §. 45. *Officia Superiorum Regularium.*

Officia Superiorum Regularium, quae per statuta cujusvis Ordinis determinantur, eo collimant, ut concessa sibi potestate in Ordinis, Provinciae, et Coenobii vel claustri bonum utantur. Generatim obligantur caeteris Fratribus bono exemplo praeire, disciplinam regularem, et introductum ordinem severe manutenere, collapsam disciplinam sincere, et fideliter restaurare, bona conservare, sumptus in sua ipsorum commoda non facere, et cum solum administratores subjectorum sibi coenobiorum et claustrorum sint, in nulla re gravioris momenti quidquam decernere, antequam piissimos, et prudentissimos Ordinis fratres praevie in consilium vocarint, ut contra omnem male sentientium per propriam conscientiam, et aliorum testimonium in quovis casu se tueri possint. Quare semper, quantum fieri potest, in propriis monasteriis commorentur.

### §. 46. *Moniales.*

De Monialibus speciatim sequentia notanda veniunt: 1 Earum monasteria nonnisi in civitatibus, aut populosis oppidis sunt erigenda, et in iisdem severa clausura introducenda. Monialibus post emissam solemnem professionem non possunt amplius e Monasterio egredi, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda. Nec licet cuipiam cujuscumque generis, conditionis, sexus, et aetatis, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, earum monasteria ingredi. 2 Candidatae ante habitus regularis susceptionem, et novitiae ante professionem, cujus tempus praefecta monasterii Episcopo sub poena suspensionis uno mense prius significare tenetur, ab hoc vel ejus Vicario examinandae sunt, utrum veram habeant vocationem ad statum religiosum, sciant quid agant, libere consilium capiant habitum religiosum suscipiendi, vel regulam profitendi, et requisitis qualitatibus gaudeant. 3 Nulla Superior duobus claustris praesse potest. Monialis eligenda in Superiorem 40 annorum sit oportet, et octo annis post professionem in monasterio laudabiliter vixerit: si vero talis in claustro non inveniatur, ex alio ejusdem Ordinis assu-

menda est; aut si hoc commode fieri nequit, alia ex eodem monasterio, non tamen minor triginta annis, et ante quinque annos professa cum Episcopi consensu eligatur. 4 Electio perfecta est, si electa duas tertias partes votorum nacta est; si adsit pluralitas tantum votorum, ceteris liberum est accedere ad complendas duas tertias. Si etiam per accessum duae tertiae partes votorum obtineri nequeunt, facta per majoritatem votorum electio confirmari potest, nisi notabiles contra eam exceptiones fiant, quas Episcopus semper ante confirmationem ex officio audire debet. Si tantum media pars, vel adhuc minor votorum numerus alicui personao faveat, scrutinium repetendum est. 5 Sacramentorum dispensandorum, verbi divini annunciandi, et functionum sacrarum peragendarum causa Moniales proprios habent Confessarios, qui speciali indigent approbatione Episcopi. Praeter ordinarium bis, tervo in anno dandus est ipsis ab Episcopo extraordinarius, qui omnium confessiones audire debeat (1).

§. 47. *Modi egrediendi ex Ordine religioso.*

Triplex datur modus ex Ordine religioso egrediendi, et quidem: 1 *Declaratione nullitatis professionis religiosae*; si nempe putativus religiosus probare potest, in sua professiono quidpiam eorum defuisse, quae ad ejus valorem essentialem requiruntur ( §. 39. ). Ex praescripto Concilii Tridentini, qui professionem suam invalidare intendit, intra quinque a dio factae professionis annos reclamare debet coram suo Superiore, et Episcopo dioecesano, retento habitu religioso, manendoque in monasterio; quinquennio vero elapso amplius non auditur. Qui habitum religiosum exuit, et sine Superioris licentia claustrum deserit, non solum jus reclamandi amittit, verum etiam ad monasterium reduci, et tanquam apostata puniri debet, excepto casu perpetui impedimenti e. g. si mas in claustro faeminarum professionem emisisset. 2 *Dispensatione*, seu *saecularizatione*, quae ex caussis gravioribus ab auctoritate ecclesiastica conceditur quidem, attamen modo limitato, id est, ut dispensatus habeat licentiam extra Claustrum vivendi, vestes saeculares ferendi, haereditates capiendi, et testandi, manente porro obligatione pro parte virili vota servandi. Qui dispensationem, seu saecularizationem petit, preces suas gravioribus causis nixas vel immediate, vel mediante Episcopo Sanctae Sedi Apostolicae porrigere debet. 3 Deni-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 5. cap. 17. cap. 7. Cap. 43. de elect. in 6. et cap. 14. ibid. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 10.

que *transitu* ab uno Ordine in alium, qui a laxiori ad strictiorem est ipso jure communi permissus. Pro transitu vero ad aequalem, et multo magis ad laxiorem necessaria est dispensatio. Si Religiosus dispensatus transit ad Ordinem, cujus membra secundum jus commune ecclesiasticum a saecularibus beneficiis non sunt exclusa, v. g. ad Ordinem Canonicorum Regularium, beneficia saecularia obtinere nequit (1).

### §. 48. *Poenae pro Religiosis incorrigibilibus, fugitivis, et apostatis statutae.*

Olim Religiosi incorrigibiles, tanquam membra putrida, ex Ordine ejiciebantur, ne alios inficerent, et quietem monasteriorum turbarent; sed Summus Pontifex Gregorius IX statuit, ut tales in carcere inclusi, et a consortio fratrum segregati ad poenitentiam agendam adstringantur. Religiosi, qui inscio Superiore claustrum deserunt, ut obedientiae se subtrahant, et animum habent, redeundi, *fugitivi*; qui vero post fugam animum redeundi deponunt, *apostatae* vocantur. Utrique conquirendi sunt, et ad redeundum cogendi. Apostatae juxta canones Ecclesiae carceri sunt mancipandi, et tenuis victus ipsis praebendus, donec emendentur (2).

### §. 49. *Cura animarum.*

Religiosi non sibi solis, sed etiam aliis vivere debent. Sanc Fundatores Ordinum Religiosorum ad propriam, et aliorum salutem animum intenderunt; et hunc in finem Ecclesia statuit, ut Monachi habiles sacros ordines suscipiant. Igitur tenentur non solum rerum divinarum contemplationi, orationi, litteris et scientiis vacare, verum etiam bonum spirituale Ecclesiae promovere. Juxta praescriptum Concilii Tridentini in Monasteriis sive virorum, sive mulierum, in quibus praeter personas, quae sunt de illorum Monasteriorum familia, si cura animarum etiam personarum saecularium Religiosis commissa est, hi non minus quam saeculares in iis, quae immediate ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, subsunt jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sita sunt monasteria. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputari possunt, nisi de Episcopi consensu, ac praevio examine, per eum aut ejus Vicarium faciendo, exceptis Monasteriis, in quibus Abbates,

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 19. Concil. Trid. Sess. 14. c. 11. cap. 1. de Regular. inter extrav. com. (2) Cap. fin. de Regular. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 19. de Regular. Cap. 5. de apost. Cap. fin. de Regular. cap. 10. de maj. et obed.

Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis, ubi Regularium Superiores jurisdictione episcopali gaudent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas jurisdictionem exercent (1).

## CAPUT II.

### DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SENSU STRICTISSIMO SEU DE OFFICIIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

### §. 50. *Divisio capitis.*

Juxta ordinem a nobis adoptatum in pertractando jure ecclesiastico privato prius disputavimus do personis ecclesiasticis in sensu stricto, idest de Clericis tam saecularibus, quam regularibus; nunc disserendum est de personis ecclesiasticis in sensu strictissimo, quarum nomine veniunt illi Clerici, qui officiis ecclesiasticis funguntur, et beneficia ecclesiastica possident. Igitur agendum hoc capite: 1 de officiis, et beneficiis ecclesiasticis; 2 de erectione, et innovatione beneficiorum; 3 de modis, quibus beneficia ecclesiastica vacant; 4 de modis perveniendi ad beneficia majora, et media; 5 de modis obtinendi beneficia minora.

## ARTICULUS I.

### DE OFFICIIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

### §. 51. *Notio, et divisio officii ecclesiastici.*

Officium ecclesiasticum est status, in quo Clericus certa Ecclesiae negotia, certasque functiones sacras peragere perfecte obligatur; quae perfecta obligatio ad essentiam officii ecclesiastici pertinet, alias enim non esset officium, si talium negotiorum, et functionum exercitium ab arbitrio Clerici penderet. Officium ecclesiasticum diversimode dividitur, et inprimis quidem in *commune* et *speciale*; officium ecclesiasticum commune illud est, quod ad omnes clericos spectat, v. g. officium horas canonicas recitandi, vestem clericalem ferendi, coelibatum servandi etc; speciale, quod quibusdam tantum Clericis proprium est, et consistit in hierarchicis Ordinis, et jurisdictionis functionibus. Officium ecclesiasticum speciale subdividitur in *sacrum* et *ecclesiasticum stricte tale;* sacrum ad functiones Ordinis, et forum internum, stricte ecclesiasticum ad jurisdictio-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 11.

nem externam refertur. Officium sacrum porro dispescitur in *curatum*, cui cura animarum adnexa est, et *non curatum* seu *simplex*, a quo cura animarum abest, et versatur in exercitio functionum sacrarum sine jurisdictione interna. Denique stricte ecclesiasticum partitur in *majus* et *medium*. Majus officium est illud Episcoporum; medium illud Praelatorum non Episcoporum.

## §. 52. *Officia Clericorum beneficia ecclesiastica possidentium.*

Clerici, qui de beneficiis ecclesiasticis providentur, specialia quaedam officia implere tenentur, et quidem: 1 Promoti, seu electi ad Episcopatum, vel dignitatem illo majorem, antequam inquisitionis factae instrumentum ad sanctam Sedem apostolicam mittatur, juxta praescriptum Concilii Tridentini, obligantur fidei professionem emittere. 2 Patriarchae, Primates nationum, Archiepiscopi, et Episcopi debent insuper in prima Synodo provinciali, cui ipsi interfuerint, omnia et singula a Synodo Tridentina definita, et statuta recipere, obedientiam Summo Pontifici spondere, et profiteri, nec non haereses a sacris canonibus, et generalibus Conciliis damnatas, publice detestari, et anathematizare. 3 Provisi de canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus tenentur non solum coram Episcopo, vel ejus Officiali, sed etiam in Capitulo suae fidei orthodoxae publicam facere professionem; alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. 4 Possidentes qualecumque beneficium curatum obligantur ad minus intra duos menses a die adeptae possessionis in manibus ipsius Episcopi, aut, eo impedito, coram generali ejus Vicario seu officiali fidei professionem emittere secundum formulam a Papa Pio IV ex mente Concilii Tridentini praescriptam. 5 Tenentur diligenter, et cum zelo fungi omnibus officiis beneficio adnexis, et quidem per se, non autem per substitutum Vicarium; quod mercenariorum est. 6 Quum vero officia beneficio adnexa plerumque expleri nisi a Clericis in loco beneficii residentibus nequeant; indubium est, eos jure obstrictos quoque esse ad *residentiam*, cujus nomine intelligitur assidua, seu moraliter continua in loco beneficii commoratio, servitii, seu officii personaliter praestandi causa. Episcopi residendi legem transgressi praeter reatum peccati mortalis cum pro rata temporis absentiae fructus suos facere non possint, eos fabricae Ecclesiae, aut pauperibus loci adplicare debent; et si moniti non se emendent, Summo Pontifici sunt denuntiandi. Canonicorum unusquisque primo anno privatur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praeben-

dae, ac residentiae fecit suos; iterato negligens amittit omnes fructus, quos eodem anno lucratus est; crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedendum. Parochi, et Curati eidem poenae cum Episcopis subjacent, et per eam non emendati censuris, subtractione fructuum, aliisque juris remediis usque ad privationem ad residendum compellendi sunt. Episcopis licet abesse ex causa a Romano Pontifice, aut Metropolita, vel hoc absente, ab antiquiori Episcopo suffraganeo cognoscenda, et in scriptis approbanda. Caussae a Concilio Tridentino expressae sunt *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens vel Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas.* Curati inferiores non audeant discedere a loco beneficii, nisi habeant causam ab Episcopo cognitam et probatam, ac Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant (1).

### §. 53. *Beneficii ecclesiastici notio.*

Propter officia ecclesiastica dantur beneficia. Qui enim officio sacro fungitur, jure a fidelibus honestam vitae suae sustentationem exigit, atque recipit, quia in eorum commodum omnem suam operam muneri sacro consecrare debet ita, ut aliis modis sibi de sustentatione vitae prospicere nequeat. Hoc luculenter patet ex Scriptura sacra Veteris, et Novi Foederis. In Veteri Foedere Tribus Levi nullam quidem terrae partem accepit; attamen Levitae alios certos, et fixos reditus habuerunt, unde viverent. In novo Foedere Christus dixit: « Dignus est operarius cibo suo ». Unde etiam apostolus Paulus pluribus argumentis probat idem jus sibi competere, ac tandem concludit: « Nescitis quoniam qui in » sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui al- » tari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus or- » dinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vi- » vere ». Igitur est extra omne dubium, cuilibet Clerico munus sacrum obeunti jus competere ad beneficium ecclesiasticum. *Beneficium ecclesiasticum autem ex hodierna disciplina est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum auctoritate ecclesiastica constitutum* (2).

(1) Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. Sess. 23. c. 2. de ref. Sess. 6. cap. 1. Sess. 23. cap. 1. Sess. 24. cap. 12 de cler. ref. Sess. 23. cap. 1.
(2) Matth. 10, 10. I. Cor. 9, 7. 14.

### §. 54. *Essentialia beneficii ecclesiastici requisita.*

Ex notione beneficii ecclesiastici fluunt essentialia requisita. Quum enim beneficium ecclesiasticum ex hodierna disciplina sit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum auctoritate ecclesiastica constitutum, consequitur ad beneficium ecclesiasticum essentialiter requiri: 1 *Jus perpetuum percipiendi proventus beneficii;* unde sic dicta beneficia manualia, seu ad nutum collatoris dimittenda, capellania, seu onus legendi missas fundatas in certa Ecclesia, vel altari, presbytero cuidam modo precario impositum, vicariatus temporalis, seu administratio vacantis, vel impediti beneficii, donec ejus titulus alteri concedatur, non sunt veri nominis beneficia ecclesiastica. 2 *Officium sacrum;* quare laici, qui nullo officio sacro fungi possunt, beneficii ecclesiastici capaces non sunt; neque veri beneficii rationem habet jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ob ministerium profanum v. g. cautoris, organaedi, aeditui, advocati etc. 3 *Bona ecclesiastica,* vel *fundati proventus,* ex quibus permanenter adplicatus Sacerdos, vitae totius tempore sustentationem capiat. Si Clerico cuidam etiam constanter in officio sacro constitutus fortuiti solum proventus, v. g. currentia missarnm stipendia assignarentur, non esset beneficium ecclesiasticum. 4 *Tandem auctoritas Ecclesiae* , quae officium sacrum constituat, et fundationem proventuum pro sustentatione Sacerdotis destinatorum acceptet; hinc si potens quidam Dynasta assumeret capellanum, ut in capella castri festis et dominicis diebus missam legeret, et ei sustentationem totius vitae tempore duraturam promitteret sine interventione potestatis ecclesiasticae, non esset beneficium.

### §. 55. *Origo beneficiorum.*

Ad probe intelligendam beneficiorum originem, opus est notare disciplinae mutationem. Clerici ceu Religionis ministri semper jus habebant ad honestam sustentationem; ast modus Clericos sustentandi diversis temporibus fuit diversus. Primis tribus Ecclesiae saeculis sacri ministri alebantur ex spontaneis fidelium oblationibus, prout patet ex Historia Ecclesiastica. Saeculo IV, concessa a Constantino Magno christianis pace et libertate, Ecclesia Jesu Christi fundis, bonis, ac possessionibus aucta fuit, quarum proventus ad alendos Clericos aliasque Ecclesiae necessitates Episcopi impendebant. Saeculo

V in Ecclesia latina reditus ecclesiastici in quatuor partes, non tamen aequales dividebantur, quarum prima, et major Episcopo, quem oportebat esse hospitalem; altera toti simul Clero; tertia fabricae Ecclesiarum; quarta pauperibus addicebatur. Saeculo VI cum et Episcopis administratio bonorum remotiorum gravis esset, et Clericis procul ab Ecclesia Cathedrali constitutis molestum accideret proventus ecclesiasticos ad Episcopum deferre, et ab eo suas portiones arcessere, ruralibus praecipuo presbyteris jus concessum est percipiendi fructus fundorum, et praediorum ecclesiasticorum in cujuscumque presbyteri districtu sitorum, ita tamen, ut post eorum obitum non necessario ad successores devolveretur, sed ad liberam Episcopi dispositionem rediret. Tandem sensim proventus bonorum ecclesiasticorum citra novam Episcopi concessionem Clericis ruralibus officia sacra obeuntibus relicti, et cum ipsis Ecclesiarum titulis connexi sunt; unde Rector Ecclesiae ruralis nactus est jus perpetuum percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum intra limites suae parochiae sitorum ita, ut non esset amplius in Episcopi potestate cum sine canonica causa jure illo privare. Atque sic exorta sunt beneficia parochialia. Nomen beneficii desumptum est a bonis feudalibus. Prout nempe Domini directi vasallis sub obligatione servitiorum militarium usumfructum immobilium bonorum et jurium utilium concedebant, et beneficium militare dicebatur: ita etiam ususfructus bonorum ecclesiasticorum Clericis officia sacra obituris pro eorum sustentatione concessus, beneficii ecclesiastici nomine fuit insignitus. Fideles enim, qui Ecclesiis bona temporalia donabant, eam habuerunt intentionem, ut ministri Religionis inde alerentur; quare Episcopus illa bona non poterat ad aliam Ecclesiam applicare (1).

## §. 56. *Divisio beneficiorum.*

Beneficia ecclesiastica dividuntur: 1 *In simplicia*, et *duplicia*, seu *curata*; simplex beneficium illud est, cui cura animarum adnexa non est; duplex seu curatum quod obligationem ad curam animarum, et jurisdictionem ecclesiasticam pro foro externo, vel interno adnexam habet. 2 In *majora, media*, et *minora*. Majus beneficium dicitur illud, cui jurisdictio ecclesiastica propria, et pro foro externo adnexa est, v. g. Epi-

(1) Thomassin. P. III. l. 2. c. 12. et seqq. Van Espen Jur. Eccl. Univ. P. II. tit. 18. c. 1. item c. 61. p. 1. Thomas Dolliner Diss. de Jure Pers. Eccl. p. 153.

scopatus. Medium occupat locum inter majus, et minus, quale habent Praelati non Episcopi, qui aliqua externa jurisdictione pollent. Minus illud est, cui jurisdictio externa non adhaeret, uti est parochia. 3 In *electiva*, queis per plurium electorum suffragia, et Superioris confirmationem providetur, *collativa*, quae Episcopus pro arbitrio confert, et *patronata*, ad quae patronis jus praesentandi competit. 4 In *saecularia*, quibus Clerici saeculares, et *regularia*, queis regulares praeficiendi sunt. Secundum jus commune ecclesiasticum per modum exceptionis ab hac regula, Regulares ad Episcopatum promoti, et Canonicis Regularibus, nisi ex alio Ordine ad eos transierint, beneficia saecularia curata conferri possunt. Ordinaria omnia beneficia ecclesiastica pro saecularibus habenda sunt, nisi natura sua, ex. g. Abbatia Regularibus tantum competere noscatur, vel aliis argumentis ostendatur beneficium pro Regularibus esse fundatum, aut monasterio legitime incorporatum, aut denique 40 annorum praescriptione bona fide, et justo titulo obtentum. In dubio, potius saeculare, quam regulare praesumitur, quia in origine beneficia pro clericis saecularibus fuerunt fundata, et quia hi frequentius ad ea solent deputari. 5 In *compatibilia*, et *incompatibilia;* compatibilia sunt, quae nec natura, nec lege repugnante ab uno eodemque retineri possunt, v. g. beneficium curatum, et simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat; incompatibilia vero illa dicuntur, quorum unum vel ob rei naturam, vel ob legis dispositionem ab altero excluditur. Beneficia natura incompatibilia sunt, quae exigunt *simultaneam residentiam*, vel eodem tempore *ministerium sacrum*, ex. g. duo beneficia curata in diversis locis. Lege incompatibilia sunt ea, quae sensim spectata ad congruam sustentationem Clerici sufficiunt, esto utriusque oneribus posset satisfieri. De lege incompatibilia, alia sunt primi, alia secundi generis. Primi generis appellantur ea, quae inter se ita pugnant, ut ipso jure, quin judicis sententia expectetur, primum beneficium amittatur, dum ad aliud transitur, v. g. duo beneficia curata, duae dignitates, duo personatus in uno loco. Secundi generis sunt, quorum possessor ipso jure non amittit primum, sed tantum per judicis sententiam, unde etiam incompatibilia quoad *retentionem* dici solent, v. g. Canonicatus, et dignitas in diversis Ecclesiis. Illi, qui plures parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, et aliam parochialem obtinent, una tantum parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium debent dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia, quae obtinent, vacare censeantur, ac tanquam vacantia aliis idoneis libe-

re conferantur. Generatim quicumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica quocumque nomine, et titulo recipere, et retinere praesumit, beneficiis ipsis ipso jure privatur (1).

## ARTICULUS II.

### DE ERECTIONE, ET INNOVATIONE BENEFICIORUM.

### §. 57. *Erectio beneficii ecclesiastici.*

Beneficium ecclesiasticum erigitur, si officium sacrum in Ecclesia quapiam auctoritate ecclesiastica instituitur cum assignatione stabili, et sufficienter assecurata annuorum proventuum pro perpetua officiatoris sustentatione. Adeoque, ut erectio beneficii sit legitima requiritur: 1 Determinatio sacri ministerii in aliqua Ecclesia obeundi. 2 Assignatio dotis sufficientis pro congrua sustentatione Clerici officium sacrum obituri. 3 Praecautio, ne per erectionem beneficii jura tertii laedantur. 4 Auctoritas ecclesiastica, cujus est examinare litteras fundationis, videre an officium sacrum reipsa bono Ecclesiae, praescripto ordini circa cultum externum, et animarum curam conveniat, an assignata dos sit sufficiens, et satis assecurata, et utrum illi, quorum interest, quive eapropter audiendi sunt, nullam justam exceptionem contra beneficii erectionem obmovere possint (2).

### §. 58. *Modi innovandi beneficia ecclesiastica.*

Si beneficium ecclesiasticum fundatur, et a legitima auctoritate confirmatur, tunc conditiones in litteris fundationis appositae, et approbatae sancte sunt servandae, quia species sunt solemniter initorum contractuum, vel acceptatorum legatorum quae sub modo relicta fuere; unde ortum est illud Juris Communis adagium: *Beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*. Generatim loquendo omnis erectorum beneficiorum innovatio illicita est, quia primaevam fundatorum intentionem evertit, et cultum divinum minuit. Si tamen adsunt justae causae, tales scilicet, quas si ipse fundator audiret, solus in beneficii mutationem consentiret, tunc publica auctoritate, au-

(1) Concil. Trid. Sess. 22. cap. 2. Sess. 14. cap. 11. C. 1. de praem. in 6. Sess. 24. cap. 17. Sess. 7. cap. 4. (2) C. 6. c. 8. de consecr. Eccl. can. 9. dist. 1. de consecr. can. 44. caus. 16. q. 1. cap. 3. de Eccl. aedif. c. 36. de praeb.

ditisque iis, quorum id interest, beneficia immutari possunt. Modi autem praecipui, quibus beneficia ecclesiastica innovantur snnt: 1 Unio; 2 Incorporatio; 3 Divisio; 4 Diminutio; 5 Dismembratio; 6 Retentio; 7 Suppressio (1).

### §. 59. *Unio beneficiorum.*

Unio beneficiorum est innovatio, qua ex duobus, vel pluribus beneficiis unum efficitur sub uno rectore, estque *personalis*, et *temporalis*, cum fit in favorem alicujus personae ad tempus vitae, vel *realis, et perpetua,* quando fit in perpetuum pro bono rei, seu Ecclesiae. Unio realis, et perpetua tripliciter fieri potest, nimirum, 1 *per aequalitatem*, cum status unitorum beneficiorum integer manet, retentis antiquis nominibns adeoque nulla alia evonit mutatio, nisi ut unum eundemque habeant Pastorem; 2 *per subjectionem*, vel *accessionem*, si una Ecclesia privatur suo pastore, et ceu filialis alteri ita subjiciatur, ut Ecclesiam, cui subjicitnr, tanquam matrem agnoscere teneatur; 3 *per confusionem*, cum duo beneficia penitus cessant, et in unum beneficium ita confunduntur, ut novum emergat beneficium, quod ex juribus, et obligationibus priorum componitur. Unio per aequalitatem canonibus est minus odiosa, proin in dubio praesnmenda. Unio personalis beneficiorum, quae eorum pluralitatem tegit, a Concilio Tridentino est damnata, et severissime prohibita. Realis sub sequentibus tantum conditionibus locum habere potest: 1 Ut adsit causa gravis, v. g. panpertas alterutrius Ecclesiae, vicinia locorum, penuria Sacerdotum: vel si reditus necessarii sint ad adolescentes in Seminario alendos, aut alias ad Dei cultum sustinendnm. Major autem causa requiritur pro unione beneficiorum curatorum, quam simplicium: imo beneficia in diversis dioecesibus sita, curata cum simplicibus, saecularia cum regularibus, collativa cum patronatis uniri vetantur. 2 Ut praescriptae serventur solemnitates, quae consistunt in diligenti causae cognitione, in consensu Capituli, et audiendis iis, quorum interest, quales sunt rectores, patroni, et advocati Ecclesiarum uniendarum. 3 Ut interveniat Ordinarii anctoritas in beneficiis parochialibus, et Romani Pontificis in Episcopatibus, et beneficiis exemptis (2).

(1) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 5. de ref. cap. unic. ut eccl. benef. sine dim. conf. eap. 8. de praeb. (2) Cap. 33. de praeb. Concil. Trid. Sess. 1. eap. 6 Sess. 21. eap. 5. Sess. 24. cap. 13. de ref. cap. 8. et 9. de his, quae fiunt a Praelatis Conc Trid. Sess. 7. cap. 6. Sess. eap. 11. 13. de ref. Sess. 21. cap. 5. de ref. Sess. 24. cap. 51. eap. 20 de jure patronat. Sess. 14. cap. 9. de ref. Sess. 24. cap. 13. de ref. c. 15. de ref. Sess. 25. cap. 9. de ref.

## §. 60. *Incorporatio beneficiorum.*

Incorporatio est actus, quo beneficium cuidam corpori morali, v. g. Monasterio, Capitulo, Universitati etc. in perpetuum unitur. Tres autem dantur incorporationis species: 1 Si beneficium quoad jus patronatns Corpori cuidam traditur, eidem nullum aliud jus competit, quam jus Clericum idoneum praesentandi; 2 Si incorporatur quoad temporalia, tunc Corpus, praeter jus patronatus, gaudet etiam jure percipiendi fructus beneficii. 3 Denique si incorporatur pleno jure, idest non tantum quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia, ita ut Collegium, vel dignitarius rector principalis, parochus primitivus appelletur. Qnia vero ipse ministerio sacro non fungitur, tenetur constituere Vicarium, et eidem congruam portionem proventuum pro sua decenti sustentatione ex arbitrio Episcopi adsignare. Vicarius potest esse vel *perpetuus*, vel *temporalis*. Prior obtinet si vi instrumenti incorporationis ex clero saeculari constituendus est; si vero Monasterium ex suis Regularibus quemdam praeficiendi jus habet, Vicarius temporalis erit, qui utpote voto obedientiae suo Praelato obstrictus ex causis etiam levioribus amoveri potest (1).

## §. 61. *Variae Vicariorum species.*

Vicarii parochiales dicuntur, qui parochorum vices gerunt, suntque vel *perpetui*, vel *temporales*. Vicarii perpetui appellantur ii, qui ab Episcopo ad dies vitae canonice instituuntur, ut paraeciam nomine alterius, qui tum, licet improprie, rector principalis, seu pastor primitivus vocari solet, administrant. Temporales sunt, qui ad certum aut indefinitum tempus ad administrandam parochiam nomine alterius destinantur. Vicarii perpetui eandem habent jurisdictionem ordinariam, quae ipsis parochis competit, a rectore principali prorsus independentem, cui nulla ratione licet in officium sacrum Vicario impositum sese immiscere: temporales vero habent potestatem delegatam, et subsunt parocho ita, ut, si velit, ipsemet in Ecclesia vicariali functiones sacras peragere possit. Vicarii perpetui habent jus perpetuum percipiendi fructus beneficii sibi assignatos, et sine causa canonica a beneficio amoveri nequeunt: temporalibus est portio congrua pro honesta sustentatione a parochis concessa, et sunt amovibiles etiam sine causa. Vicarii perpetui sunt: 1 Clerici instituti in ejusmodi Ecclesiis, quae olim erant filiales, sed postmodum a ma-

(1) Conc. Trid. Sess. 7. cap. 7. de ref.

tre Ecclesia legitime avulsae, ad parochialis Ecclesiae gradum elevatae fuere, retento Vicariatus nomine ad memoriam separationis conservandam; 2 Clerici saeculares, qui tenent parochiam Monasterio, aut alteri Collegio incorporatam. Hi in exercitio suae jurisdictionis internae, et administratione bonorum aliis parochis omnino aequales sunt, id est in cura animarum a parocho primitivo independentes. Vicariis temporalibus adnumerantur: *a)* Vicarii ad universitatem causarum delegati, qui a Capellanis parochialibus, seu Cooperatoribus in eo differunt, quod illi possint omnia peragere, quae potest ille, cujus vices agunt, proinde et alium subdelegare, hi vero sint tantum coadjutores parochi, qui ipsemet officio sacro fungitur; hinc sine parochi consensu alium subdelegare nequeunt; *b)* Vicarii, qui parochos non residentes, vel diutius absentes supplent, et ab iisdem potestate instructi, quae in detrimentum officii sacri restringi nequit; *c)* Provisores, seu Administratores parochiales ob mortem, vel inhabilitatem sive physicam, sive moralem parochi ab Episcopo constituti ad munus parochiale obeundum; *d)* Regulares in parochiis Monasterio incorporatis expositi, qui quamvis quod ad animarum curam a Praelato Regulari haud dependeant, nihilominus ab eo cum Episcopi consensu amoveri possunt; *e)* denique Vicarii, qui in Ecclesiis filialibus ab Ecclesia matre nondum avulsis pro populo ecclesiae filiali adscripto curam animarum exercent, sive *Vicarii proprie tales*, siquidem ipsis functiones parochiales omnes sine exceptione commissae fuerint, sive *Capellani expositi*, quisbusdam functionibus ipsi parocho reservatis nomen gerant. Discrimen inter Vicarios proprie tales, et Cooperatores in eo consistit, quod illis liceat alium praesbyterum ad assistendum matrimonio parochiani delegare, his vero sit interdictum.

## §. 62. *Divisio beneficiorum.*

Divisio beneficiorum accidit, cum ex uno duo, vel plura beneficia oriuntur. Requisita ad divisionem beneficiorum sunt eadem, quae jam superius circa unionem explanavimus, nimirum *causa gravis*, *observatio praescriptarum solemnitatum*, *et auctoritas Ecclesiae* (§. 58.). Causa gravis et canonica esset magna locorum distantia, viarum difficultas, et increscens populi moltitudo in aliqua parochia, licet Synodus Tridentina, in casu ultimo tantum assumptionem plurium cooperatorum parocho injungat. Eadem Synodus declarat posse Episcopum parochias dividentem, prout aequum judicaverit, certam fructuum portionem Ecclesiae matri subtrahere, et novae attri-

buere. In tali casu canones praecipiunt, ut Ecclesiae matrici debitus servetur honos, ejusque Rectori jus praesentandi competat. Inde factum est, ut parocho Ecclesiae matricis nonnullae praerogativae intuitu parochiae recens erectae reservarentur, v. g. praecedentia in Ecclesia, jus advocatiae, jus constituendi edituum, jus postulandi, ut rector novae Ecclesiae certis anni temporibus ad Ecclesiam matricem veniat etc. Episcopatuum, et beneficiorum exemptorum summo Pontifici, reliquorum vero in quavis dioecesi Episcopo divisio competit. Ceterum beneficiorum divisio, inprimis si curata, et ampliora sint, animarum saluti proficua, atque ideo non odiosa, sed favorabilis exoptanda videtur (1).

### §. 63. *Diminutio beneficiorum.*

Diminutio beneficii est novi oneris impositio. Onus vel *officio*, vel *beneficio* imponitur; si officio *personale*, quia persona fungitur officio, si beneficio *reale* dicitur. Omne onus reale vocatur *census*, et quidem si in ipsa beneficii fundatione fuit impositus, *census antiquus*, si tardius *novus* appellatur: si vero indigenti clerico, vel laico in sustentationem aliquid a beneficio dandum decernitur, *pensio ecclesiastica* nominatur. Canonistae impositionem oneris personalis *reformationem beneficii*, realis autem *diminutionem* appellare solent. Circa beneficiorum diminutionem sequentia notanda sunt: 1 Onera personalia, seu nova officia, exigente Ecclesiae utilitate, ad arbitrium Episcopi beneficiariis imponi possunt. 2 Onus quoque reale in ipsa fundatione beneficio imponi potest tam a fundatore, quam ab Episcopo. 3 Collatores beneficiorum vel speciali privilegio, vel praescriptione, aut alio justo titulo possunt acquirere jus percipiendi aliquid ex fructibus primi anni. Huc spectant pecuniae, quas nonnulli patroni a praesentatis pro capienda possessione beneficii exigere solent, inde *possessionales* dictae. 4 Impositio novi census, seu sic dicta diminutio beneficii adversatur canonibus, neque aliter, nisi exigente speciali necessitate, et vocatis in consilium iis, quorum interest, locum habere potest. 5 Quod ad pensiones attinet, ad cohibendum abusum Concilium Tridentinum statuit, ut Cathedrales Ecclesiae, quarum reditus annui mille, parochiales, et dignitates, quarum proventus centum aureos non excedunt, pensionibus non graventur. Tituli pro pensionibus a quibusdam assignati, nempe *pacis*, *resignationis*, *permutationis*, justi non

(1) Concil. Trid. Sess. 21. cap. 4. de ref. cap. 3 de Eccl. aedif. Arg. can. 50. et 63. caus. 16. q. 1. Cap. 3. de Eccl. aedif. Cap. 11. de major. et obed. cap. 2. de capel. monach., Schenkel P. II. art. 9. §. 592. pag. 277.

sunt; nam de re sacra, et religiosa nisi gratis transigi non potest propter speciem simoniae (1).

## §. 64. *Dismembratio beneficiorum.*

Species diminutionis est beneficii dismembratio, per quam beneficio opulentiori pars proventuum detrahitur, et alteri tenuiori in perpetuum adjicitur, manenti ceteroquin utriusque beneficii statu primaevo. Ordinarie dismembratio est illicita, et ut fiat licita omnes solemnitates sunt observandae, quae ad innovationem beneficiorum requiruntur. Justa causa dismembrationis adest, cum unum beneficium superfluis gaudet proventibus, aliud vero congruam Clerico sustentationem non suppeditat, potissimum si posteriori alio modo prospici nequeat (2).

## §. 65. *Retentio beneficiorum.*

Retentio est proventuum vacantis beneficii in alium, ad quem ordinarie destinati sunt, usum conversio. Justa canones Ecclesiae fructus intercalares in utilitatem beneficiorum convertendi, vel pro successore servandi sunt. Nihilominus possunt destinari vel ad debita Ecclesiae solvenda, vel ad ecclesiastica aedificia restauranda, vel ad pauperes sustentandos. Cum necessitas urget, aut alia legitima causa adest reditus vacantis beneficii in alios pios usus impendendi, licet etiam collationem beneficii ad aliquod tempus differre. Fructus intercalares beneficiorum Monasterio, vel Collegio incorporatorum cedunt Monasterio vel Collegio. In Austria proventus vacantium Episcopatuum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum in religionis fundum inferuntur (3).

## §. 66. *Suppressio beneficiorum.*

Suppressio beneficii est actus, vi cujus beneficium totaliter extinguitur. Fundationes ad aliam Ecclesiam transferuntur, fideles alii animarum Curatori subjiciuntur, et jus patronatus evanescit. Hic modus innovandi beneficia est maxime odiosus, quia cultum divinum diminuit, et in detrimentum salutis animarum tendit; quare locum habere non potest, nisi

(1) Cap. unic. ut eccl. benef. sine dim. conf. Cap. 11. de praeb. Cap. 13. de cens. et 23 de jure patr. Cap. 9 et 10 de Offic. Ord. in 6. C. 3. 7. 10. 11 de cens. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 13. c. 7. de transact. (2) Concil. Trid. Sess. 24. c. 13. de ref. (3) C. 40 de elect. in 6. c. 9 de offic. ord. in 6 cap. 10 de rescript. in 6. c. 32 de verb. sign. Concil. Trid. Sess. 21. cap. 7. cap. un. ut benef. sine dim. conf. cap. 7. de elect. in Clem.

adsit gravis causa, et observentur praescriptae solemnitates. Causa sufficiens suppressionis beneficii est interitus communitatis fidelium, vel aliquod grave delictum, nominatim occisio beneficiarii, aut impossibilitas sustentandi Sacerdotem, qui curam animarum exercet. In ultimo casu si impossibilitas in possibilitatem mutatur, beneficium restitui debet. Si proventus Ecclesiarum Cathedralium, et insignium Collegiatarum non sufficiunt ad Canonicos decenter sustentandos, juxta praescriptum Concilii Tridentini licet Episcopis cum consensu Capituli vel beneficia simplicia, non tamen regularia, iis unire, vel, si hoc modo provideri nequit, aliquot etiam supprimere, habito patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint (1).

## ARTICULUS III.

### DE MODIS, QUIBUS BENEFICIA ECCLESIASTICA VACANT, ET PROVIDENTUR.

### §. 67. *Modi, quibus beneficia vacant.*

Beneficium ecclesiasticum vacare dicitur, cum legitimo possessore caret. Id autem accidere potest triplici modo: 1 de jure; 2 de facto; 3 de jure et facto. De jure vacat beneficium, cum quis actualem habet beneficii possessionem, quae de ipsa lege ecclesiastica nulla est, v. g. si illud obtinuit a tali persona, cui jus conferendi non competebat. Beneficium tale potest quidem conferri, quia nullius jus laeditur, attamen ad evitanda mala majora non debet; nam ipsa beneficii possessio ex praescriptione jus aliquod tribuere videtur, nisi retentio beneficii manifestae juris dispositioni adversetur, v. g. si quis vellet duo beneficia curata retinere. De facto vacat beneficium, quando legitimus possessor vi, aut metu adactus fuit ad illud deserendum. Tale beneficium conferri non potest, quia jus legitimi possessoris laederetur; et qui sciens ita vacans beneficium acceptaret, excommunicandus, et ab eodem, etiamsi legitime vacaverit, perpetuo excludendus decernitur. De jure et facto, seu proprie vacat beneficium, dum nullus adest, penes quem jus et possessio essent; quod fieri potest vel *morte naturali*, vel *privatione*, vel *translocatione*, vel *resignatione* legitimi possessoris (2).

(1) Cap. 8. 12 de constit. Can. 25. cens. 25. q. 2 de V. S. (§. 40.) cap. 9. de constit. Concil. Trid. Sess. 21. cap. 7. Sess. 24. cap. 15. de ref.

(2) C.28. de praeb. in 6. c. 1. 2. 7. de conced. praeb.

## §. 68. *Resignatio beneficii.*

Beneficium de jure, et facto vacat si legitimus possessor fatis cedit, vel ob delictum per judicis sententiam privatur, vel si ad aliud beneficium a Superiore ecclesiastico transfertur, vel tandem si sponte in manus Superioris beneficium resignat, et ejus resignatio a Superiore acceptatur. Igitur resignatio est voluntaria beneficii abdicatio ex causa legitima facta coram Superiore, et ab eodem acceptata. Resignatio dividitur in *expressam* et *tacitam*; expressa, quae fit scripto, vel verbis expressis; tacita, quae deducitur ex tali facto beneficiarii, quod vel sua natura, vel ex legis dispositione resignationem in se continet, v. g. si Clericus grave crimen committat et fugam capiat, vel si uxorem ducat, vel professionem religiosam emittat, aut a fide orthodoxa deficiat, aut ad pacificam alterius beneficii incompatibilis possessionem transeat. Resignatio expressa potest esse vel *pura*, vel *conditionata*; prior est, quae fit sine ulla conditione; posterior, si conditio aliqua adjiciatur, v. g. si beneficiarius reservat sibi pensionem. Concilium Tridentinum severe prohibet resignationes cum reservatione *accessus, ingressus, regressus*, id est, si quis beneficio vel solum *oblato*, vel jam *collato*, vel jam *possesso* renunciat ea conditione, ut suo tempore ad illud *accedere*, ad istud *ingredi*, ad hoc *regredi* possit. Resignatio cum reservatione accessus dicitur, cum cuidam jus ad beneficium competit, sed necdum habet aetatem praescriptam, et ad tempus beneficium alteri confertur ea conditione, ut illud dimittat, quamprimum ille canonicam assecutus fuerit aetatem. Resignatio cum reservatione ingressus est, cum quis habet jam titulum, sed nec dum fuit installatus, et resignat ea conditione, ut si ille, in cujus favorem resignat, prius mortuus fuerit, ei ingressus ad beneficium pateat. Tandem resignatio cum reservatione regressus vocatur, si quis resignat beneficio, quod jam actu possidet, ea conditione, ut si resignatarius prius occubuerit, ei iterum ad suum beneficium regredi liceat (1).

## §. 69. *Resignationis requisita.*

Ad legitimam resignationem requiritur: 1 Ut sit spontanea, et libera, quia secus est privatio potius, quam resignatio beneficii; hinc resignatio vi, metuque extorta a rationis impote, aut impubere sine tutoris auctoritate, vel ab alio citra voluntatem bene-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. c. 7. de ref., Schenkel Sect. I. de person. et benef. eccl. art. 8. §. 574. p. 251.

ficiarii facta est nulla : Novitio quoque, ne diminuatur libertas profitendi regulam, interdicitur resignare, nisi cum licentia Superioris duobus mensibus ante professionem, per quam primum resignatio effectum suum sortitur. 2 Ut resignans claris, et perspicuis verbis mentem suam aperiat, ne unquam aliquod dubium desuper exoriatur. 3 Ut jura tertii non violentur; quare beneficia *patronata* sine consensu patroni, *electiva*, aut *unita* Ecclesiae, sine consensu Capituli, et Ecclesiae, et *ea*, ad quorum titulum quis est ordinatus, nisi facta expressa tituli mentione, resignari nequeunt. 4 Ut resignans in sacris Ordinibus constitutus edoceat, aliam viam honestae sustentationis sibi suppetere, ne in dedecus dignitatis clericalis cogatur occupationibus statui suo haud convenientibus vitae necessaria sibi procurare. 5 Ut adsit justa, et sufficiens causa, cujus cognitio praemitti debet. Causas graviores expressit Summus Pontifex Innocentius III hisce versiculis :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

6 Resignatio fieri debet in manus Superioris, ad quem conferendi, confirmandi, instituendive spectat potestas; adeoque resignatio Episcopatuum, et beneficiorum exemptorum in manus Summi Pontificis; reliquorum vero in manus Episcopi, et quidem intra mensem ratihabenda, quia secus jus collationis ad Papam devolveretur (1).

## §. 70. *Beneficii vacantis provisio.*

A die admissae a Superiore resignationis, et rite publicatae, illud, quod inter resignantem et Ecclesiam intercesserat, vinculum solvitur ita, ut si resignans beneficium resignatum recuperare velit nova collatione opus sit. Vacanti beneficio curato, ne grex sine pastore maneat cum detrimento salutis animarum providendum est. Provisio potest esse duplex, nimirum *temporaria* et *perpetua*. Temporaria est cum Episcopus ad tempus constituit Clericum, qui curam animarum exerceat, donec fuerit electus novus beneficiarius. Perpetua cum beneficium Clerico ita confertur, ut jus perpetuum habeat proventus percipiendi. Beneficium *de jure* vacans, nonnisi audito possessore, et causa cognita, conferri potest. Beneficium vacans *de facto* conferri nequit, quia jus le-

(1) C. 2. 3. 4 de his, quae vi metuve caussa sunt. C. 5 de renunt. c. 2. de aetat. et qual. ordinand. Clem. un. de renunt. Trid. Sess. 25. c. 16. de Regular. Sess. 21. c. 2 de ref. C. 10. de renunt. Cap. 1. et tit. de renunt. Const. Greg. XIII Humano.

gitimi possessoris laederetur. *De jure et facto* vacans debet sine cunctatione conferri, ne salus animarum detrimentum patiatur. Ceterum beneficia nondum vacantia nemini promittere licet, ne ansa praebeatur mortem possessoris optandi, et via dignioribus praecludatur; idcirco Concilium Tridentinum omnes gratias expectativas etiam Cardinalibus concessas abrogavit. Provisio autem beneficii vacantis tria complectitur, nempe: 1 *delectum personae*, qui fieri potest vel per liberam voluntatem Episcopi, vel per canonicam electionem, vel per praesentationem patroni, aut demum per regiam nominationem; 2 *collationem tituli*, quae obtinet dum electus confirmatur, vel a patrono praesentatus acceptatur; 3 *introductionem in possessionem beneficii* per investituram, seu installationem. Beneficia conferenda sunt dignioribus, gratis, et sine diminutione (1).

## ARTICULUS IV.

### DE MODIS PERVENIENDI AD BENEFICIA MAJORA ET MEDIA.

### §. 70. *Modi perveniendi ad beneficia majora, et media.*

Auctor imperii sacri in Ecclesia ad finem usque mundi duraturi est Christus Dominus; ast quod ad modum attinet perveniendi ad beneficia majora, seu ad dignitates episcopales neque Salvator divinus, neque ejus Apostoli aliquod praeceptum dederunt. Quam ob rem modus perveniendi ad Episcopatum, teste historia ecclesiastica, diversis temporibus diversus fuit. Sic Matthias electus fuit ab Apostolis per sortem. S. Jacobus cognomento justus a Petro, et Joanne, uti fertur, Jerosolymorum Episcopus fuit designatus. S. Paulus Timotheum Ephesi, et Titum Cretae antistites constituit. Generatim sancti Apostoli Civitatibus ad Christi Religionem conversis dabant Episcopos, non requisito cleri aut populi suffragio. Post mortem Apostolorum Clerus Ecclesiae viduatae eligebat Praelatum adscito in testimonium populi suffragio, Metropolita vero ordinarie in synodo provinciali factam electionem examinabat, et a Clero electum non solum confirmabat, verum etiam consecrabat. Populus ob turbas frequenter excitatas sat mature fuit exclusus a dando suffragio negativo, et in ejus locum substituti fuere Optimates, quibus paulatim successerunt terrae principes, sine quorum consensu inde a saeculo VI raro eligi, aut saltem consecrari poterant Episco-

(1) C. 2. et 3. de renunt. Conc. Trid. Sess. 24. c. 19. de ref.

pi, praesertim ii, qui regalia subinde possidebant; qua in re eos sua auctoritate aliquando abusos fuisse historia, et potissimum illa de investituris docet. Saeculo XII jus eligendi Episcopos, excluso reliquo clero, adhaesit Capitulis Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, Pontificum Romanorum, et terrae principum sanctionibus firmatum. Romani quoque Pontifices plurium beneficiorum, potissimum in Curia Romana vacantium collationes sibi reservaverant; quas reservationes refert, et vindicat Joannes Devoti. Secundum hodiernam disciplinam modi ordinarii perveniendi ad beneficia majora, et media sunt: 1 Electio, 2 Postulatio, 3 Nominatio regia, 4 Translatio (1).

## §. 72. *Electio.*

*Electio* est personae idoneae ad praelaturam ecclesiasticam canonice facta vocatio per eos, qui jure suffragii gaudent, et a Superiore ecclesiastico regulariter confirmanda. Ad beneficia majora et media per electionem perveniunt Summi Pontifices, Episcopi, Praelati Regulares, et Praepositi Ecclesiarum Collegiatarum. Nicolaus II anno 1059 sanxit, ut Summus Pontifex a solis Ecclesiae Romanae Cardinalibus eligatur. Quia vero ejus decretum omnes turbas non praecavebat, Alexander III in Concilio Lateranensi III a 1179 statuit, ut legitimus Pontifex non sit, nisi ille in quem duae partes Cardinalium eligentium conspiraverint. Tandem Gregorius X anno 1274 in Concilio Lugdunensi II praescripsit, ut Cardinales praesentes, mortuo Summo Pontifice, decem tantum diebus absentes expectare teneantur, quibus elapsis conclave ingrediantur. Si intra tres dies Pontificem non eligunt, per spatium quinque dierum, singulis diebus tam in prandio, quam in coena unico ferculo sint contenti. Quibus decursis panis tantum, vinum et aqua eisdem ministrentur, donec electio fuerit facta. Durante electionis negotio nihil percipiant de Camera Papae. Absentibus Cardinalibus neque licet suffragium suum alteri committere, neque peractam a praesentibus electionem invalidare. Praeterea legendae sunt Constitutiones Gregorii XV, in quibus Summi Pontificis electio accurate describitur. Episcopi, et reliqui Praelati eliguntur per vota Capitularium, seu illorum, qui jus suffragii habent. De horum electione canonica sequentia notanda sunt: 1 Electio Episcoporum, et Praelatorum regularium fieri debet intra tres

(1) Act. 1. Euseb. H. E. l. 2. c. 1., Thomassin P. II. l. 2. c. 1. et 6., De Marca l. 8. c. 2. n. 2. seqq., Joannes Devoti Inst. I. E. t. 1. p. 304. seqq.

menses a die vacantis beneficii, quia secus jus eligendi devolvitur ad Superiorem; aliis praeter Episcopatum, et Praelaturam regularem, dignitatibus vacantibus intra semestre providendum est. 2 Electio facienda est intra Ecclesiae vacantis ambitum, seu in loco Capituli consueto, ne aliqua oriatur suspicio. In casu autem necessitatis celebrari potest etiam extra locum solitum. 3 Vocandi sunt omnes, qui sessionem, et votum habent in Capitulo Ecclesiae vacantis, adeoque etiam absentes; etenim non vocatus de contemptu agere potest, ut electio etiam confirmata rescindatur. 4 Absentibus Capitularibus integrum est vel juri ferendi suffragii renuntiare, vel procuratorem instituere, qui pro ipsis suffragium ferat. Absentes Capitulares procuratori debent dare mandatum, quod potest esse vel *generale*, vel *speciale*. Mandatum generale est cum mandans non nominat in eo personam, cui dandum est suffragium; speciale dicitur cum personam determinat. Si mandatum est generale, procurator tam suum, quam absentis suffragium dare tenetur ei, quem in conscientia ipse dignissimum judicaverit; si autem est speciale, personae assignatae votum mandantis conferre obligatur. Ordinarie procurator ex Capitularibus assumi debet; extraordinarie vero cum consensu totius Capituli etiam extraneus constitui potest. In electionibus Regularium non licet adhibere procuratorem, quia ibi vota secreta praescribuntur; procurator vero debet mandatum suum publice ostendere. Cum Canonici absentes legitime impediti teneantur vel juri ferendi suffragii renuntiare, vel procuratorem instituere, patet quod etiam ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium votum in litteris clausum mittere non liceat (1).

## §. 73. *Personae gaudentes, et carentes voce activa, et passiva.*

Secundum jus commune ecclesiasticum *voce activa*, seu jure eligendi Praelatum gaudent omnes, qui spectant ad Capitulum, vel Collegium, cujus Praelatus est eligendus. Non obstante hoc jure ordinario possunt etiam Clerici extranei habere jus dandi suffragii vel ex *speciali fundationis lege*, vel

(1) Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. 2. art. 3. de elect. et past. etc. §. 470 pag. 86., Vid. H. E. Per. III. C. III. §. 6., Mansi T. XXIV. p. 37. seqq. Devoti Inst. J. C. t. 1. Sect. I. §. 2. p. 284. C. 41. de elect. c. 12. de concess. praeb. c. 2. de concess. praeb. c. 23 de Jur. patron. et c. 4. de condit. appos. c. 8. et 40 de elect. c. 31. 40-50 de elect. c. 8. de consuet. c. 3. de caussa poss. et prop. in fin. c. 1. de praescript. in 6., Ferraris Biblioth. Vox Electio.

*ex privilegio* Summi Pontificis, vel *ex consensu omnium Capitularium*, vel ex *consuetudine et observantia*, vel ex *praescriptione quadragenaria*. Carent autem voce activa, seu jure eligendi, amentes, furiosi, ordine subdiaconatus nondum initiati canonici domicellares, suspensi, personaliter interdicti, aut excommunicatione majori irretiti, violantes interdictum locale per missae celebrationem, eligentes, postulantesque indignum, formam canonicam non observantes, negligentes eligere intra tempus a jure definitum, inter Regulares nondum professi. *Voce passiva* sunt destituti, seu eligi non possunt ad dignitates ecclesiasticas neophiti, non habentes aetatem canonicam, qualis est pro Episcopatu 30 annorum, pro praelaturis curatis 24, non curatis 22, nondum subdiaconi, si ad Ecclesias Cathedrales assumantur, illiterati, filii illegitimi, nisi per subsequens matrimonium sint legitimati, excommunicati, irregulares, haeretici, schismatici, simoniaci, infames, suspensi ab officio et beneficio, personaliter interdicti, religiosi proprietarii, inter Regulares non professi in eodem Ordine. Electio talium personarum ipso jure nulla est. Privantur autem *voce* vel ad *certum tempus*, ut Regulares proprietarii per biennium, et qui scienter eligunt indignum per triennium eligi vetantur, vel in *perpetuum*, uti religiosi mendicantes, qui ad non mendicantium ordinem transeunt. Electores peccant mortaliter, nisi eligant eos, quos digniores, et utiliores Ecclesiae judicaverint. Ante electionem supplicationes et preces publice, et privatim fundendae sunt, et juramentum de eligendo digniore deponendum (1).

## §. 74. *Forma electionis canonicae per scrutinium.*

Forma electionis alia est *extraordinaria*, alia *ordinaria*. Forma extraordinaria dicitur cum electio fit per inspirationem, vel quasi inspirationem. Electio per inspirationem est illa, quae evenit per veram Dei revelationem, cum scilicet Deus ipse manifesto judicio personam eligendam designat, qualis inter alias fuit electio S. Ambrosii ad Archiepiscopatum mediolanensem. Electio autem per quasi inspirationem illa vocatur, qua Electores omnes, nullo praecedente tractatu, concorditer, et communiter uno corde, et ore in eandem perso-

(1) Cap. 1. 11 de Elect. cap. ult. caus. 16. q. 7. c. 28 et 42. de elect. c. 28. 36. eod. tit. c. 42. de elect. c. 46. de elect. in 6. c. 23. de appellat. c. 10 de Cler. excom. c. 16 in fin. de elect. c. 8. de consult. c. 18. de sent. excom. in 6. Clem. 2. de aetat. et qualit. Ord. c. 1. 2 de postulat. c. 41. 42 de elect., Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. c. 2. Clem. 1. de Regul. Cap. ult. de Cler. excom. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1.

nam sine vitio consentiunt. Forma electionis canonicae ordinaria est illa, quae fit vel per *scrutinium*, vel per *compromissum*. Electio per scrutinium sequenti modo peragitur. Congregatis omnibus electoribus assumuntur tres fide digni, qui singulorum vota colligant, *Scrutatores*, seu *Disquisitores* dicti. Suffragia singillatim scripto, et secreto dantur. Datis suffragiis a Scrutatoribus schedulae numerantur, deinde Capitulo denunciatur, numerum schedularum congruere numero electorum, quod *publicatio scrutinii* dici solet, eamque vim habet, ut nemini variare, seu suffragium suum retractare liceat. Tum suffragia ipsa a Scrutatoribus inspiciuntur, a quovis separatim adnotantur, ac invicem conferuntur; et si notae sibi respondeant, publicantur personae, quae vota obtinuerunt, non vero illae, quae vota dederunt ad evitanda odia; unde etiam schedae statim vel coram teste, vel publice comburuntur. Vota incerta, alternativa, conditionata rejiciuntur, et qui tale votum dedit pro illa vice jure suffragii privatur. Ille qui vota absolute majora, v. g. ex 15 votis 8 accepit electus censetur; vota vero respective majora secundum canones non sufficiunt. Deficientibus votis absolute majoribus scrutinium tandiu repetendum est, donec absoluta majoritas votorum obtineatur (1).

## §. 75. *Electio per compromissum.*

Si repetito scrutinio absoluta majoritas suffragiorum obtineri nequeat, ad viam compromissi transcundum est. Compromissum generatim sumptum est pactum, per quod omnes, quorum interest, consentiunt, ut uni, vel pluribus negotium aliquod demandatur: illi *Compromittentes*, hi *Compromissarii* vocantur. Est igitur compromissum pro electione sumptum actus, quo omnes electores negotium electionis uni, vel pluribus personis idoneis committunt, ut nomine omnium eligant; expedit tamen, ut compromissarii sint numero impares. De electione per compromissum facienda notandum est: 1 Compromissum locum habere nequit, nisi unanimi Capitularium consensu, quia nemo suo jure privari potest. 2 Compromissarii possunt esse vel de gremio Capituli, vel extranei. 3 Compromissarii tenentur implere conditiones compromissi, si quae adpositae sint; sunt enim mandatarii, qui limites mandati excedere non possunt. 4 Quamdiu res integra est, seu electio nondum peracta, compromissum a Capitnlaribus revocari po-

(1) Cap. Statuimus 8 dist. 61. 42 de elect. Concil. Trid. Sess. 25. c. 6. de Regul. c. 42. 58. de elect., Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. art. 3. p. 95. §. 479.

test. 5 Si plures sint Compromissarii, vota absolute majora requiruntur. 6 Numerum votorum unus ex compromissariis pro se complere potest per consensum, v. g. si constitutis quinque compromissariis duo eligerent Petrum, unum ex compromissariis, hic consentiendo in sui electionem suffragiorum numerum complet, et electionem sui canonicam reddit. 7 Si Compromissarii intra legitimum tempus non eligant, jus provisionis ad Superiorem devolvitur; si vero eligant indignum, jus eligendi ad Capitulares revertitur. Electio tam per scrutinium, quam per compromissum peracta, nomine omnium promulgari debet (1).

## §. 76. *Servanda ab electoribus, et electo post electionem.*

Electio per scrutinium, vel compromissum canonice facta intra octiduum ab eo tempore, quo commode potuit, computandum ab electoribus electo significanda, ejusque consensus petendus est. Electus accepto nuntio intra mensem, nisi jure suo excedere velit, consensum in factam sui electionem dare tenetur, per quem, uti ajunt, *jus ad rem*, seu ad beneficium consequitur, quo, nisi indignus ipse, vel non canonice electus probatur, privari amplius nequit, non tamen *in re*; unde administrationi Ecclesiae nec in temporalibus, nec in spiritualibus se immiscere potest. Posteaquam electus in electionem consensit, intra *trimestre* obligatur petere a Superiore suae electionis confirmationem, qui eam post praeviam causae cognitionem de servata electionis forma a canonibus praescripta, et meritis personae electae impartitur. Confirmatio Superioris electo tribuit *jus in rem*, et plenam tam in spiritualibus, quam in temporalibus (iis quae sunt ordinis episcopalis, et consecrationem requirunt, exceptis) administrationem et jurisdictionem. Olim electiones Episcoporum confirmabat Metropolita, qui eos etiam consecrabat. Tardius jus confirmandi electiones Praelatorum Summo Pontifici fuit reservatum. Juxta praescriptum Synodi Tridentinae inquisitio fieri debet de qualitatibus personarum ad dignitates episcopales electarum. Electi ad episcopatus vicinarum urbium Italiae examinantur Romae coram Summo Pontifice a Cardinalibus, Praelatis, atque aliis sacrae Theologiae, et Juris Canonici peritis viris: processus vero electorum ad Episcopatus ab Urbe remotos conficitur vel a Nuntio Apostolico, vel ab Ordinario, vel si hic desit, a vicinioribus ordinariis, et inde Romam transmittitur, ubi,

(1) Reg. Jur. 28 et 56 in 6 c. 8. 21. 32. de elect. c. 29. eod. in 6. c. 33. de elect., Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. 2. art. 3. p. 95-99., Devoti t. 1. Sect. I. de Elect.

cunctis diligentissime perpensis, in Concistorio Cardinalium secreto fit *praeconizatio.* Si electus intra trimestre negligat petere confirmationem, aut ei ob culpam negatur, juri devolutionis locus est. Qui ante obtentam confirmationem audet actus jurisdictionis exercere, jus ex electione acquisitum amittit (1).

## §. 77. *Postulatio.*

Si eligendus ad dignitatem ecclesiasticam canonico laborat impedimento, in quo dispensari solet v. g. defectu natalium, aetatis, ordinis, vinculi spiritualis matrimonii, professionis religiosae ad praelaturas Regularium, Superior supplicandus est, ut impedimentum removeat. Petitio haec postulatio dicitur, estque ex hodierna disciplina duplex, nempe *a) solemnis et propria*, quae est petitio ad Superiorem directa, ut is personam impedimento canonico laborantem ad praelaturam ecclesiasticam admittat, *b) minus solemnis impropria, aut simplex,* quae nihil aliud est nisi petitio ad Superiorem directa, ut in sui subditi nullo impedimento laborantis electionem canonicam consentiat. Postulatio ab electione differt, quod illa gratiae, haec juri innititur; illa Superior rogatur, ut a persona non idonea impedimentum removeat, hac, ut electam confirmet; in postulatione electores, antequam ea Superiori afferatur, consilium mutare possunt, in electione nequeunt. Etiam postulatio solemnis, et propria, via vel scrutinii, vel compromissi peragitur. Ad eam requiritur: 1 Ut impedimentum sit tale, in quo dispensari possit. 2 Si pars Capituli eligit, altera vero postulat, postulatio non valet, nisi duabus partibus suffragiorum constet; si omnes postulant, vota absolute majora sufficiunt. 3 Postulatio significanda est postulato, qui in eam nonnisi sub conditione secuturae confirmationis consentire potest, deinde ad Superiorem dirigenda. 4 Antequam postulatio a Superiore admittatur, postulatus jus nullum consequitur, integrumque est Capitulo eam revocare. 5 Admissa postulatio eandem vim exerit, sicut electionis canonicae confirmatio. Si eam justis ex causis Superior rejiciat, juri devolutionis locus est. Sed hodie illi, qui aliquo impedimento canonico dispensari solito laborant, a Summo Pontifice *indultum,* seu *Breve eligibilitatis*, idest facultatem impe-

(1) C. 21. de elect. et c. 16. eod. tit. in 6 c. 6. ibid. c. 3. de elect. c. 7. et 9. de elect. c. 6. de elect. in 6. c. 15. de elect. c. 6. eod. tit. extran. comm. Concil. Trid. Sess. 22. cap. 2. de ref. et Sess. 24. cap. 1. de ref., Devoti t. 1. Sect. 1. de Elect. p. 300.

trare solent, ut per *viam electionis* ad praelaturam ecclesiasticam pervenire possint. Caeterum, si Capitulares postularent personam laborantem impedimento, in quo dispensari vel nequit, vel non solet, v. g. illiteratum, simoniacum, haereticum schismaticum, excommunicatum, criminosum, bigamum, fornicarium, usurarium, infamem, infantem, decrepitum senem, ex damnato conjugio prognatum, corpore enormiter vitiatum, insigniter avarum, epilepticum, falsarium, minorem 27 annis ad Ecclesiam Cathedralem, ex Ordine mendicantium ad Ecclesiam Cathedrali inferiorem, non tantum jus postulandi, et eligendi ea vice amittnnt, sed et triennalem suspensionem a beneficiis in ea Ecclesia possessis suspensionem incurrunt. Si inter Capitulares tales reperiantur, qui indignum postulare recusarnnt, penes eos pro illa vice provisio Ecclesiae manet (1).

## §. 78. *Nominatio regia.*

Tertius ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus est *nominatio regia*, quae in plerisque regionibus electioni Capitulorum paulatim fuit subrogata. Est autem nominatio regia jus terrae principibus a Sede Apostolica per concordata, vel indulta, aut privilegia concessum personas idoneas sibi gratas ad praelaturas ecclesiasticas designandi, ita tamen, ut Superiori ecclesiastico facultas eas confirmandi, et ordinandi salva sit. In imperio austriaco, archiepiscopatibus Olomucaeno, et Salisburgensis exceptis, Antistites nominat imperator Austriae. Quum nominatio regia in electionis, et postulationis locum successerit, electionis, et postnlationis naturam imitatur, eosdemqne effectus producit. Qnare 1 Principes non possunt nominare personas electionis, et postnlationis incapaces; 2 personae, quae eligi possunt, *simpliciter*, quae vero de jure postnlandae sunt, cum *postulatione* nominari debent; 3 nominationis confirmatio peti debet ab eo, cui jus competit; 4 demum in nominatione regia servandae sunt leges, et conditiones in concordatis, indultis, et privilegiis praescriptae (2).

(1) Schenkel Inst. J. C. Sect. I. c. 2. art. 3. de elect. et post. pag. 105. §. 487. c. 15. de elect. et c. 7. de elect. in 6. c. 1. de post. c. 58. de elect. c. 4. de post. c. 40. de elect. c. fin. de aet. qual. et ord. praeficiend. c. 1. de post. Prael. c. un. dist. 25. dist. 46-47 etc. c. un. dist. 54 et c. 2. de elect. c. 2. de big. c. 10. de renunt. Extrav. un. de post. inter comm.

(2) Vid. Rigant. ad Reg. 2. Cancellar. §. 1; per tot., Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. 2. art. 3. §. 196. p. 113 et 111.

## §. 79. *Consecratio electi, postulati, aut nominati.*

Confirmationem electionis, postulationis, aut nominationis sequitur *consecratio*, seu manuum impositio super caput electi, postulati, vel nominati Episcopi sub certis verbis, inunctione chrismatis, aliisque ceremoniis a legitimo consecratore Episcopo tanquam ministro facta. Olim consecratio Metropolitarum ad Patriarchas vel Exarcas, et Episcoporum provincialium ad Metropolitas spectabat. Tam in Oriente, quam in Occidente legibus erat praescriptum, ut praeter Episcopum consecratorem, consecrationi saltem duo alii adessent Episcopi. Hodie consecratio cum Pontificis venia ab uno Episcopo a Sede Apostolica delegato, et duobus aliis Praelatis usum pontificalium habentibus peragi potest. Electus Episcopus tenetur suscipere consecrationem intra tres menses ab obtenta confirmatione, sub poena restitutioni fructuum; et si per totidem menses differat, etiam dignitate ipso jure privatus declaratur, nisi forte impeditus, aut a Summo Pontifice dispensatus. Jus consecrandi Episcopos, aut designandi consecratorem semper cum jure confirmandi conjunctum, secundum hodiernam disciplinam Primati universae Ecclesiae est reservatum; quamobrem in actu consecrationis consecrator quaerit: « habetis mandatum apostolicum ? », et jusjurandum Papae praestandum a consecrando exigitur. Quod ad tempus et locum consecrationis attinet, die dominica, aut Apostolo sacra, atque in ipsa Ecclesia, ad quam quis designatus est, vel saltem, quoad fieri potest, in provincia est celebranda. Praecipui consecrationis effectus sunt sequentes: 1 Consecratus, praeter gratiam divinam ad gravia Episcopatus munia rite obeunda, charactere Ordinis episcopalis insignitur, et potestatem accipit ejus officia implendi. 2 Consecrato tribuitur jurisdictio radicalis, uti ajunt, intrinseca, propria. 3 Episcopus Ecclesiae vinculo matrimonii spiritualis adstringitur. 4 Fratris appellatione a Petri Successore salutatur. 5 Beneficia ab Episcopo ante possessa ipso jure vacant, et Pontifici reservantur. Abbates non per consecrationem, sed per benedictionem initiantur. Ritus benedictionis antiquior solis precibus super Abbatem fusis, item in traditione regulae observandae, tum et baculi abbatialis positus fuisse videtur. Ceterum Abbates Summo Pontifici immediate subjecti benedicuntur in Curia Romana, vel extra illam de mandato Apostolico; alii ab Episcopo proprio benedictionem accipiunt (1).

(1) Schenkel Inst. I. E. Sect. I. c. 2. art. 3. de elect. et post p. 500. §. 501. p. 117. et 123. Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. de ref., Van Espen. I. E. U. P. J. tit. 31. c. 6. n. 6. seqq.

## §. 80. *Translatio.*

Quartus denique ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus est *translatio*. Antiqui canoues translationes Episcoporum, quasi spirituale adulterium, maxime horruerunt, et sub gravissimis poenis ab una Ecclesia ad aliam ausu proprio transire prohibuerunt; eas tamen translationes, quae ob manifestam utilitatem aut necessitatem Ecclesiae interveniente legitima auctoritate fiebant, semper licitas habuerunt. Ex historia ecclesiastica constat, Episcopos doctrina et pietate praestantes, ob utilitatem, aut uecessitatem Ecclesiae, Episcopatum mutasse; et in ipsa Synodo Nicaena Eustathius Bereae Episcopus ad Sedem Antiochenam translatus est. Olim Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam transferebantur auctoritate Synodorum provincialium; hodie jus transferendi Episcopos est penes Summum Pontificem. Si Episcopus, ignaro Summo Pontifice, auderet Ecclesiam mutare, utramque amitteret. Ad translationem Episcoporum requiritur justa causa, v. g. *major utilitas alterius Ecclesiae,* si nempe Episcopus alterius Ecclesiae regimini utilior habeatur, *necessitas*, si grex proprium Pastorem odio habet, *aer sanitati noxius, defectus linguae, eversio beneficii.* Episcopo ab una ad aliam Ecclesiam translato, tollitur omne vinculum et obligatio, quibus priori Ecclesiae erat adstrictus, cessat omne jus iu Ecclesiam dimissam, et Ecclesia vacat ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo in concistorio Summi Pontificis absolvitur, et hujus absolutionis notitiam habet (1).

## ARTICULUS V.

### DE MODIS PERVENIENDI AD BENEFICIA MINORA.

### §. 81. *Modi perveniendi ad beneficia minora.*

Modi perveniendi ad beneficia minora alii sunt *ordinarii*, *extraordinarii* alii. Ordinarii sunt duo, uimirum *collatio libera,* et *necessaria*, quae etiam *institutio* dicitur. Collatio libera est vacantis beneficii spontanea concessio facta ab Episcopo, qui juxta jus commune habet potestatem conferendi beneficia

(1) C. 39. caus. 7, q. 1., Cf. Thomassin P. II. l. 2. c. 60. seqq. c. 2. c. 3. de transl. Episcop. can. 34. 42. 4. caus. 7. c. 61. caus. 36. 37. caus. 7. q. 1. can. 13. apost. Thomassin c. 1. 2. de transl. Episcop. c. 8. caus. 18. q. 2. c. 7. de cons. S. Congr. Card. super negot. Episc. 12 Dec. 1624. Pag. Crit. in Baron. ad an. 324. n. 62. t. 4. can. 34. cap. 7. q. 1. can. 44. c. 7. q. 1.

in sua dioecesi vacantia ita, ut aliis personis, vel communitatibus ecclesiasticis non nisi *jure extraordinario* competat. Collatio necessaria seu institutio est beneficii vacantis concessio ad praesentationem ejus, qui jure patronatus gaudet. Tres species institntionis canonicae distinguuntur: 1 *Verbalis*, qua titulus beneficii seu jns in beneficium confertur; haec in collatione libera uno actu fit cum nominatione personae; in collatione necessaria, cum acceptatione praesentationis a patrono factae, 2 *Auctorizabilis*, qua cnra animarum ordinaria intuito certae plebis tribuitur, estque Episcopo adeo propria, ut aliis neque per privilegium, consnetudinem, aut praescriptionem competere possit; 3 *Realis, investitura ecclesiastica, installatio*, qua quis in possessionem, et jura beneficii immittitur ita, ut a die realis institutionis in possessione beneficii censeatur, fructusque suos faciat. Haec fit per Episcopi delegatnm, passim per Archidiaconum, vel Decanum ruralem absque ulla exactione, et sub certis signis, v. g. traditione libri Evangeliorum, clavium Ecclesiae, bireti, sigilli etc. Investituram hanc quandoque sequitur installatio improprie talis in loco beneficii, eaque tum in *spiritualibus*, qua curator animarum noviter institutus popnlo per Decanum ruralem praesentatur, tum in *temporalibus*, qua eidem bona parochiae modo symbolico traduntur (1).

## §. 82. *Dotes adspirantium ad beneficia minora.*

Qui ad beneficia ecclesiastica adspirat dotibus sive a jure communi, sive ex speciali lege, aut consuetudine requisitis instructus, et caeteris dignior esse debet. Requiritur autem: 1 Ut sit vitae probitate praeditus, quatenus possit aliis bono exemplo praelucere; 2 Ut habeat aetatem necessariam, quae pro beneficiis, cum quibus conjuncta est cura animarum, est annorum 25; 3 Ut nullo canonico laboret impedimento; hinc filii illegitimi, haeretici, et illorum liberi ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum si parentes in haeresi fatis cesserint, conjugati, bigami, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares, baptismo et prima tonsura carentes a beneficiis repelluntnr; 4 Ut initia-

(1) Thomassin V. et N. Discipl. P. II. l. 1. C. 33. seqq., Van Espen J. E. Univ. P. II. tit. 21. c. 1. Can. un. Ne sede vacante in 6. c. 18 de praescript. Concil. Trid. Sess. 7. c. 13. de ref. et Sess. 23. c. 15. c. 4. de Off. Archid. (*)

(*) *In Austria in beneficiis caesareo-regiis bonis immobilibus instructis installationem in temporalibus peragit eo tempore et loco commissarius a regimine politico delegatus.*

tus sit ordine, quem beneficium postulat; 5 Denique ut eam habeat scientiam, qua opus est, ut recte munia beneficio inhaerentia obeat (1).

## §. 83. *Concursus parochialis.*

Ad explorandam scientiam et idoneitatem Clericorum adspirantium ad beneficia minora praescriptus est concursus parochialis. Quamprimum aliqua parochialis Ecclesia vacat, Episcopus intra decem dies, vel aliud tempus a se praefigendum potest, si ipsi, aut Synodo provinciali pro regionis mora magis expedire videbitur, vocare clericos, ad praescriptum examen. Transacto constituto tempore, omnes concurrentes examinari debent ab Episcopo, vel eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere potest Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Episcopus, vel ejus Vicarius singulis annis in Synodo dioecesana proponere debet sex ad minus examinatores, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur. Adveniente Ecclesiae alicujus vacatione, Episcopus tres ex illis eligere tenetur, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Examinatores vero esse debent Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Tales electi examinatores tenentur ad sancta Dei Evangelia jurare, se quaecumque humana affectione posthabita, fideliter munus suum executuros. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec postea accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtineant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. De his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere tenentur: a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possunt. Peracto deinde examine renunciari debent, quotcumque ab iis idonei judicati fuerint, aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam

(1) Cap. 1. de fil. presbyt. in 6. Cap. 2. et 15. de haeret. in 6. Concil. Trid. Sess. 23. cap. 6. et Sess. 24. c. 12. de ref. Cap. 1. de aetat. et qualit. et Ord. praefic. Cap. 7. de elect.

opportunis, ex hisque Episcopus eum eligere obligatur, quem caeteris magis idoneum judicet, atque illi, et non alteri, conferendum est beneficium ab eo, cui jus competit. Si vero beneficium juris patronatus ecclesiastici erit, et institutio ad Episcopum pertineat, patronus eum debet Episcopo praesentare, quem inter approbatos ab examinatoribus digniorem judicat. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debet, qui a patrono praesentatur, ab iisdem deputatis examinari, et nonnisi idoneus admitti. Si tamen redditus Ecclesiae adeo exigui sunt, ut totius examinationis operam non ferant: aut nemo adest, qui examini se subjicere velit, vel ob apertas factiones, seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae, ac tumultus possint excitari: integrum est Ordinario, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire videbitur, hac forma omissa, privatum aliud examen caeteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Licet etiam Synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit, providere. Legem concursus parochialis a Synodo Tridentina editam urserunt Pius V, Clemens XI, et praecipue Benedictus XIV in Constitutione sub dat. 14 Dec. 1742 incipiente: « Cumillud », in qua modus examinis, et disciplinae, de quibus examina concurrentium habeantur, pro beneficiis parochialibus accurate definita fuere. Non spectat ad examinatores, sed ad Episcopum decidere quis ad parochiam vacantem magis idoneus sit (1).

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 18. de ref., S. Pius V in Bulla : In conferendis. Clemens XI Litter. Encycl. sub dat. 10 Jan. 1721., Benedictus XIV in cit. Const. Cum illud. Sacr. Congr. Concil. Trid. Interpr. (*).

(*) *In Austria bis in anno mense majo, et augusto generale examen a Concistorio episcopali instituitur, quod valet pro omni alia dioecesi. Episcopus, vel ejus delegatus quaestiones proponit ex theologia dogmatica; ex morali vero, pastorali, jure canonico, et paraphrasi Scripturae sacrae N. T. publici professores, et ubi hi desunt, examinatores episcopales. Qui ex singulis materiis calculum primae classis refert, is facultatem nanciscitur quodvis beneficium intra sex annos adpetendi; quibus elapsis, non obtento beneficio, examen repetere tenetur. Vacans beneficium per litteras annunciatur praefixo sex hebdomadarum termino, intra quem competitores supplicem libellum Concistorio Episcopali porrigere debent. A concursu parochiali sunt exempli Doctores Theologiae, ejusdem Professores, et Catechetae quandiu hoc munere funguntur, et per sex annos postquam illud abdicarunt. Pro novo beneficio requiritur vel novum examen, vel dispensatio, quam largitur regimen provinciae juxta Concistorii sententiam.* Vid. Georgium Rechberger art. 5. p. 98 et 99. §§. 111 et 112.

## §. 84. *Juspatronatus.*

Alter modus ordinarius perveniendi ad beneficia minora est institutio ad praesentationem illius, qui jus patronatus habet. Est autem *jus patronatus* jus praesentandi personam idoneam ad beneficium ecclesiasticum vacans. Nomen juris patronatus eo, quo nunc utimur, sensu prioribus Ecclesiae saeculis haud occurrit, res autem ipsa non erat penitus incognita; nam ex historia ecclesiastica constat, Ecclesiarum fundatoribus varia jura obtigisse, quae nunc partem juris patronatus efficiunt. Introductum fuit consuetudine, et subinde per canones confirmatum, partim ut Ecclesia gratam se exhiberet erga fundatores beneficiorum, partim ut alii ad hoc stimularentur. Jus patronatus ex hodierna disciplina complectitur jura *honorifica*, *onerosa*, et *utilia*, quae hisce versiculis exprimuntur:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque,
Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.

Jura honorifica sunt: 1 Jus praesentandi Clericum ad beneficium vacans, quod fundatoribus templorum, altarium, beneficiorum concessum fuit a Concilio Arausicano I, et confirmatum a Patribus Concilii Arelatensis II; 2 Jus occupandi locum honoratiorem in Ecclesia, solemnitatibus ecclesiasticis, processionibus, et aliis conventibus Ecclesiae causa habendis; 3 Jus installandi beneficiarium in temporalibus, nisi alius adsit Ecclesiae advocatus hac in re patrono praeferendus; jus enim advocatiae a jure patronatus est distinguendum, quamvis plerumque in eadem persona conjunctum sit. — Ad jura onerosa spectat: *a)* Jus, seu potius officium Ecclesiam, ejusque jura defendendi, invigilandi ne bona ecclesiastica dilapidentur, aut proventus eorum, male impendantur, eumque in finem rationes, quae quolibet anno reddendae sunt, examinandi, et ratas habendi; *b)* Jus, seu officium concurrendi ad sumptus cum Ecclesiae, tum domus parochialis, dum reparatione indigent. — Tandem quod ad jura utilia attinet, patrono ad inopiam redacto jus competit alimenta percipiendi ex Ecclesiae reditibus, qui deductis impensis necessariis supersunt (1).

(1) Paulinus ep. 10 et 12. C. 31. causs. 16. q. 7. item c. 6. caus. 30. q. 1. C. 30. ibid. et c. 25. de jur. patron., apud Gratian. c. 30. caus. 16. q. 7., Concil. Tolet. IV, et IX. can. 38, 30 et 31. c. 16. q. 7., Concil. Araus. I. col. 703. t. 4. collect. Labbaei., Devoti Inst. I. E. t. 1. sect. IV. 321 et 322.

### §. 85. *Juris patronatus divisio.*

Jus patronatus dividitur: 1 *In ecclesiasticum*, quod Ecclesiae, Communitati ecclesiasticao aut Clerico competit ratione beneficii, dignitatis Ecclesiae, verbo titulo ecclesiastico, et *laicale*, quod in bonis laicorum constitutum ad aliquem pertinet titulo laicali, cujus utriusque intuitu patronus vel *ecclesiasticus*, vel *laicus* vocatur. 2 In *reale*, quod intuitu bonorum, et rerum competit, seu certae rei, praedio scilicet, aut castro inhaeret, et in omnes rei possessores transit, et *personale*, quod non rei est adjunctum, sed certae personae adscriptum. Jus personale subdividitur in *haereditarium*, quod ad quoscumque haeredes transit, et *familiare*, quod ad solos alicujus familiae descondentes restringitur. Jus reale dispescitur in *regium*, quod ad supremos principes, jura imperii in dominiis suis habentes, spectat, et *privatum*, quod non ratione imperii politici, sed alio titulo a quocumque demum possidetur. 3 *In plenum*, cui omnia praefata jura insunt, et *minus plenum*, cui aliqnid deest (1).

### §. 86. *Modi acquirendi jus patronatus.*

Modi acquirendi jus patronatus sunt *originarii*, et *derivativi*. Originarii dividuntur in *ordinarios*, et *extraordinarios*. *Modi origiuarii ordinarii* sunt tres, nimirum *fundatio*, *extructio*, *dotatio*, juxta illnm Canonistarum versiculum: « Patronum faciunt dos, edificatio, fundus ». Quod si tres concurrant, quorum alter fundum concedat, alter propriis sumptibus Ecclesiam extruat, alter dotem ex propriis bonis det cum consensu Ordinarii, omnes jure patronatus potiuntur. — *Modi originarii extraordinarii* sunt *praescriptio*, et *privilegium*. Praescriptio requiritur immemorialis, et pluribus praesentationibus firmata, quae exitum habuerint; in dubio vero probare oportet titulum, praesentationes per annos 50 semper effectum fnisse assecutas. Ad privilegium quod attinet, juxta canones tantum a Romano Pontifice elargiri potest. — Modi acquirendi jus patronatus *derivativi* snnt illi, qui ab originariis procednnt, et per quos jus in alios transit, v. g. successio haereditaria, donatio, emptio, venditio, oppignoratio, locatio, conductio, si fundo adhaereat, idest si sit reale: interim tamen pretinm rei propter jus patronatus augeri nequit, aut illnd per se vendi; quia tunc res spiritualis, vel spirituali adnexa,

(1) Schenkel Inst. I. E. P. II. Sect. I. c. 2. art. 1. §. 512. p. 138., Concil. Trid. Sess. 25. c. 9.

quod fieri non potest, tacite venderetur. Potest tamen jus patronatus cum consensu Episcopi vel permutari, vel donari (1).

### §. 87. *Modi, quibus jus patronatus amittitur.*

Jus patronatus amitti potest vel *ex delicto*, vel *sine delicto*. Ex delicto amittitur jus patronatus: 1 Si patronus per se, vel per alios beneficiarium occidit, aut mutilat. 2 Si bona Ecclesiae usurpat, et in proprium, vel alienum usum convertit, aut eisdem grave damnum infert. 3 Si illud separatim vendit; quo in casu pretium ab emptore solutum Ecclesiae cedit. 4 Si a fide catholica deficit, et ad castra haereticorum transit. — Sine delicto jus patronatus cessat extincta familia, si est familiare, si patronus Ecclesiam *collegialem*, vel *conventualem* sine juris reservatione fieri patiatur, si Ecclesiam reparare, et conservare recusat, si juri suo renuntiat, destructo praedio cui inhaeret, collapsa vel incendio consumpta Ecclesia, cui jus patronatus competit, aut si Ecclesia praescriptione libertatem suam adversus patronum nanciscitur, tandem suppresso beneficio (2).

### §. 88. *Observanda quoad beneficia juris patronatus.*

Circa beneficia juris patronatus sequentia observanda veniunt: 1 Patronus, habita vacantis beneficii notitia, institutoque, ubi usu receptus est, concursu, digniorem inventum intra legitimum tempus praesentare debet ei, qui jus instituendi in beneficio habet. 2 Patronus ecclesiasticus intra sex, laicus intra quatuor menses praesentare tenetur; laicus re adhuc integra variare potest, et successive plures praesentare, qua facultate caret ecclesiasticus, quoniam in eligendo clerico, quem afferat, laico peritior esse censetur, et longius tempus ad deliberandum est ei concessum: si ecclesiasticus indignum praesentat, eo ipso jure suo excidit, non item laicus, modo terminus praefixus non sit elapsus. 3 Si patronus intra tempus praescriptum non praesentat, jus conferendi beneficium ad Episcopum devolvitur, nisi forte impedimentum ostendi possit, aut praesentatio absque patroni culpa effectum sortita non sit. 4 Si plures simul sumpti; v. g. collegium ec-

(1) C. 25 de jure patron. Concil. Trid. Sess. 25. c. 9. de ref. cap. 2 de reb. Eccl. non alien. in 6. c. 3. 8. 12. 16. de jure patron. (2) C. 12. de poenis c. 10. de haeres. c. un. de Jurepatr. in 6. c. 15 de jure patron., Benedict. XIII Const. Pius, et misericors 59. §. 7. p. 398. t. 11., Bullar. Rom., Devoti I. E. Sect. IV p. 330.

clesiasticum, jus habeant praesentandi, nisi specialis consuetudo obstat, sub poena nullitatis actus praesentatio fieri debet per actum capitularem, et vota absolute majora, aut alternis vicibus per unum ex habentibus jus suffragii, seu per turnum, ut vocant. 5 Si pluribus singillatim sumptis hoc jus competat, et de persona praesentanda non conveniant, ea instituenda erit, cui majora favent suffragia; in paritate vero votorum, Episcopus dignissimam ex praesentatis beneficio praeficiet. 6 Ad removenda dissidia possunt plures patroni, aut unius patroni haeredes alternis vicibus jus praesentandi inter se dividere. 7 Orta inter patronos lite de jure patronatus, intra tempus praesentationi praescriptum haud finienda Episcopus suo arbitratu provisorie in beneficio collocabit Clericum, cui, vincens, sine justa causa praesentationem denegare non poterit. 8 Praesentatum *jure primigenio, et proprio* solus Episcopus potest instituere, *jure communi*, et quasi *derivativo* Vicarius generalis, et sede vacante Capitulum Canonicorum, eoquod institutio sit jurisdictionis necessariae, quae transit in Capitulum: possunt quoque instituere Praelati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, quoad beneficia sui territorii exempti, nec non aliae personae et communitates ecclesiasticae ex speciali privilegio, praesciptione, consuetudine etc. (1).

## §. 89. *Modi extraordinarii perveniendi ad beneficia minora.*

Modi extraordinarii perveniendi ad benefieia minora sunt *permutatio, translocatio*, et *collatio beneficii ex jure devolutionis.* Permutatio est mutua beneficiorum resignatio facta in manus Episcopi ea conditione, ut alter alterius beneficium consequatur vel uterque ab suo in alterius beneficium transferatur. Ut permutatio legitime fieri possit requiritur: 1 Justa causa, quam in necessitate aut utilitate Ecclesiae canones reponunt; 2 Auctoritas Episcopi, cujus est justitiam causae cognoscere; et quidem ita, ut si permutatio fiat citra Episcopi consensum et auctoritate privata permutantium; uterque suo privatur beneficio; 3 In beneficiis *jurispatronatus* consensus patroni, et *in electivis* Capituli; 4 Ut alter alterius beneficium reapse con-

(1) Concil. Trid. Sess. 24. c. 18. de ref. c. 5. de concess. praebend. C. un. de jur. patron. in 6. c. 12. 22. 27. eod. tit. c. 6. de iis, quae fiunt a Praelat. c. 5. 19. et c. 10 de jure patron. c. 4. de offic. jud. ordinar. Clem. 2. de jurepatr. Cap. 5. et 27. de Jurepatr. cap. 5. de jure patron. Concil. Trid. Sess. 24. c. 12 de ref. c. 5. de instit. et c. 1. eod. in 6. c. un. de maj. et obed. in 6. c. 6. de inst.

sequatur; unde uno permutantium praemoriente non censetur facta permutatio; 5 Ut in Ecclesia publice promulgetur, prout praecipit Gregorius XIII. Cum quilibet permutans resignet sub conditione consequendi alterius beneficium, si conditio non impletur, resignatio est irrita.

Translocatio Clerici ab uno ad aliud beneficium, quae fit, ut ajunt, ex officio, Clerico non petente, ob *defectus vel physicos* vel *morales* decernitur. In casu priori locum habere nequit, nisi Clerico consentiente; nemo enim ob senium, aut corporis infirmitatem invitus a beneficio est amovendus. Si vero animarum pastor ob loci molestias officio sacro ibidem exsequendo aptus non sit, et propterea cum ejus consensu ad locum suis viribus magis adcomodatum transferatur, id fieri debet servato gradu sive parochi sive cappellani localis. In casu posteriori est species poenae, locumque habet in delictis, quae etsi reum in eodem loco ad curam animarum inhabilem reddunt, nil tamen obstant, quin emendatus alibi cum fructu laborare possit; hinc Episcopus etiam invitum clericum ex uno loco in alium transferre potest.

Tandem est collatio ex jure devolutionis. Si nempe is, cui jus providendi beneficio vacanti competit, vel praescriptum tempus praetermiserit, vel indignum ad beneficium vocaverit, juri devolutionis locus est, vi cujus Superior pro isto casu singulari beneficium confert. Hac in re: 1 Supponitur negligentia collatoris ordinarii, et notitia inhabilitatis praesentati, quia si legitimum obstet impedimentum, nemo suo jure privari potest. 2 Devolutio fieri debet gradatim, servato ordine hierarchico. 3 Succedit devolutio in locum provisionis ordinariae; hinc Superior easdem in conferendo beneficio conditiones et leges, quibus patronus adstrictus est, servare debet (1).

(1) C. 5. et 7 de rer. permut. c. un. eod. tit. in 6. Clem. un. de rer. perm. c. 10. de transact., Concil. Trid. Sess. 21. c. 2. de ref. c. 5. et 7. de rer. perm. c. 2. de simon. extrav. comm., Van Espen. I. E. Un. P. II. tit. 27. c. 7. n. 14. seqq. c. 8. de rer. permut., Greg. XIII Const. *Humano*, Georg. Rechberger. Tom. 2. Sect. I. §. 122 et 123. p. 111.

# SECTIO II.

## DE REBUS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

### DE REBUS SPIRITUALIBUS, SACRIS, BENEDICTIS, ET RELIGIOSIS.

### §. 90. *Divisio capitis.*

Quaecumque ad Ecclesiam spectant, Ecclesiaeque usibus, fini, ac saluti serviunt, generatim a Canonistis *res ecclesiasticae* vocantur, quae, ut dictum est, in res *spirituales, sacras, benedictas, religiosas,* et *ecclesiasticas stricte tales* dividuntur. Rerum spiritualium nomine hic loci veniunt *Sacramenta, Sacrificium Missae, ritus sacramentales, symbola fidei, indulgentiae, sacra liturgia, dies festi, imagines et reliquiae, jejunia, vota, et juramentum. Res sacrae* sunt, quae cultui divino peculiari consecratione dicantur: *benedictae*, quae benedictione Ecclesiae usibus destinantur. Ab his probe distinguuntur *res religiosae*, seu *loca religiosa,* quae absque consecratione, et benedictione, per auctoritatem tamen Ecclesiae, et *pia*, quae privata solum pietate, et auctoritate religiosis, piisque usibus sacrantur. *Res sacrae* sunt Ecclesiae, Capellae, altaria: *benedictae* coemeteria, campanae, vestimenta: *religiosae, et piae* monasteria, hospitalia, scholae. Totum hoc caput in duos dispescimus articulos, quorum primo de rebus spiritualibus, secundo de rebus sacris, benedictis, religiosis, et piis agimus.

## ARTICULUS I.

### DE REBUS SPIRITUALIBUS.

### §. 91. *Notio, vis, natura, numerus, materia, et forma Sacramentorum.*

Sacramentum in sensu ecclesiastico sumptum est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram sanctificationem divinitus institutum. Ad Sacramentum igitur pertinent divina institutio, visibile signum, et invisibilis gratia, quae externo illo signo confertur, et designatur. Nam divinus humani generis Salvator, ut quae occulta ejus virtute efficiuntur, facilius imbecillitas, fragilitasque creaturae rationabilis intelligeret, eam ipsam virtutem designavit signis, quae sub sensus cadunt, eaque esse voluit quasi pignora divinarum promis-

sionum, et remedia ad animarum salutem vel tuendam, vel recuperandam, et vincula christianae societatis, notasque, et symbola, quibus ejus fidem testatam faceremus, quibusque fideles internoscerentur. Sublatis Christi morte sacramentis, et caeremoniis Haebreorum, quoniam cessare oportebat umbras adventu ejus, quem figurabant Sacramenta christiana, jam nati Mediatoris symbola, Christus Dominus instituit. Ea vero nec plura, nec pauciora, quam septem esse, scilicet Baptismum, Confirmationem, Poenitentiam, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, explorata fidei doctrina est. Sacramentum duabus veluti partibus constat, signo sensibili, quod sub sensus cadit, et gratia invisibili, quae sensus fugit. Signum sensibile constat *ex materia, seu ex re*, qua Sacramentum conficitur, et *ex forma*, nimirum *ex verbis*, quae in eo conferendo adhibentur. Atque in hoc ritu, qui ex rebus, et verbis divina auctoritate conficitur, consistit sacramentum, cum res a verbis sejunctae non sint sacramenta, sed per verba ad sacrum usum determinentur. Materia dividitur in remotam, et proximam. Remota est res ipsa, v. g. aqua, oleum; proxima est rei usus, uti ablutio, unctio. Formam constituunt verba, quae in sacramenti administratione proferuntur; estque duplex, nempe absoluta, et conditionata. Forma absoluta adhibetur in Sacramentis, quae iterari non possunt; conditionata in iis, quae iterari queunt, cum incertum est an sacramenta recte fuerint collata, vel non (1).

## §. 92. *Sacramentum Baptismi.*

Primus ex septem novae legis sacramentis est Baptismus, qui ita dicitur a graeco verbo Βαπτιξω, *mergo, lavo*. Per baptismum homines membra Ecclesiae Jesu Christi evadunt. Triplex baptismus distinguitur, *aquae, sanguinis*, et *flaminis*, seu *desiderii*. Baptismus aquae vere sacramentum est, reliqui duo vicem baptismi praestant, et ideo per similitudinem ejus nomen acceperunt. Materia baptismi est aqua naturalis: forma apud Latinos sunt verba: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Caeremoniae ab Ecclesia praescriptae, quas sine piaculo omittere, aut immutare nemini licet, in libris Ritualibus, atque in Catechismo Romano describuntur. Dum baptismus confertur adhibendi sunt *Patrini*, hoc est *Sponsores*, aut *Fidejussores*, qui pro baptizato spondent, ac fidejubent, unde horum nomen deductum est; quique in an-

(1) Gratian. in Can. 32. dist. 2. de Consecr. Concil., Trid. Sess. 7. can. 1., Joannes Devoti Inst. I. E. t. 2. tit. 1. tit. 2. p. 1-12.

tiquis monumentis etiam *Susceptores* vocantur, quod ex aqua prodeuntes susciperent. Eorum est baptizandos ministris offerre, eosque ex sacro fonte suscipere, pro infantibus ministro interroganti respondere, adultos edocere; quid ipsi ministro respondere debeant, curam eorum gerere, atque ipsos in re christiana erudire. Unus tantum in baptismo admittendus est patrinus, vel ad summum vir unus, et una mulier, ne cognationis spiritualis impedimentum multiplicetur. Ab hoc munere repelluntur infideles, haeretici, publice excommunicati, aut interdicti, publice criminosi, aut infames, mentecapti, et qui fidei rudimenta ignorant: item vetantur hoc munus gerere parentes, et Monachi. Sacramenti hujus minister ordinarius est Episcopus, et Sacerdos; extraordinarie etiam Diaconus de licentia Episcopi, aut Sacerdotis potest Baptismum administrare. In casu necessitatis omnes et mares, et foeminae recte baptizant; verum neque mulier praesente viro, neque laicus praesente clerico, neque clericus, cum adest Sacerdos, sibi sumere hoc munus debent. Etiam haeretici, et infideles valide baptismum administrant, dummodo habeant propositum faciendi id, quod facit Catholica Ecclesia (1).

## §. 93. *Sacramentum Confirmationis.*

Ex historia ecclesiastica patet, per plura saecula Sacramento baptismi junctum fuisse Sacramentum Confirmationis, quo baptizati copiosissimis Spiritus Sancti donis corroborantur, ut fidem firmiter teneant, fortiterque profiteantur. Nimirum baptismo initiati, quasi infantes sunt, quos novae virtutis robore firmiores efficere oportet, ut impetus hostium comprimant, et fidei adhaereant. Solum baptizatis conferri potest Confirmationis Sacramentum, quia baptismus est janua reliquorum Sacramentorum. Materia Sacramenti Confirmationis est manuum impositio et Chrisma, seu unguentum ex oleo olivarum, et balsamo confectum. Forma reponenda est in verbis: *signo te signo crucis , et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti.* Ordinarius hujus Sacramenti minister est Episcopus; extra ordinem, atque ex supremae potestatis ecclesiasticae delegatione etiam Presbyter hoc sacramentum recte administrat. In Confirmatione quoque adhibetur patrinus, et matrina, qui confirmandos offerunt, et

(1) Catech. Rom. P. II. c. 2. §. 60 et seqq., Concil. Trid. Sess. 7. can. 13., Martenius de Antiq. Eccl. rit. l. 1. c. 1. art. 16. n. 11., Concil. Trid. Sess. 24. c. 2. de ref. matr. Concil. Mog. an. 813. c. 55. col. 1016. l. 4. Collect. Harduin., Vid. Joan. Devoti Inst. J. C. t. 2. Sect. 1. de Baptismo.

cognationem spiritualem cum confirmato illiusque patre, et matre contrahunt. Episcopus facta unctione, leniter confirmati genas percutit, ut innuat, illum debere esse paratum ad omnia adversa pro Christi nomine invicto animo toleranda, eique pacem impertit; denique ejus frons bombyce diligenter abstergitur. Sacramentum Confirmationis vocatur etiam *Chrisma, Unctio, signaculum Domini, et manuum impositio*, et confertur potissimum in Pentecoste, quoniam hoc maxime die Apostolos Spiritus Sancti virtute roboratos, et confirmatos fuisse constat (1).

## §. 94. *Sacramentum Eucharistiae.*

Fidelibus baptizatis, et confirmatis, modo digni essent, semper in Ecclesia Christi Sacramentum Eucharistiae administrabatur. Est autem *Eucharistia*, quod vocabulum graecum latine *gratiarum actio* redditur, Sacramentum, per quod Christi Corpus, et Sanguis sub specie panis, et vini sumitur. Nihil est in Christiana Religione sanctius, nihil excellentius hoc inenarrabili mysterio, in quo Salvator optimus non fontem tantum gratiarum nobis aperuit, sicut in caeteris Sacramentis, sed semetipsum nobis dedit, et per consequens omnes divitias sui erga nos amoris effudit. Materia hujus admirabilis Sacramenti est panis ex tritico, et vinum de vite; azimo utitur Ecclesia Latina, Graeca fermentato. Formam constituunt verba: *Hoc est corpus meum*, quibus panis; *Hic est calix sanguinis mei*, quibus vinum consecratur; id est panis, et vinum commutantur in Corpus et Sanguinem Jesu Christi, quam mirabilem conversionem *transubstantiationem* vocamus. Minister Eucharistiae est solus Sacerdos. Eucharistiam a Sacerdote consecratam extra ordinem etiam Diaconi distribuere possunt. Secundum hodiernam disciplinam soli Sacerdotes Eucharistiam administrant, et jus parochorum ad viaticum, et paschalem communionem redactum est. Primis Ecclesiae saeculis fideles, qui Missae Sacrificio intererant, plerumque sub utraque specie communicabant. Refrigescente Christianorum charitate Ecclesia praecepit, ut Christifideles omnes sine sexus discrimine saltem in paschate Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta suscipiant. Modo laici sub specie panis tantum Eucharistiam sumunt, quia fides catholica docet sub una specie integrum suscipi Sacramentum. Quicumque manducat pa-

(1) Act. cap. 8. c. un. de sacr. Unct., Catech. Rom., Pontif. Rom., Benedict. XIV de Syn. dioec., Devoti t. 2. Sect. 2. de Confirm.

nem eucharisticum, et bibit calicem Domini indigne, reus est Corporis, et Sanguinis Domini, et judicium sibi manducat, et bibit. Cum igitur ex sacrae Encharistiae digna vel indigna sumptione vita, vel mors, salus, vel damnatio pendeat; Ecclesia summopere fuit sollicita, ne contra Domini praeceptum sancta darentur canibus. Hinc a Communione repellendi sunt publice indigni, uti notorie excommunicati, interdicti, publici concubinarii, publicae meretrices, usurarii, blasphemi, sortilegi, et alii ejusdem generis publici peccatores, nisi de eorum emendatione, et poenitentia constet, et publico scandalo satisfecerint (1).

## §. 95. *Sacramentum Poenitentiae.*

Secunda naufragii tabula est poenitentiae Sacramentum, quo Dei gratia peccato amissa recuperatur. Sicut nondum regeneratis ad aeternam salutem est necessarius baptismus, ita necessarium est Sacramentum poenitentiae iis, qui post baptismum in peccatum sunt lapsi. Est igitur Sacramentum poenitentiae illud, quo christianis contritis, confessis, et satisfacere proponentibus absolutio a peccatis post baptismum commissis tribuitur. Integram confessionem peccatorum lapsis post baptismum esse jure divino necessariam, patet ex verbis Christi: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt ». Nam, ut Ecclesiae ministri sciant quae peccata sunt remittenda, quaeque retinenda, necesse est, ut peccator ea confiteatur. Remota Sacramenti poenitentiae materia sunt peccata post baptismum commissa; et quidem lethalia materiam *necessariam*, venialia, aut alias confessa *liberam* constituunt: quasi materia sunt actus poenitentis, nimirum *Contritio, Confessio*, et *Satisfactio*. Forma sunt verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Solos Sacerdotes esse Sacramenti poenitentiae ministros sacrosancta Synodus Tridentina definivit. Episcopus in tota sua dioecesi jus habet Sacramentum poenitentiae administrandi: caeteri vero Sacerdotes subditos, seu objectum potestatis ab Antistite accipere debent. Parochi rite instituti jure proprio, reliqui presbyteri, sive ex saecularibus, sive ex regularibus jure delegato Sacramentum poenitentiae administrant. Concilium Late-

(1) Conf. Card. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 23., Tournely de Sacr. Euch. q. 4. art. 6., Concil. Trid. Sess. 2. de Sacr. Euch. can. 1. et 2., Schenkel Inst. I. E. P. II. Sect. II. c. 1. art. 3. de Sacr. Euchar. in specie §. 630 et seqq. p. 328., Joan. Devoti Inst. J. C. t. 2. Sect. III. de Eucharistia.

ranense IV obligavit singulos fideles annos discretionis assecntos ad confessionem annuam coram proprio animarum curatore, vel de ejus licentia coram alio faciendam temporo paschali sub poena prohibitionis ab ingressu Ecclesiae, et post mortem privationis sepulturae ecclesiasticao (1).

## §. 96. *Sacramentum Extremae Unctionis.*

*Extrema unctio*, qnae et *oleum sanctum* et *oratio cum unctione conjuncta*, et *oleum infirmorum* passim appellari solet, est Sacramentum novao legis, quod graviter decumbentibus administratur, ut per unctionem olei benedicti, et orationem Sacerdotum ministerio eis gratia conferatur, qna peccata, eorumque reliquiao absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias vitandas, morbi incommoda patienter ferenda, et si animae saluti expediverit, valetudo corporis restituitur. Dicitur autem Extrema Unctio, quoniam haec omnium sacrarum unctionum, quas Christus Dominus Ecclesiae commendavit, ultimo administranda est. Materia hujus Sacramenti est oleum olivarum merum ab Episcopo benedictum. Forma consistit in precibus, quas Sacerdos fundit, cum infirmum ungit: « per » istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam » indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti ». Solum Sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, liquet ex verbis S. Jacobi Apostoli: « Infirmatur quis in vobis? In» ducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes » eum oleo in nomine Domini etc.; » et ex Concilio Tridentino, quod definivit: « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, » quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum ungendum » hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos; sed » aetate seniores, ob idque proprium Extremae Unctionis mi» nistrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit ». Si fieri potest, oportet ungere infirmum, cum integris adhuc sensibus utitur. Secundum hodiernam disciplinam aegrotus inungitur post acceptum viaticum. Unctio facienda est in quinque corporis sensibus; urgente vero necessitate unctio unius sensus, vel capitis sufficit. Quoties aliquis incidit in morbum, a quo in vitae discrimen adducitur, toties sacra unctio est repetenda; verum in una eademque infirmitate, semel tantum

(1) Concil. Trid. Sess. 14. cap. 2. de Sacr. Poenit., S. Hieronym. ep. 80. ad Pamach., Joan. 20, 21., Estius 4. sent. dist. 15. §. 2., Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. et 4. de Sacr. Poenit. Sess. 14. can. 10., Concil. Lat. IV. can. 21. de poenit. et remiss., qui incipit: omnis utriusque sexus.

adhiberi debet. Pueris, et amentibus Sacramentum Extremae Unctionis non administratur (1).

## §. 97. *Sacramentum Ordinis.*

Divinus Salvator specialem gratiam per Sacramentum Ordinis largitur iis, qui in sortem Domini vocati Ecclesiae ministerio consecrantur, ut munia ecclesiastica obeant, et animarum saluti prospiciant. Est autem Ordo Sacramentum novae legis, quo potestas confertur munia ecclesiastica pro jure obeundi. Caeremonia per quam potestas datur, *ordinatio* dicitur. Ordines sunt numero septem, quatuor minores, scilicet: *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus*, et tres majores, nempe: *Subdiaconatus, Diaconatus*, et *Presbyteratus*. Ordines minores, et Subdiaconatus fuerunt instituti ab Ecclesia; Diaconatus, et Presbyteratus sunt originis divinae. Presbyteratum, seu Sacerdotium et Ordinem et Sacramentum esse, certum est. Disputant Theologi circa materiam, et formam hujus Sacramenti: nos vero pro nostri instituti genere, missis disputationibus, ne tempus inutiliter teramus, citabimus verba Eugenii IV « materia est illud, per cujus traditionem » confertur ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum » vino, et patenae cum pane porrectionem: Diaconatus vero » per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et » similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium » assignationem. Forma Sacerdotii talis est: accipe potestatem » offerendi Sacrificium pro vivis et mortuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et sic de aliorum ordinum » formis; prout in Pontificali Romano late continetur ». Secundum hoc decretum, materia sunt instrumenta, et libri; forma verba ab Ordinatore prolata. Jus Sacramentum Ordinis administrandi ordinarie ad solum Episcopum spectat; extraordinarie vero cum venia Primatis Ecclesiae universalis etiam Presbyteri Ordines minores, et Subdiaconatum conferre possunt. Episcopi haeretici, schismatici, excommunicati, etsi illegitime, valide tamen Ordines conferunt, modo ordinationem cum legitima potestate, debitoque ritu, materia, forma, intentione perficiant. Subjecta Sacramenti Ordinis soli mares

(1) Rituale Roman. tit. de Extrem. Unct., Concil. Trid. Sess. 14. cap. 3. de Extr. Unct., Catech. Rom. part. 2. c. 6. §. 11., S. Thomas in supplem. 3. q. 33. art. 1., S. Jacobus. c. 5, 14, 15., Concil. Trid. Sess. 14. can. 4., Bened. XIV l. 8. cap. 8.

sunt, non item foeminae, quae, uti Paulus scribit, turpe est in Ecclesia loqui et docere (1).

## §. 98. *Missae Sacrificium.*

Eucharistia non solum habet rationem Sacramenti, sed etiam Sacrificii. Sacramentum a Sacrificio differt, quod illud consecratione perficitur, hoc offertur. Celebratio Eucharistiae a reliquis divini cultus partibus variis jam distincta nominibus, in primis a saeculo IV *Missae* nomen traxit, probabiliter a *missione*, vel *dimissione* populi, ea Ecclesiae latinae formula, quam Diaconus recitabat: *Ite Missa est.* Primis Ecclesiae saeculis solo die dominico Missae sacrificium offerebatur; tardius etiam feria quarta, et sexta ad Martyrum sepulchra. De regula solus Episcopus Missam celebrabat, et Presbyteri tantum Episcopo impedito, vel ex speciali ejus mandato ad sacra mysteria peragenda admittebantur. Furentibus ethnicorum persecutionibus Missae sacrificium in domibus privatis, in locis abditis, in coemeteriis offerebatur. Cum Ecclesia pace et tranquillitate fruebatur, in templis aedificatis ministri altaris rem divinam conficiebant. Antiquiori aevo uni-

(1) Concil. Trid. Sess. 23. de Sacr. Ord. cap. 2., Catech. Rom. P. II. c. 7. §. 12. Benedict. XIV de Syn. dioec. l. 8. c. 9., Eugenius IV, in Decreto Concil. Floren. col. 440 t. 9. Concil. collect. Harduini, Devoti Instit. l. E. Sect. VI de Ordine. *

* *Ordinationes Episcoporum Anglicanorum sunt invalidae, tum ob vitiatam essentialiter formam, tum ob defectum successionis. Etenim Anglicani sub Eduardo VI, anno 1549, abolito Rituali Romano, novum condiderunt, in quo sequens forma ad consecrandum Episcopum praescribitur. Consecrans minister in primis Deum orat, ut servum suum ad ministerium Episcopatus vocatum doctrinae suae veritate instruat, vitae innocentia adornet, eamque largiatur gratiam, ut semper ad Evangelium promulgandum paratus sit. Deinde manus ordinando imponens, pergit: « Accipe Spiritum sanctum, et » excitare memineris gratiam quae in te est per manuum impositionem etc.» Demum sacra Biblia porrigens concludit: « Attende lectioni, exhortationi: » serio meditare omnia, quae in hoc libro continentur etc. » Ex quibus patet nullam in ejusmodi formula consecrandi, offerendi, et ordinandi mentionem occurrere, quemadmodum universa traditio semper tenuit et docuit. Sub Elisabetha Landini in diversorio a Joanne Scorraeo Episcopo Roffensi absque legitima materia, et forma fuit ordinatus Archiepiscopus Matthaeus Parker, a quo reliqui Episcopi Anglicani haeretici descendunt. Narrant scriptores coaevi, Scorraeum impositis Bibliis super caput illius et aliorum trium, qui cum Parkero ordinabantur, haec verba protulisse: « Accipite potestatem » praedicandi verbum Dei in sua puritate ». Idcirco Ecclesia Romana sancivit, ut ministri anglicani ad eam redeuntes, si in Clerum cooptentur omnes ordines suscipere debent.* ( Vid. H. E. Per. V. Cap. VI. §§. 29. et 31. )

ca celebrabatur Missa; verum augescente Christianorum multitudine, in majoribus urbibus, in oppidis, et pagis novae Ecclesiae extructae fuerunt, iisque peculiares Sacerdotes praefecti, ut sacris operarentur. Inde Missae Sacrificium saepius per septimanam, et lapsu temporis in Ecclesia potissimum latina quotidie offerri coepit; imo idem Sacerdos eodem die in diversis altaribus plures missas celebrabat. Ita orta est divisio in Missam *publicam* et *privatam*. Olim Missa publica ea erat, ad quam Clerici omnes, et fideles conveniebant, cum sacrificante offerebant, sacramque communionem percipiebant: hodie Missa publica appellatur, quae cum cantu, rituque solemni peragitur. Publica quoque vocatur missa parochialis, quam omnes animarum curatores saltem diebus festis pro populo, cui praesunt, offerre tenentur. Privata Missa est, quam solus Sacerdos, uno tantum ministrante celebrat sine cantu ac solemnibus caeremoniis. Quae de Missae sacrificio canonibus statuta sunt ad sequentia fere reducuntur: 1 Extra Ecclesiam absque Episcopi facultate Missam celebrare non licet. 2 Pro sacello domestico requiritur Summi Pontificis, vel Episcopi venia, locus decenter praeparatus, et altare portatile. 3 Excepto die Natalis Domini cuivis Sacerdoti semel tantum celebrare Missam est concessum, nisi casus necessitatis dispensationem suadeat. 4 Si casus necessitatis urgeat, ut Sacerdos cum Episcopi dispensatione bis eadem die Sacrificium Missae offerat, in prima Missa non debet sumere ablutionem. 5 Curatores animarum obligantur diebus festis, et dominicis celebrare, et applicare pro populo; item beneficiarii toties, quoties fundationi satisfacere debent: reliqui sacerdotes, qui animarum curam non exercent, et beneficia non possident monentur, ut saltem diebus dominicis, et festivis Missam celebrent. 6 Sacerdotes peregrini, et ignoti absque Episcopi commendatitiis ad Missae celebrationem non admittantur (1).

### §. 99. *Ritus Sacramentales.*

Generatim omnes ritus instituti, ut dignius, et solemnius Sacramenta celebrentur, et administrentur, *Sacramenta-*

(1) Cathech. Rom. Part. II. c. 4. §. 71., I. Cor. 16. 2., S. Just. M. Apol. 2. n. 67. p. 83., S. Epiph. exposit. fid. n. 22., Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 1. seqq., S. Ignat. ep. ad Smyrn. c. 8., S. Justinus M. apolog., Plinius ep. 97. l. 10., Cf. Clementem Rom. ep. 1. ad Corinth. c. 42., Eusebium l. 2. H. E. c. 16., S. Greg. Turon. de glor. Confess. c. 50., Concilium Antidissiodorense c. 10., Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 18., Can. Morinus de sacr. ordinat. pag. 3. exerc. 8. c. 11 et seq., S. Augustinus in Breviar. coll. diei tertiae c. 13., Benedictus XIV Const. 103. §. 2. et seq. Can. 53 de Consecrat. dist. 1.

*les* dici possunt; speciatim autem hoc nomine illi veniunt, qui, veluti Sacramenta, certam *materiam*, et *formam* habent, atque sacrorum ministrum requirunt, quales sunt *unctiones*, *consecrationes*, et *benedictiones*. Sacramentalia a Sacramentis distinguuntur, quod illa ab Ecclesia, haec a Christo originem trahant, illa pietatem augeant, haec gratiam conferant. *Unctio*, cujus materia est vel merum oleum olivarum, vel cum balsamo mixtum, quod sanctum Chrisma dicitur, in consecratione adhibetur. Si oleum praeparatur pro baptismo, *cathecumenorum*, si pro Extrema Unctione *infirmorum* vocatur. Ritus, quo persona, vel res, adhibita sacra unctione, Deo, cultuique divino mancipatur, *consecratio*: quo super personam, vel rem preces ad Deum funduntur, ut illius functiones secundare, hujus vero usum salutarem reddere dignetur, *benedictio* dicitur. Consecrationes fiunt in baptismo per oleum catechumenorum, et chrisma, in confirmatione per chrisma, in sacramento Ordinis per oleum catechumenorum. Episcopi, Ecclesiae, arae, calices, patenae recipiunt consecrationem per chrisma. Fons baptismalis per oleum catechumenorum, et chrisma; campanae per oleum infirmorum et chrisma consecrantur. Omnibus consecrationibus adjunguntur benedictiones. Benedicuntur Abbates, Abbatissae, conjuges, mulieres post partum antequam Ecclesiam ingrediantur, aqua lustralis, subsidia vitae, veluti panis, carnes, herbae, salia, vinum, domus, naves, agri, arma, et vexilla bellica, aliaeque res. Ubi proprius deficit ritus, Romanae Ecclesiae mos sequendus est, nec pro lubitu immutare licet. In Austria non aliae permittuntur benedictiones, nisi quae in Rituali Romano continentur (1).

## §. 100. *Symbola fidei.*

Quod Deus dignatus est hominibus revelare, est veritas fidei divinae, quae si publico Ecclesiae judicio ad credendum proponitur, vocatur *dogma*. Dogma quoddam praecipuum, omnibus ad salutem scitu necessarium est *fidei articulus*. Dogmatum et articulorum breves summulae, aut collectiones dicuntur *fidei symbola*, ceu publica signa, per quae orthodoxi ab infidelibus, et sectariis distinguuntur. Symbola possunt esse vel *publica* vel *privata*: *publica* sunt, quae integris communitatibus publica auctoritate proponuntur, *privata*, quae singulorum fidelium confessionem liberam, et exactam continent. Primis Ecclesiae saeculis inter *publica* eminebat sic di-

(1) Cap. un. §. 6. §. 3. 4. §. 8. can. 18. dist. 3. de consecr., Schenkl Inst. I. E. P. II. Sect II. c. 1. art. 8. p. 499.

ctum *Apostolicum*. Huic proxime accedebant: *Romanum*, in Ecclesiis Occidentis, uti credibile est, vulgare, et illo priori brevius concinnatum, *Aquilejense, Orientale*, et *Antiochenum*. Ad *privata* spectabant S. Irenaei, et Tertulliani haereticis opposita, S. Gregorii Thaumaturgi, et Origenis. Hodie in Ecclesia catholica sex numerantur symbola, quorum alterum ab altero distinctius praecipua dogmata catholica exhibet, et quidem: 1 Symbolum Apostolorum, quod duodecim continet fidei articulos, et ab omnibus Christifidelibus recitatur. 2 Concilii Nicaeni, quo divinitas Jesu Christi contra Arium fuit definita. 3 Concilii Constantinopolitani I, quod in Missis decantatur, apertiusque divinitatem Spiritus Sancti contra Macedonium declarat. 4 Concilii Lateranensis IV, quo clarius mysterium SS. Trinitatis exponitur, atque in capite libri primi decretalium positum est. 5 Concilii Tridentini, quod idem est cum symbolo constantinopolitano, exceptis declarationibus adjunctis contra errores posteriorum haereticorum. Auctor proprie est Summus Pontifex Pius IV, qui illud in Bulla, quae incipit: *Injunctum nobis*, anno 1564 promulgavit. Fuit etiam decretis Concilii Tridentini insertum, et ubique qua regula fidei legitima receptum (1).

## §. 101. *Indulgentiae.*

*Indulgentia est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus quoad culpam remissis, facta extra Sacramentum ab eo, qui potestatem habet dispensandi thesaurum Ecclesiae.* Dicitur *poenae temporalis remissio,* quia per Indulgentiam non remittitur culpa, sed poena tantum temporalis, quae pro peccatis actualibus jam remissis lui debet vel in hac vita, vel in Purgatorio; dicitur *facta extra Sacramentum*, quia concessio Indulgentiarum est actus jurisdictionis externae; dicitur tandem *ab eo, qui potestatem habet dispensandi thesaurum Ecclesiae,* quia reapse in Ecclesia Catholica datur thesaurus inexhauribilis constans ex meritis, et satisfactionibus Christi, B. V. Mariae, et omnium Sanctorum. Hujus thesauri ex Romanis Pontificibus omnium primus mentionem fecit Clemens VI his verbis: « Unigenitus Dei Filius ..... thesaurum militanti » Ecclesiae acquisivit ..... ad cujus quidem thesauri cumu- » lum B. Dei Genitricis, et omnium electorum a primo justo

(1) S. Hieronym. ep.61. ad Pamach.,Rufinus exposit. in symbol. apost., De Rubeis Monum. Eccl. Aquil. p. 67. Conf. Jo. Ludovicum Ruelium Concil. illustrat. T. I. p. 904.,S. Iren. adv. haer. l. 1. c. 10.,Tertullian. de veland. virg. c. 1. adv. Prax. c. 2. de praescript. c. 13., Gregor. Thaumat. exposit. fid. p. 1.,Orig. praef. ad περὶ ἀρχῶν p. 47. seq. T. I. Opp. ed. Bened.

» usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur ». Ecclesia a Christo potestatem accepit remittendi peccatoribus et tempus, et opera poenitentiae, seu Indulgentiam largiendi, cujus usus populo christiano maxime salutaris est. Sacramentalis absolutio veniam peccati tribuit; indulgentiae peccatorem liberant a poenis temporalibus, in quas aeternae vi Sacramenti commutantur. Indulgentia vel integram relaxat poenam, vel ejus partem; idcirco vel *plenaria* est, vel *partialis*. Secundum hodiernam disciplinam Summi Pontifices indulgentias plenarias, Episcopi partiales largiuntur. Indulgentiae possunt applicari tam vivis, quam defunctis; sed illis per absolutionis, his per suffragii modum (1).

## §. 102. *Sacra Liturgia.*

*Liturgiae* nomine modo divinum sacrificium, tanquam pars illius praecipua intelligitur, et Graeci adhuc liturgiam vocant, quam nos Missam appellamus. Sensu tamen latiori *Liturgiam sacram*, seu divinum officium constituunt actus, et ritus, orationes, et preces, quibus Ecclesia ad excitandum, firmandum, augendumque cultum Dei internum utitur. Liturgia, ut in actibus et ritibus tacitam, ita in orationibus et precibus expressam fidei professionem exhibet. Insignem Liturgiae partem efficiunt statae ac solemnes preces, de quibus jugiter fundendis, psalmis et hymnis in Dei laudem canendis, Christi et Apostolorum exempla, et praecepta habemus. Maximi momenti est, ut, quoad fieri potest, una atque constans sit Liturgia. Concilia, et Summi Pontifices decreverunt, ut Episcopi, iisque subiecti Ecclesiarum rectores in divino officio eundem ac Ecclesia Metropolitana ordinem observent; omnes autem ad Ecclesiam Romanam se conformare studeant. Inde a Religionis christianae exordio semper Ecclesia orientalis graeca, Occidentalis latina lingua liturgiam celebrare consuevit. Orationes ac preces liturgicas, cum fidei dogmatibus tam arcte conjunctas, linguarum vulgarium vicissitudinibus subjicere, ut nonnulli peroptant, haud foret consultum. Jus praescribendi, quae qualesque preces, cantiones, et lectiones pro varia sacrorum ratione faciendae sint, est penes Ecclesiam. Nihilominus singuli Episcopi non habent potestatem immutandi,

(1) Ferraris Biblioth. vox *Indulgentia.*, Clemens VI Const. Unigenitus apud Raynold. ad an. 1349 n. 11 Concil., Trid. Sess. 25. Decret. de Indulg., Extrav. 2. de Poenit. et remiss. int. Communes, Benedictus XIV in Const. Peregrinantes 17. §. 43. ejus Bull. p. 75.

aut abrogandi linguam, et liturgiae partes, quae totius Ecclesiae assensu probatae, et usquequaque usu receptae sunt (1).

## §. 103. *Dies festi.*

Praeter diem dominicam alii quoque dies divini Salvatoris, Beatissimae Virginis Mariae, et Sanctorum honoribus consecrati sunt. Festa alia sunt *mobilia*, alia *immobilia*, prout vel certis semper anni diebus, vel diversis celebrantur. Celeberrimum festum mobile est festum Paschatis, a quo reliqua mobilia pendent. Festa immobilia sunt festa Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, B. V. Mariae, et Apostolorum. Praeterea quaedam festa sunt *communia*, et quaedam *particularia*; communia ab omnibus catholicis, particularia a certis tantum civitatibus, vel provinciis, vel nationibus observantur. Ad celebrationem festorum quod attinet, duplex semper fuit Ecclesiae praeceptum, *affirmativum* nempe, et *negativum*. Affirmativum praecipit festos dies sanctificare, hoc est non tantum sacrosancto Missae Sacrificio corpore et spiritu interesse, sed etiam verbum Dei audire, laudes divinas canere, aliaque Religionis officia implere: *negativum*, ad exemplum legis mosaicae interdicit opera, quae animum a Deo abstrahunt, et impediunt quominus Christiani cultui divino, sacrisque operentur, et hoc ipso *ferias*, seu laborum requiem imperat. Imperatores christiani praeceptum negativum legibus ita firmarunt, ut dies festi in Ecclesia etiam festi in foro, et feriae ecclesiasticae simul *civiles* essent. Sane justum est rationi consentaneum et sanitati proficuum, ut certos quosdam dies cultui divino consecremus, Deum immortalem, a quo tot beneficia accepimus, agnoscamus, colamus, ac veneremur, et ab operibus servilibus, quae olim apud Romanos praesertim a servis gerebantur, abstineamus. Igitur Ecclesia Catholica praecepto positivo sub poena peccati mortalis fidelibus imponit obligationem diebus festis sacra *antimeridiana* et *postmeridiana* frequentandi. Ad illa Missae Sacrificium, et conciones spectant: haec in publica catechesi, et vesperarum solemnitate consistunt. Lege vero negativa vetat operibus rusticis, et mechanicis, nundinationibus, et negotiis forensibus vacare, nisi ejusmodi quid agere vel necessitas urgeat, vel pietas suadeat. Actus judicia-

(1) Luc. 18, 1., Matth. 26, 30. I. Thessal. 5. 17. Ephes. 5, 19. Can. 55. dist. 1. de cons. Can. 13. 14. dist. 12. Can. 21. dist. 1. et Can. 31. dist. 2. de consecrat. Can. 11. dist. 11., Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8. et can. 9. de Sacrif. Miss., Paulus V in Praef. ad Ritual. Rom.

les non solum prohibiti, sed ipso jure nulli sunt. Urgente necessitate, veluti si fruges, foenum etc., ingenti periculo subsint, aut praeclara sit occasio piscandi, Epicopus habet jus dispensandi, et sub praesumpta licentia potest dispensare etiam parochus. Potestas dies festos introducendi est penes Ecclesiam, et potissimum penes Romanum Pontificem, qui in universam Ecclesiam jurisdictione pollet. Obortis ob festorum multitudinem querelis Benedictus XIV quosdam dies festos sustulit quoad abstinentiam tantum a laboribus servilibus: Clemens vero XIV Christifideles etiam ab obligatione audiendi sacrum solvit (1).

## §. 104. *Imagines, et Reliquiae.*

« Sacrosancta Synodus Tridentina mandat omnibus Episco-
» pis, et ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut jux-
» ta catholicae , et Apostolicae Ecclesiae usum , a primaevis
» Christianae Religionis temporibus receptum, Sanctorum Pa-
» trum consensiouem, et Sacrorum Conciliorum decreta in pri-
» mis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum
» honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instru-
» ant; docentes eos Sanctos, una cum Christo regnantes, ora-
» tiones suas pro hominibus Deo offerre: bonum, atque uti-
» le esse suppliciter eos invocare , et ob beneficia impetran-
» da a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum no-
» strum .... ad eorum orationes, opem, axiliumque confu-
» gere ». Imagines et reliquiae sacrae in memoriam nostram revocant caelestis patriae cives, quibus honorem, et reverentiam exhibere tenemur, quoniam illorum ope, et orationibus multa beneficia a Deo obtinere possumus. Quod si eos pie asservamus , magni facimus, et veneramur non credimus eis vim juvandi inesse, aut propter se cultum esse exhibendum; sed ut fidei, virtutisque christianae exempla ante oculos habeamus, et honorem, quo Sanctos prosequimur, palam significemus. Usus sacrarum imaginum, et reliquiarum a primordiis Ecclesiae repetitur. Majores nostri tanta veneratione Sanctorum Reliquias prosequebantur , ut earum contactum *sanctificationem* et *benedictionem* crederent ; erantque solliciti, ut

(1) I. Cor. 16, 2. Act. 20, 7. Apoc. I, eo. Can. 13. dist. de consecr. Can. 11. dist. 12. Can. 1. dist. 3. de consecr. Can. 62. dist. 1. et can. 16. dist. 3. de consecr. L. 3. 7. 11. Cod. de fer. Can. 1. 2. 3. XV. q. 4. L. 3. Cod. de fer. cap. 5. eod., Cathech. Rom. part. 3. praec. 3. cap. 4. §. 25. §. 26. Cap. 3. de fer. Vid., Const. *Universa* Urbani VIII in Bullar. l. 6. p. 341. et Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. de Regular., Bened. XIV., Const. *Non multi* 63. in ejus Bullar. t. 2. p. 303.

conditoria serico, auro, et argento essent ornata. Reliquias vero thecis inclusas, et collo appensas semper Christiani gestare consueverunt. Circa imagines, et reliquias Concilium Tridentinum statuit, ut in earum cultu omnis superstitio et abusus vitetur, nulla insolita imago in Ecclesiis aut aliis locis collocetur, nullae novae reliquiae recipiantur, nisi ab Episcopo recognitae et approbatae fuerint (1).

## §. 105. *Jejunia.*

Quamquam Christus Dominus nullam dissertam legem dederit, qua suis asseclis obligationem jejunandi imposuisset; attamen jejunans ipse in solitudine per quadraginta dies exemplum eis dedit. Apostoli divini Magistri vestigia imitantes crebris se jejuniis exercebant. Fideles Apostolos sequuti frequenter jejunabant. Ita consuetudo jejunandi in Ecclesiam Christianam introducta est, eum in finem, ut corpus affligatur, et peccata commissa expientur. Est autem jejunium ecclesiasticum abstinentia a carnibus, et quibusdam aliis alimentis ab Ecclesia imperata cum unica refectione tempore designato sumenda. Diebus jejunii in primis abstinendum est a carnibus, ovis, et lacticiniis: in quisbusdam tamen regionibus, veluti in Austria, et Germania, ex particulari consuetudine, vel privilegio licet vesci ovis, lacte, butyro, caseo et quidquid ex lacte conficitur. Unica tantum refectio moraliter continuata permittitur. Ex longaeva tamen universali consuetudine, tacito legislatorum consensu approbata, praeter dictam refectionem est licita serotina collatiuncula in sublevamen corporalis infirmitatis, quae mundo senescente magis augetur. Tempus refectionis sumendae canonibus praescriptum in quadragesima est vespertinum. Nihilominus ob naturae humanae semper magis declinantis infirmitatem Mater Ecclesia indulsit refectionem illam ad meridiem, retento ob memoriam antiquitatis coenae nomine, et collatiunculam ad vesperas, praecipiens, ut in Quadragesima Vesperae dicantur ante refectionem meridianam, quia olim non erat licitum ante vesperam coenam sumere. Dies jejunii praescripti non sunt confundendi cum diebus abstinentiae; etenim diebus jejunii unica refectio circa meridiem, et vesperi *collatio*, quae ex cibis esurialibus frugaliter constare debent, conceduntur, diebus vero absti-

(1) Concil. Trid. Sess. 25. de invocat. Reliq. Sanct. et Sacr. Imag. Can. 27. 28. dist. 3. de consecr., S. Greg. Niss. orat. in S. Theod., S. Chrysost. orat. de S. Ignat., Prudentius Glor. Mart. c. 85 et 81. p. 816., Cf. Devoti l. 2. tit. 8. p. 327.

nentiae tantum usus carnium interdictus est, adeoque licet etiam saepe de die edere. Jejunia praescripta sunt: 1 *Quadragesimale*, seu *antipascale*, quod olim sex hebdomadibus constabat, hoc est diebus triginta sex, quibus Ecclesia Romana diem cinerum, et tres sequentes addidit, ita ut hodie numerum quadraginta dierum ante pascha complectatur. 2 *Jejunia quatuor temporum* feria quarta, sexta, et Sabbatho post tertiam dominicam adventus, post primam dominicam Quadragesimae, post Pentecosten, ac mense Septembris. 3 In vigiliis quorumdam festorum principalium, v. g. Nativitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariae, Immaculatae Conceptionis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Antiquis temporibus Christiani pridie festorum maxime solemnium, ex. g. Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariae, singulorum Apostolorum etc. in templis agebant vigilias de nocte orantes et psallentes. Abolitis vigiliis, remansit jejunium servandum. Abstinentia a carnibus est praescripta diebus Veneris, et Sabbathi totius anni, et diebus dominicis in Quadragesima. Ad jejunium lege tenentur omnes, qui vigesimum primum aetatis annum expleverunt, nisi sint infirmi, aut justis ex causis legitime dispensati; ad abstinentiam vero ab esu carnium obligantur, qui septimum aetatis annum sunt assecuti. Animadvertendum est, quod quibus est permissus usus carnium, ii diebus jejunii, praesertim in Quadragesima unicam refectionem servare debeant, neque cum carnibus pisces miscere, aut in vespertina collatiuncula carne vesci possint (1).

## §. 106. *Votum, ejusque cessatio.*

Votum est spontanea, et deliberata promissio Deo facta de bono meliori. Deo promittere licet rem honestam, et salutarem, physice, et moraliter possibilem, ad quam praestandam nulla lege tenemur. Hinc turpitudines, peccata, res physice, et moraliter impossibiles, obligationes non possunt esse materia voti. Votum dividitur in *personale*, quod voventem tantum obligat, et per alium impleri nequit, nisi successor defuncti obligationem sponte suscipiat, et *reale*, de re nempe in gratiam tertii praestanda, quod tertio, in cujus gratiam factum est, jus tribuit, rem voto promissam, a vovente, ejus-

(1) Cap. *Statuimus* dist. 4. Cap. *Utinam* dist. 70. Concil. Tolet. 2. c. 9., Ferraris Biblioth. Vox *jejunium*. Can. 6. §. 2. dist. 4. Can. 50. dist. 1. de consecr. cap. 13. de temp. Ord. Can. 9. dist. 44. Can. 1. 3. dist. 3. de consecr. Can. 9. dist. 76. Cap. 1. 2. Benedict. XIV Const. *Non ambiginus*. Cap. 14. de V. S. Benedictus XIV Const. 19 et Const. 99., Schenkl, Part. II. Sect. II. cap. I. Art. 10 §. 735 — 738. p. 527 — 529.

ve haeredibus exigendi. Votum personale potest esse vel *solemne,* vel *simplex.* Solemne est illud, quod solemnizatur per Sacramentum Ordinis, vel professionem religiosam in Ordine a Sede Apostolica approbato: simplex dicitur illud, quod privata emittitur devotione sine ulla solemnitate. Votum solemne eam vim habet, ut actus sibi oppositos irritos reddat; simplex efficit, ut actus sibi contrarii sint tantum illiciti. Praeterea votum est vel *purum,* vel *conditionatum.* Purum vocatur illud, quod emittitur sine ulla conditione. — Votum cessat: 1 *Cessante objecto*, cum nempe rerum adjuncta ita mutantur, ut voti observatio physice, vel moraliter impossibilis reddatur, aut credi possit, voventis intentionem se ad illa adjuncta non extendisse. 2 *Commutatione,* qua opus in aliud manifeste melius commutatur. Si bouum est ejusdem generis sicut voti materia, et opus manifeste melius, ipse vovens votum commutare potest, v. g. si laicus voveret castitatem, et postea emitteret votum vivendi in monasterio. Si vero opus sit aequale, vel minus bonum, vel alterius generis ac erat materia voti prioris, Episcopi auctoritas requiritur. 3 *Irritatione,* cum is, cui voluntas voventis, vel materia voti subjecta est, illud non jure factum, adeoque nullum esse declarat, v. g. pater liberi, maritus uxoris, superior regularis votum irritare potest. 4 *Dispensatione,* per quam ob justam, et rationabilem causam vinculum voti tollitur ab habente jurisdictionem in voventem. Facultatem ex justa, et rationabili causa dispensandi in votis, eaque commutandi habent Episcopi, et ii praelati, qui jurisdictione quasi episcopali pollent, exceptis quinque votis Summo Pontifici reservatis, nempe perpetuae castitatis, Ordinem ingrediendi, peregrinandi ad limina apostolorum, Hierosolymam, et Compostellam (1).

## §. 107. *Juramentum.*

Juramentum est actus religiosus, quo quis ad firmandam dictorum, vel promissorum veritatem Deum invocat, tanquam testem veri, et vindicem, si sciens vel fefellerit, vel promissis non steterit; unde juramentum in *assertorium* et *promissorium* dividitur. Si de factis praeteritis, et praesentibus fit, *assertorium*, si de futuris, a jurante exequendis, *promissorium*

(1) S. Thom. Aquin. 2.2. q. 88. art. 1., S. Bonavent. in 4. dist. 38. art. 1. q. 1. Can. 1. 17. q. 1. Cap. 6. L. 2. de pollicit. cap. 6. de Test. cap. 18. de censib. cap. un. de vot. et vot. redempt. in 6. Can. 2. XX. q. 4. Cap. 27. de elect. in 6. c. 3. de jurejur. Can. 11. 16. 23. q. 5. Cap. 1. 2. 7., Vid. Ferraris Bibliot. Vox *Votum.*

vocatur. Illud porro, quod coram publica auctoritate praestatur, *publicum*, quod privatim ad firmandas pactiones fit, *privatum* dicitur. Ad firmandam juramenti religionem jurans coram crucifixo vel tangit sacra evangelia, vel dexteram sursum porrigit, vel pectori admovet, et in quibusdam regionibus dicit: « Sic Deus me adjuvet ». Ad jusjurandum requiritur: 1 *Veritas*, seu animus verum dicendi, et promissa explendi ad mentem ejus, qui id exigit, sine cavillatione, distersione, et mentis reservatione. 2 *Judicium*, id est ut jurans cognoscat rem, de qua jurat; et vim jurisjurandi plene intelligat. 3 *Justitia*, nimirum ut rem dicere, et promittere liceat. Juramentum de re injusta, illicita, et turpi est nullum. « Jurabis vivit Dominus, ait Jeremias, in veritate, et in ju-» dicio, et in justitia ». Jusjurandum sequitur naturam actus, cui adjicitur, neque efficere potest, ut actio per se illicita et injusta, licita et justa fiat. A juramento excluduntur omnes, qui vim ejus non intelligunt, veluti infantes, dementes, athei, de perjurio convicti (1).

## ARTICULUS II.

### DE REBUS SACRIS, BENEDICTIS, ET RELIGIOSIS.

### §. 108. *Ecclesiarum origo.*

Inter res sacras eminent Ecclesiae, seu loca ad celebranda divina officia, et publicum sacrae liturgiae exercitium destinata. Origo Ecclesiarum, seu locorum, in quibus res divina conficiebatur, et fideles sacris operabantur, ab incunabulis Christianae Religionis est repetenda. Saeculo II Christianos publicas habuisse Ecclesias, historia ecclesiastica testatur. Postquam Constantinus M. pacem Christianis concessit, forma splendidior exteriorque magnificentia Ecclesiis inducta est. Saeculo IV tantus majores, minoresque Ecclesias aedificandi ardor homines incendit, ut fuerit necessarium vetare, ne quis deinceps id facere auderet sine Episcopi venia. Loca cultui divino dicata appellabantur *Ecclesiae, Domus Dei, Oratoria dominica, Basilicae, Martyria, Tituli, Capellae*, subinde etiam *Sacella* etc. Primis saeculis Christi cultores loca sacra non nominabant templa, quia hoc nomine delubra Ethnicorum vulgo intelligebantur (2).

(1) Can. 2. 22. q. 2. Cap. 26., Gratian. ad Can. 23. Can. 9. ibid. Can. 15. 16. 22. q. 5. Can. 5. 14. q. 1., Jerem. 4., Vid. Schenkl Inst. I. E. Part. 2. Sect. 2. C. 1. art. 13. de Jurejur. (2) Vid. H. E. Per. I. C. 7. §. 2., Euseb. H. E. l. 10. c. 3. Can. 4. Concil. Chalced. apud Gratian. c. 10. caus. 18. q. 2. Novell. 67. c. 1. et 2., Bingham. Orig. Eccl. lib. 8. c. 1. §. 13.

### §. 109. *Extructio, et consecratio Ecclesiarum.*

Ad Ecclesiae extructionem sequentia requiruntur: 1 Justa causa, qualis est necessitas, et populi commodum, distantia Ecclesiarum, pericula viarum, insignium reliquiarum custodia. 2 Auctoritas Episcopi ordinarii, qui causam cognoscat, eos, de quorum praejudicio agitur, audiat, an locus conveniens sit, decidat, lapidem angularem benedicat, crucemque in loco altaris figat. 3 Congruens, ac perpetua dotis assignatio, quae ad Clericos alendos, ad Ecclesiam sartam tectam servandam, ad cultum divinum rite celebrandum sufficiat. 4 In quibusdam regionibus, maxime ubi rationes politicae connexae sunt, consensus principis. - Ecclesiae extructae solemniter a legitimo ministro adhibitis certis symbolis, verbis, et ritibus cultui divino deputandae, et dedicandae sunt, qui actus dedicationis *consecratio*, aut *benedictio* vocatur. Consecratio a benedictione in eo differt, quod in illa unctio adhibeatur, non item in ista. Consecrationem jure communi peragit Episcopus, praemisso jejunio, et servato ritu in Pontificali Romano praescripto; benedictionem etiam Presbyter ex Episcopi delegatione perficere potest. Summus Pontifex etiam Presbyteris consecrationem Ecclesiae committere quit. Benedictio ordinarie adhibetur provisorie, donec consecratio fuerit secuta. Ecclesiae extructae et consecratae, vel benedictae nomen imponitur a patrono, aut a S. Mysterio, cujus festum, uti et anniversaria dies dedicationis, seu *encoenia* quotannis solemniter celebrantur (1).

### §. 110. *Exsecratio, pollutio, reconciliatio Ecclesiae.*

Consecratione, benedictioneve rite facta, Ecclesia ad sacras functiones ibi peragendas idonea efficitur, et semper manet, quousque vel *exsecratione*, vel *pollutione*, inepta non redditur. Exsecratur vero Ecclesia, si data opera profanis usibus deputatur, si interior Ecclesiae crusta decidat, aut parietes quoad majorem partem collabantur; non vero si per partes tantum fuerit renovata. Polluitur autem per homicidium, per iniquam et notabilem sanguinis humani effusionem, aut lethiferam actionem, ex qua deinceps mors extra Ecclesiam sequatur, per lascivam seminis humani emissionem, denique per infidelis, aut excommunicati sepulturam. Polluta Ecclesia pol-

(1) Can. 19. de consecr. dist. 1. Concil. Trid. Sess. 21. c. 4. de ref. Can. 8. de consecr. Eccl. Can. 9. dist. 1. de consecr. Can. 4. Dist. 68. c. 9. de cons. Eccl. Can. 20. 29. de cons. dist. 1., Vid. Van Espen. I. E. P. II. tit. 12. c. 3.

luuntur altaria, et contiguum coemeterium: contra polluto coemeterio non polluitur Ecclesia: item exsecrata, pollutave Ecclesia altaria portabilia haud censentur exsecrata, aut polluta. Ecclesia exsecrata iterato consecrari, polluta reconciliari debet; sed prius cadaver infidelis, vel excommunicati, si discerni possit, ejiciendum est. Reconciliatur autem per Episcopum fusis certis precibus, et aspersione aquae ab ipso benedictae, cui vinum cum cinere et sale mixtum est. Si Ecclesia sit tantum benedicta, reconciliari potest etiam per presbyterum aspersione aquae lustralis. Reconciliata Ecclesia hoc ipso et altaria fixa censentur reconciliata. Ceterum solemnis reconciliatio creditur necessaria, si pollutio fuerit publica (1).

## §. 111. *Capellae.*

Ab Ecclesiis distinguuntur *Capellae*, quae pro sacris extraordinariis, aut privata alicujus familiae devotione eriguntur in civitatibus, in domibus Magnatum, et in agris. Capellae nomen omnibus Ecclesiis minoribus, et non baptismalibus inditum est. Harum aliae sunt *publicae*, quae publicam habent januam, sunt instructae campanula, et ad quas cuilibet patet aditus, aliae *privatae* usui cujusdam Domini, aut familiae devotioni destinatae. Origo Capellarum est antiquissima. A saeculo V domestica Magnatum, et Principum oratoria longe frequentissima evaserunt; quae inter celeberrimum erat illud Regum Francorum in ambitu palatii aedificatum, quod a capa breviori, seu *capella S. Martini*, quae ibidem magno honore una cum aliis reliquiis asservabatur, Capellae appellationem indeptum est. Similes Capellae deinceps in omnibus palatiis, regiisque curiis erectae itidem *Capellae palatinae, regales, regiae*, *dominicae* dicebantur. Publicae nonnisi Episcopi auctoritate erigi possunt, et debent benedici. Hae semel Deo dicatae in usus profanos amplius converti non debent. Ad privatas quod attinet, ut in iis Missae Sacrificium celebrari possit, licentia requiritur Sedis Apostolicae. Hanc in Austria Episcopi largiri solent. Ceterum attendere oportet ad facultatem Capellae privatae, quia plerumque unum tantummodo sacrum et hoc certis diebus, et pro certis personis conceditur ita, ut si aliae personae compareant, Ecclesiae praecepto haud satisfaciant. Facultas erigendi Capellas privatas nonnisi urgente necessitate largiri debet, quia sac-

(1) Cap. 19. dist. 1. de conseer. c. 5. de adult. et c. un. de cons. in 6. Cap. 27. 28. dist. 1. de cons. c. 7. de cons. Eccl. c. 12. de sepult. C. un. de cons. in 6., Cf. Van Espen I. E. P. II. tit. 16. c. 4.

pe fit, ut homines eas habentes ad Missas publicas non compareant, atque ita negligant verbum Dei audire (1).

### §. 112. *Altaria, vasa sacra, campanae.*

In Ecclesiis, et Capellis adesse debent *altaria*, seu mensae sacris eucharisticis dicatae, quae speciali indigent consecratione. Altaria alia sunt *fixa*, quae in Ecclesiis, et Capellis publicis fulcro suo firmiter inhaerent; alia *portatilia*, *viatica*, quae in Oratoriis privatis, vel in castris adhiberi solent, et de loco in locum facile transferri possunt. Illa exsecrantur, si loco suo moventur, haec si sigillum sepulcri, in quo reconditae sunt reliquiae, frangatur. Primis Ecclesiae saeculis in eadem Ecclesia unum duntaxat altare fuit; sed jam saeculo VI mos invaluit plures aras ponendi. — *Calices, et patenae* ad Missae Sacrificium offerendum, *Ciboria* ad Eucharistiam conservandam, et sacram communionem in Ecclesia fidelibus administrandam, *Pyxides* in quibus ad aegrotos salutaris Ostia defertur, et *Hierothecae* in quibus sacrosanctum Corporis Christi mysterium ponitur in oculis, per chrisma recipiunt consecrationem. — Ut populus ad cultum publicum convocetur, et moneatur ut preces ad Deum fundat, saeculo vel sexto, vel septimo inventae sunt *Campanae*. Antequam campanae adhiberi coepissent, fideles ad templum vocabantur per tubam, aut per tabulas ligneas. Ex usu antiquissimo campanae ab Episcopo per oleum infirmorum, et chrisma debent consecrari, et cuivis nomen alicujus Sancti imponitur. Quia in campanarum benedictione nomen imponitur, aliaque fiunt, quae in administrando Baptismo fieri solent, campanarum benedictio vulgo baptismus dicitur (2).

### §. 113. *Coemeteria.*

Praeter res sacras dantur et aliae res quae auctoritate ecclesiastica per benedictionem usibus Ecclesiae destinantur. Has inter notantur *coemeteria*, seu dormitoria, in quibus Christifidelium defunctorum corpora dormiunt resuscitanda in die judicii universalis per sonum tubae. Initio loca dormitionis erant extra moenia civitatis; quia leges romanae, quibus parere debebant Christiani, vetabant intra urbem cadavera se-

(1) Thomassin V. et N. Disc. P. I. l. 2. c. 92. seqq., Du Cange et Du Fresne Gloss. verb. Capells. Can. 10. q. 2. c. 56 de excess. Prael. c. 11. de reg. jur. in 6. Can. 33. de cons. dist. 1. (2) Cap. 30 de privileg. Can. 30. dist. 1. de consecr. Can. 44. 45. Dist. 1. de cons. Can. 93. dist. 2. de consecr. Concil. Trid. cap. 5. 6., Vid. Devoti Inst. I. E. t. 2. Sect. IV.

pelire. Saevientibus imperatorum ethnicorum persecutionibus fidelium cadavera sepeliebantur in agris, speluncis, cryptis, quae *areae, tumbae, catacumbae, cryptae, arenariae* dicebantur. Cessantibus persecutionibus Martyrum corpora e cryptis erata in urbem translata fuere. Cùm autem christiani sua corpora exanimata corporibus Martyrum sociari cuperent, tum ruri, tum in urbibus prope Martyrum Ecclesias coemeteria constitui coeperunt. Constantinus M., teste Eusebio, in atrio Ecclesiae humo fuit traditus. Alii imperatores, et reges vel in atrio, vel in porticibus Ecclesiae sepulti sunt. Ad principum exemplum populus quoque desideravit penes Ecclesias sepeliri. Tum principibus, Episcopis, et Abbatibus concessum, ut eorum corpora in Ecclesia requiescerent. Sic S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis sub altare sibi sepulturam paravit. Cadaver Clodovaei Francorum Regis in Basilica S. Petri fuit tumulatum. Corpora Chrysostomi, et Flaviani Episcoporum Constantinopolitanorum fuerunt sepulta Constantinopoli in Ecclesia SS. Apostolorum, in qua praeter Sacerdotes sepeliebantur etiam imperatores. Lapsu temporis etiam nobilibus et ditioribus locus dormitionis in Ecclesia permissus est. Coemeteria humandis fidelium cadaveribus destinata ab Episcopo, vel a Presbytero delegato benedicta sint oportet; et si polluantur, reconciliari debent (1).

## §. 114. *Sepultura ecclesiastica.*

Sepultura ecclesiastica consistit in certis ritibus ab Ecclesia praescriptis, in psalmis, precibus, thurificatione, aquae benedictae aspersione, oblatione Missae, quae omnia in ritualibus dioecesanis exhibentur. Ecclesiastica sepultura pars est christianae communionis, quae etiam post mortem manet; ideoque ea denegatur iis, qui in Ecclesiae communionem vel nunquam *recepti*, vel ab ejus communione ob gravissima crimina *exclusi* fuere, et iis qui notorie *impenitentes* ex hac vita migrant. Quamobrem a sepultura ecclesiastica arcentur: 1 Ju-

(1) I. ad Thessal. 4. 12. S. Hier. ep. 75., S. Joan. Chrys. hom. de fide et lege naturae, hom. 37 et 38 in Matth. Concil. Braccar. II. can. 18., Euseb. Vit. Constant. M. l. 4. c. 72. p. 668. Concil. Nennet. can. 6., S. Greg. Tur. Hist. 1. 2. cap. 43., Evagrius Hist. 1. 4. cap. 31. p. 412., S. Ambros. epist. 22. epist. Pulcheriae ad Leonem M., Socrates Hist. l. 7. c. 45. p.393. *

* *In Austria solum corpora balsamo linita possunt habere locum dormitionis in Ecclesia. Reliqua sepeliuntur extra Urbes in coemeteriis.*

daei, ethnici, infideles, Musulmani, et infantes Christianorum mortui sine baptismo. 2 Notorii Clericorum percussores, publice excommunicati, nominatim interdicti, haeretici, schismatici manifesti. 3 Homicidae voluntarii, et qui in duellis et torneamentis occiduntur. 4 Qui confessionem, et communionem paschalem negligunt. 5 Usurarii manifesti, blasphemi, raptores Ecclesiarum, nolentes satisfacere, fures, et latrones in crimine deprehensi, et occisi, nec non peccatores omnes notorii absque poenitentiae indiciis vita functi. 6 Monachi, qui qua proprietarii fatis cedunt. Qui excommunicatos denunciatos, ac nominatim interdictos, vel usurarios manifestos in loco sacro sepelire praesumunt, ii ipso facto in excommunicationem incidunt. Si quis sepultura ecclesiastica indiguus in loco sacro sepultus fuerit, modo internosci possit, ejus cadaver effodiendum, et in loco profano sepeliendum est (1).

### §. 115. *Jus sepulturae.*

Jus sepulturae inter jura parochialia adnumeratur, et ad parochias restringitur; unde jure communi quivis in parochia sui domicilii, si eo commode cadaver transferri queat, hodie per consuetudinem in ea, in qua quis moritur, aut sacramenta percipit, parochia sepeliendus est. Ab hac regula excipiuntur qui sepulcra majorum habent, aut alibi sepulturam sibi eligunt. Libertas eligendi sibi locum dormitionis tanta est, ut nec maritus uxori, nec pater filio puberi optionem negare possit. Impuberibus autem, judicii maturitate destitutis, et Regularibus, nisi procul a monasteriis decedant ita, ut ad ea commode transferri nequeant, non licet sepulturam sibi seligere. Quod si cadaver alicujus alibi, id est extra parochialem Ecclesiam humo mandandum est, Parochus defuncti proprius *portionem canonicam*, quae *quarta funeraria* dicitur, id est partem aliquam ex iis, quae alteri Ecclesiae funeris causa obveniunt, juste exigit. Haec vero portio non est ubique eadem, sed alibi quarta, alibi tertia, alibi major, aut minor, adeoque per consuetudinem locorum determinanda. Generatim quarta funeraria non debet detrahi ex donationibus inter

(1) Can. 27. 28. de cons. dist. 1. Can. Si quis etc. Can. 10 de sepult. caus. 24. q. 1. Can. 11. 12. caus. 23. q. 5. Concil. Trid. Sess. 25. c. 19 de ref. C. 12. de poenit. et remiss. C. 3. de usur. c. 2. et 5. de rapt. c. 2. de furt. Can. 16. caus. 13. q. 2. C. 2. et 6. De monach. stat. Clem. 1. de sepult. c. 12. de sepult.

vivos, et ex piis legatis. Jus habendi exequias spectat ad parochum proprium, etsi sepultura alibi fiat (1).

## §. 116. *Regularium privilegia quoad sepulturam.*

Regularibus concessa fuere varia privilegia. Praelatus est parochus, et monasterium Religiosorum parochia; quam ob rem jure communi Religiosi per Superiorem, et in monasterii ambitu, quod vice coemeterii est, aut potius in speciali ad id dicato loco sepeliendi sunt, nec sibi sepulturam eligere possunt, nisi valde remoti a monasterio ex hac vita migrent. Religiosi professi extra conventum decedentes, si commode ad eum deferri possint, in eo debent sepeliri; quo in casu Regulares non tenentur portionem canonicam solvere parocho, in cujus parochia Regularis obiit, quamvis Viaticum, et Extremam Unctionem infirmo Regulari ministraverit: imo Regulares possunt dictos defunctos deferre ad monasterium inconsulto parocho, attamen modo privato sine pompa, sine cruce, et processione. Quod si moriantur in locis ita remotis, ut commode ad monasterium deferri non possint, sepeliri debent in loco ab ipsis delecto; et si locum dormitionis non sibi elegerunt, sepeliendi sunt in parochia, in qua fatis cedunt, idque expensis monasterii, si bona in communi possideat. Et non tantum omnes Religiosos professos extra Conventum decedentes, verum et domesticos, famulosque suos intra monasterii septa morientes possunt Superiores in suis Ecclesiis, ac coemeteriis sepelire. Quilibet jus habet sepulturam sibi eligendi in Ecclesiis Regularium; attamen tam Regularibus, quam Clericis extraneis sub poena excommunicationis Papae reservatae ipso facto incurrendae interdictum est homines inducere ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut locum dormitionis apud eorum Ecclesiam eligant, vel jam electum non immutent. Qua in re ad specialia pacta, aut consuetudinem respiciendum; quae si desint servare oportet constitutionem Leonis X renovatam per S. Congregationis decretum, quo statuitur: « non licere vi hujus privilegii Regu- » laribus parochias ad efferenda, et levanda defunctorum fune- » ra intrare, vel illa levare, aut efferre, nisi vocato, et expe- » ctato proprio defuncti parocho, eoque ibidem praesente, vel » nisi requisitus dissentiat, aut venire expresse recuset ». Nihilominus parochus ipsi sepulturae actui non audeat se immiscere, siquidem Regularibus jus competit eum peragendi.

(1) Cap. 1. 5 de sepult. c. 3. in 6. et Clem. 2. eod. tit. c. 3. 4. de sepult. in 6. Cap. 1. cap. 9. cap. 10. cap. ult. de Test.

Praeterea parochus non potest haeredes cogere, ut cadaver defuncti prius ad Ecclesiam parochialem deferri, aut Missas ibidem celebrari curent (1).

## §. 117. *Vestes, et mappae.*

Ad res ecclesiasticas benedictas *vestes*, et *mappae* quoque spectant. In quavis religione ministri sacris operaturi ab aliis hominibus distingnebantur vestibus, quae ipsis reverentiam conciliabant. Ministri Religionis catholicae, cum munia sacra obeunt, proprias, et peculiares habent vestes, quae et forma, et pretiositate ab aliis vestibus differunt; cujus generis sunt *amictus* seu *humerale*, *alba*, *cingulum*, *orarium* seu *stola*, *manipulus*, *casula*, *tunica*, *dalmatica*, et *pluviale*. Praeterea in qualibet Ecclesia dantur *mappae linteae* ad tegendas aras, et *corporalia* pariter *lintea*, quibus sacra hostia, calix, ciborium, hyerotheca imponitur. Omnes hae res per benedictionem usibus sacris dedicantur. Jus eas benedicendi spectat ad Episcopum. Olim omnes res Deo, ejusque honori, ac cultui divino dicatae appellabantur *anathemata*, quod essent a communi usu remotae, atque sejunctae (2).

## §. 118. *Loca religiosa, et pia.*

Aedes, et institutiones publica, vel privata auctoritate in religiosos, piosque usus conditae, *loca religiosa*, *et pia* vocantur. Ejus autem generis sunt *Hospitalia*, *Monasteria*, *Scholae publicae*, aliaque instituta his similia. Jam ab incunabulis Religionis christianae Apostoli pretium agrorum, et praediorum a fidelibus ditioribus sibi oblatum inter pauperes distribuebant. Episcopi Apostolorum vestigiis insistentes singularem semper curam habuerunt pauperes fovendi, recreandi, ac sustentandi. Ex oblationibus parabantur convivia, ut egeni et pauperes reficerentur, mutuaque foveretur charitas fraterna, quae propterea *Agape*, seu amoris convivia dicebantur. Aucto

(1) Cap. 4. et 5 de sepult. in 6. Clem. 2. et Extrav. comm. 2. de sepult. C. 1. de sepult. in 6. et Clem. 3. de poenis in fine., Ferraris Biblioth. Vox *Sepultura*. C. 1. et 3 de pactis in 6. Const. Leonis X. in Concil. Lateran. Decret. Congr. §. 20. Jan. 1604. Const. Clementis X. *Nuper* 18 Jan. 1672. Const. Sixti IV Regimini 31 Aug. 1474. Declarat. Congr. Rituum 31 Jul. 1675.

(2) Cap. 1. l. t. Can. 94 dist. tit. e. 10. de celebr. Miss. Can. 9. dist. 25. Can. 46. dist. 1. de consecr. Can 42. de consecr. dist. 1., Cf. Benedict. XIV. Inst. Eccl. inst. 21 et Ferraris. Justinus M. Resp. 121. ad Ortodox. p. 495. edit. Paris 1742., Cyrillus Alex. l. 5. de odorat. p. 144.

Christianorum numero, et data Ecclesiae pace, non solum sancitum est, ut quarta proventuum ecclesiasticorum pars pauperibus erogaretur, verum etiam tum provida Episcoporum dispositione, tum principum, ac ditiorum hominum pia largitate aedes peculiares extructae sunt, propriis nominibus designatae, veluti *Prochotrophia* pro sustentandis pauperibus, *Xenodochia* pro excipiendis peregrinis, *Orphanotrophia* pro orphanis educandis, *Nosocomia* pro aegris curandis, *Gerontocomia* pro senibus alendis, *Brephotrophia* pro infantibus nutriendis; quae omnes domus publicae nunc generali *Hospitalium* nomine veniunt. Saeculo VIII et IX non dabatur fere Monasterium, quod conjunctum non haberet Hospitale. Jure communi omnia hospitalia Episcoporum, in quorum dioecesibus sita sunt, jurisdictioni ita subjiciuntur, ut illa, si opus fuerit, visitare, corrigere, atque omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, et pauperes nutriendos instituta sunt, cognoscere possint. Ab hac regula excipiuntur ea hospitalia, quae sub immediata Regum protectione sunt; haec Episcopi nequeunt visitare sine eorum licentia. Pleraque hospitalia habent capellam, et proprium Sacerdotem, quasi parochum. Administratores Hospitalium, tam Ecclesiastici, quam laici, singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario. Praeter hospitalia etiam cetera loca pia, uti sunt confraternitates, jurisdictioni Episcopi sunt obnoxia, etsi a laicis administrentur. Ad Episcopum quoque spectat cognoscere, et approbare statuta confraternitatum, et sine ejus consensu erigi nequeunt (1).

## §. 119. *Monasteria.*

Illa loca, in quibus plures sub suis legitimis superioribus certa regula ab Ecclesia approbata obstricti vitam communem degunt *Monasteria* dicuntur. Circa monasteria sequentia sunt observanda: 1 Ut novum in aliqua dioecesi monasterium erigatur, requiritur licentia Episcopi. 2 Episcopus veniam dare nequit, nisi prius audiat praefectos, vel procuratores antiquorum in vicinia quatuor mille passuum monasteriorum, atque etiam parochum intra cujus parochiae limites novum monasterium erigi debet. 3 Novum monasterium tam virorum, quam mulierum construendum non est, nisi in eo

(1) Act. 4. 37. cap. 2. de Eccl. aedif. cap. 2. §. 3. h. t. in Clem. Concil. Trid. Sess. 7. cap. 15. Sess. 22. cap. 8. de ref. Sess. 22. cap. 9. Clemens VIII Const. Quaecumque 350. Bull. t. 5. part. 3. p. 85., Devoti t. 2. tit. 12. De Hospitalibus.

saltem duodecim Religiosi habitare, atque vel ex redditibus Monasterii, vel ex consuetis fidelium eleemosynis sustentari possint. 4 Monasteria legitime erecta conservari debent, nec licet ea in collegia clericorum saecularium convertere, quandiu Regulares haberi possunt. 5 Monasteriis, et domibus, tam virorum, quam mulierum, et mendicantium, exceptis Capuccinis, et Fratribus Minoribus de Observantia, licet bona immobilia possidere. 6 Bona monasteriorum, tanquam res ecclesiasticae, in usus profanos non sunt impendenda (1).

## §. 120. *Scholae.*

A bona, vel mala puerorum, et juvenum institutione pendet non solum felicitas, aut infelicitas singulorum membrorum verum etiam totius humanae societatis; hinc luculenter patet quam sit necessarium eorum intellectum, et cor excolere, seu juvenes ad omnem sapientiam instituere. Hujus autem institutionis basis debet esse Religio, sine qua incassum laborant, qui aedificare nituntur. Mater Ecclesia semper fuit quam maxime sollicita de instituendis filiis, quos ipsa Christo peperit. Jam primis rei christianae saeculis in majoribus urbibus apud Ecclesias scholae erant, in quibus catechumeni fidei rudimentis, et juniores clerici necessariis ad sacra munia doctrinis, proinde et humanioribus litteris imbuebantur. Concilia, et Summi Pontifices decreverunt, ut omnes Episcopi instituerent magistros, et doctores, qui litteras et artes liberales juvenibus traderent. Ita in qualibet dioecesi jam saeculo sexto erectae fuere domus communes, seu seminaria, in quibus clerici vitam communem agebant, atque ad munia clericalia instituebantur. Saeculo VIII Carolus M. plures scholas cathedrales, et claustrales aperuit eum in finem, ut clerici educarentur. Cum vero decreta Conciliorum, et Summorum Pontificum de instituendis magistris, et doctoribus non ubique, uti convenit, servarentur, iterum iterumque statutum est, ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus, aliisque, quorum proventus sufficerent, *Magister* constituatur, qui clericos, aliosque pauperes in litteris erudiat, atque in Ecclesia metropolitana praeter Magistrum assumatur *Theologus*, qui clericos theologicas disciplinas doceat. Ex scholis episcopalibus natae sunt *Academiae*, et *Gymnasia*, seu *Licaea*, in quibus magistri subtiliores philosophiae doctrinas potius, quam litteras

(1) C. 10. 11. 28. q. 2. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 5. de Regular Clemens VIII Const. *Quoniam*, Gregorius XV *Const. cum alias.* Can. 26. 28. q. 2. cap. 5. h. t. can. 4. XIX. q. 3. Concil. Trid. Sess. 25. can. 3.

humaniores docere coeperunt. Ineunte saeculo XIII variis Academiis magnificus Universitatum titulus inditus est, quod in una eademque urbe omnes artes liberales, ac scientiae traderentur. Primae, et maxime celeberrimae Universitates erant Bononiensis, et Parisiensis, ad quas ex omnibus regionibus juvenes confluebant. Monachi quoque ubique in suis monasteriis habebant scholas *interiores*, seu *claustrales*, in quibus Monachi, et pueri oblati educabantur, et *exteriores*, quae patebant clericis saecularibus. Tandem Synodus Tridentina decrevit, ut quilibet Episcopus penes Ecclesiam Cathedralem, vel alio loco convenienti collegium, aut seminarium habeat, in quo juvenes in sortem domini vocati in literis et disciplina ecclesiastica erudiantur (1).

## CAPUT II.

### DE MATRIMONIO IN SPECIE.

### §. 121. *Divisio capitis.*

Ad res spirituales spectat quoque contractus, quo mas, et foemina prolibus procreandis apti, declarant se velle individuam vitae rationem retinere, quia a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem fuit elevatus. Quanti momenti sit contractus iste patet ex eo, quod a bona, vel mala ejus constitutione pendeat felicitas, vel infelicitas societatis humanae, quodque sit generis humani seminarium, unde Ecclesia, et Respublica civilis membra sua nanciscuntur. Inde in cujuslibet oculos insilit, vastum adesse disputandi campum, et materiam scitu maxime necessariam. Non dissimulamus, argumentum, nostris potissimum temporibus, esse valde difficile, et molestis quaestionibus implicatum, quod jam S. Augustinus confessus est dicens: « Quaestionem de conjugiis obscu» rissimam, et implicatissimam esse, non nescio: nec audeo » profiteri, omnes ejus sinus vel in hoc opere, vel in alio » me adhuc explicuisse, vel jam posse, si urgear, explica» re .....» Nos ordinis causa totum caput in sex articulos dividimus, acturi: 1 De matrimonii nominibus, institutione, finibus, respectibus, divisione, essentia, et requisitis accidentalibus, et essentialibus; 2 De impedimentis impedientibus; 3 De impedimentis dirimentibus; 4 De potestate impedimenta cum

(1) Can. 12. dist. 37. can. 1. 3. XII. q. 1. Cap. 1. 4. 5. de magistr. Concil. Trid. Sess. 5. cap. 1. Clemens V. in cap. 1. Mabillonius Act. SS. Ord. S. Bened. Concil. Trid. Sess. 23. cap. 18.

impedientia, tum dirimentia constituendi, et relaxandi; 5 De effectibus matrimonii legitime contracti; 6 De divortio, et secundis nuptiis.

## ARTICULUS I.

### DE MATRIMONII NOMINIBUS, INSTITUTIONE, FINIBUS, RESPECTIBUS, DIVISIONE, ESSENTIA, ET REQUISITIS ACCIDENTALIBUS, ET ESSENTIALIBUS.

### §. 122. *Varia matrimonii nomina.*

Contractus, quem mas et foemina ineunt ordinarie ad humanam speciem propagandam, mutuumque auxilium sibi invicem praestandum, variis insignitur nominibus, et quidem vocatur: 1 *Connubium* a flameo seu velamine, quo sponsae caput apud antiquos obnubebatur in signum verecundiae, et subjectionis viro debitae, unde *nuptiae* a *nubo* dictae, et quia innuit, virum, et mulierem vinculo perpetuo conjunctos debere pudore, quasi obducto quodam velo, ea inter se tegere et obvelare, quae christianam modestiam offendunt; 2 *Conjugium*, seu commune jugum, cui contrahentes sponte collo submittunt, inde *conjuges* nominati; 3 *Consortium*, quia mas et foemina ad dies vitae ejusdem sortis participes esse jubentur, propterea *consortes* appellati; 4 Tandem *Matrimonium* potius quam patrimonium, quasi matris munium, idest officium, quia mater prolem concipit, in utero gestat, in lucem edit, suo lacte nutrit, curam illius habet, eique quam maxime officium eam educandi incumbit. « Matrimonium, ait S. Thomas Aquinas, magis dicitur a matre, quam patrimonium a patre, quia » mater circa prolem magis officiosa est, quam pater. Matrimonium, subjungit Catechismus Romanus, dicitur ab eo, » quod foemina nubat, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est (1) ».

### §. 123. *Matrimonii institutio.*

Matrimonium in paradiso terrestri ab ipso sapientissimo naturae Auctore institutum fuisse, historia sacra Veteris Foederis extra omne dubium ponit. Postquam Deus ex limo terrae creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, dixit: « Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei

(1) S. Thom. Aquin. q. 41. art. 2. Catechism. Rom. de Matrim. Sacr. c. 8. n. 2.

» adjutorium simile sibi ...... Immisit ergo soporem in Adam;
» cumque obdormiisset, tulit unam de costis ejus, formavit
» Evam, חַוָּה, *vita,* et adduxit eam ad Adam, qui a sopore
» expergefactus instinctu quodam divino in haec verba pro-
» rupit: Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea:
» haec vocabitur *virago* (a voce hebraica אִישׁ vir), quoniam
» de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum,
» et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in
» carne una ». Deus mulierem ex costa viri formavit, ut arctissimum societatis conjugalis vinculum significaret, mutua amoris, et fidelitatis officia ostenderet, et doceret foeminam viro subesse. Ipse ordinavit sexuum diversitatem, ut genus humanum propagaretur, quia ea alium finem non habet, praeter humanae speciei propagationem. Cum Deus ipse sit matrimonii auctor, sequitur illud licitum et honestum esse; quod potest etiam probari testimoniis Scripturae sacrae, et Sanctorum Patrum. Christus nuptias in Cana Galileae celebratas sua praesentia cohonestavit. S. Paulus de matrimonio tanquam de re bona et honesta loquitur: ..... « Si acceperis » uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit .... » Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ». - « Ho- » norabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus ». - « Quod Deus invitatus, inquit Augustinus, venerit ad nu- » ptias .... confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias. Futuri » enim erant ..... dicentes, quod malum essent nuptiae ». Unde non potest matrimonium tanquam turpe aliquid, aut inhonestum haberi, nisi, ut loquitur S. Thomas Aquinas, ponatur secundum quorumdam insaniam, quod res corruptibiles creatae sunt a Deo malo. Ex his luculenter patet insania Gnosticorum, Manichaeorum, aliorum haereticorum, qui matrimonium ut rem malam detestabantur, ac si Deus rei illicitae et inhonestae auctor esse posset (1).

## §. 124 *Matrimonii fines.*

Postquam Adam, et Eva fuerunt creati, perpetuo, atque indissolubili vinculo constricti, Deus illis benedixit, et dixit: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjacete eam * ». Hisce verbis sapientissimus naturae Auctor,

(1) Gen. 2, 7, 18, 22, 23, 24. Joan. 2. 1. Cor. 7, 28. 38. ad Hebr. 13. 4. S. Aug. tract. in Joan. S. Thom. q. 4. art. 3.

* *Dicunt nonnulli praecepto Dei: « crescite, et multiplicamini » etc. omnes homines sine sexus discrimine necessario teneri ad matrimonium ine-*

utpote protoparentum magister, scopum factae conjunctionis manifestavit. Princeps itaque, ac primarius matrimonium contrahentium finis est procreatio, et procreationis complementum, quod in prolis sustentatione, atque liberali ad virtutem institutione consistit; etenim natura, secluso etiam peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, ad quem finem sexuum diversitas est ordinata, et quemadmodum proles concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem, et educationem debet secundum corpus, et animam perfici. Quo illud quoque referri potest: « Accipies virginem cum » timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, » ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequeris ». Alter finis in mutuo adjutorio situs est, scilicet in communi vitae societate, officiis, atque ope, quam conjuges invicem sibi praestant in re domestica administranda ac vitae hujus incommodis facilius perferendis, secundum illud: « Faciamus ei adjutorium simile sibi ». Tertius tandem finis est sedandae concupiscentiae propositum; matrimonium enim, quod sanis hominibus ante peccatum vim tantum officii ad genus humanum propagandum habuit, aegrotis postea factum est etiam remedium, uti gentium Apostolus docet in epistola ad Corinthios: « Propter fornicationem autem unusquisque suam » uxorem habeat, et unaquaeque virum suum habeat (1) ».

## §. 125. *Matrimonium sub triplici respectu consideratur.*

Matrimonium consideratur sub respectu *naturali, civili,* et *ecclesiastico.* Ante legem scriptam matrimonia contrahebant-

*eundum; per consequens coelibatum divinae voluntati adversari, omnesque vel castitatem voventes, vel servantes illud Dei praeceptum violare. Ast hoc falsum esse patet ex sequentibus:* 1 *Non est necessarium, ut omnes utriusque sexus homines matrimonium ineant, cum illi qui nuptias celebrant plus quam sufficientes sint ad genus humanum propagandum. Etiam agricultura, et aliae artes sunt humanae societati necessariae; et tamen non quilibet homo ad eas exercendas obligatur.* 2 *Deus dedit illud praeceptum non coelibibus, sed conjugatis, ut eos edoceret quem in finem matrimonio uti, seu debitum conjugale invicem sibi reddere deberent.* 3 *Si omnes omnino homines sine sexus discrimine tenerentur ad praeceptum illud observandum, omnes deberent in lucem prodire apti ad primarium finem obtinendum, idest ad prolium procreationem; ast, teste experientia, et mares et foeminae nascuntur impotentes ad coeundum in ordine ad generationem, aut ante nuptias fiunt impotentes per infortunium: igitur illud praeceptum non respicit omnes, sed eos tantum, qui nuptias celebrant, et jure matrimonii uti volunt, secus deberemus dicere, Deum praescribere finem, et denegare media, seu homines ad impossibilia obligare, quod absurdum est.*

(1) Gen. 1, 28. Tob. 6. Gen. 2, 18. 1. Cor. 7, 2-6.

tur secundum leges naturales. Jure naturae matrimonium est contractus inter duas personas diversi sexus initus ad mutuam sexuum communionem in ordine ad generationem prolis, ejusque nutritionem, et educationem, et adjutorium sibi invicem praestandum. Ortis civitatibus legislatores, v. g. Moyses apud Hebraeos, Menas apud Aegyptios, Cecrops apud Graecos, Fo-ki apud Sinenses, aliique, animadvertentes a bona, vel mala contractus conjugalis constitutione pendere felicitas, vel infelicitas civitatis varias leges circa matrimonium tulere, atque ita contractus naturalis evasit etiam civilis, et qua talis ita definitur: Matrimonium est contractus, quo duae personae diversi sexus *legitime* declarant, se velle in communione individua vivere, liberos generare, et educare, ac mutuum adjutorium sibi praestare. Tandem generis humani Salvator Christus Dominus contractum naturalem ad veri Sacramenti dignitatem elevavit, et quatenus est Sacramentum definiri solet: « Sacramentum novae legis a Christo » Domino institutum, quo significatur conjunctio Christi cum » Ecclesia, et fidelibus conjugibus gratia confertur ad caste » et pie se invicem amandos, et sobolem sancte educandam ».

## §. 126. *Matrimonium est novae legis Sacramentum.*

Matrimonium esse unum ex septem novae legis Sacramentis a Christo Domino institutum probatur ex *Sacris Literis*, ex *Traditione*, ex *perpetua Ecclesiae praxi*, et ex *definitione Concilii Tridentini*. S. Paulus in epistola ad Ephesios ita loquitur: « Viri diligite uxores vestras sicut et Christus » dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea .... quia mem- » bra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. » Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et » adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacra- » mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et » in Ecclesia ». Hisce verbis Apostolus significat, matrimonium esse signum gratiae invisibilis, quae efficit ut conjuges unionem Christi cum Ecclesia repraesentent. — Divinae Scripturae consonant utriusque Ecclesiae Patres, ex quibus, ne in longum dicamus, duos tantum latinos proferimus. S. Augustinus ita scribit: « In civitate Dei nostri, in monte sancto » ejus, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, » verum etiam *Sacramentum* ita commendatur, ut non liceat » viro uxorem suam tradere ». Et alibi: In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas *Sacramenti*, quam foecunditas uteri ...... Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est; et in fide castitatis. Quod ta-

men ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate *Sacramenti*, per quam nefas est, etiam repudio discendentem alteri nubere, dum vir ejus vivit. S. Leo M. ad Rusticum Narbonensem: « Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta » sit, ut praeter sexus conjunctionem haberet in se Christi, » et Ecclesiae *Sacramentum*, dubium non est, eam mulie- » rem ad matrimonium non pertinere, in qua docetur nu- » ptiale non fuisse mysterium ». Ecclesia catholica, columna, et fundamentum veritatis, semper et ubique, tam in Oriente, quam in Occidente, professa est, matrimonium unum esse ex septem novae legis Sacramentis a Christo Domino institutum. Tandem Concilium Tridentinum Scripturae, Traditioni, et perpetuae Ecclesiae praxi insistens, dogmatice definivit: « Si quis » dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex » septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino in- » stitutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam con- » ferre, anathema sit » (1).

## §. 127. *Materia, forma et minister Sacramenti matrimonii.*

In omni Sacramento tria occurrunt, nempe *materia*, *forma*, et *minister*. Ingratum opus susciperet, qui omnes Theologorum sententias hisce in rebus vellet recensere. Nos pro instituti nostri ratione brevitati studebimus. Materia Sacramenti matrimonii sunt mas et foemina ad contrahendum habiles, seu contractus naturalis in concreto acceptus. Definitio vero formae pendet a principalis controversiae solutione, quae est de ministro. Circa ministrum duae sunt inter magni nominis Theologos opiniones, unam tuetur Cardinalis Bellarminus, alteram Melchior Canus. Cardinalis Bellarminus, ejusque sectatores magno eruditionis impendio contendunt, Christum Dominum in contractu matrimoniali nihil immutasse, sed solum gratia sua illum exornasse ita, ut contractus naturalis, qui ante a solis contrahentibus per mutuum consensum perficiebatur, ad dignitatem Sacramenti sit elevatus; idcirco ministros matrimonii esse ipsos contrahentes, formam vero consensum utriusque contrahentis verbis, vel signis expressum. Roborant suam opinionem sequentibus argumentis: 1 Eugenius IV in instructione pro Armenis dixit: « Septimum » est Sacramentum matrimonii ... causa efficiens matrimonii re- » gulariter loquendo est mutuus consensus per verba de prae-

(1) S. Paul. ad Ephes. 5, 25. S. Aug. lib. de fid. et oper. c. 7. et de bono conjugal. c. 8. et c. 24. S. Leo ad Rustic. Narbon. Concil. Trid. Sess. 24. can. 1. Vid. Joann. Perrone Tract. de matrim. p. 158.

» senti expressus ». 2 Concilium Tridentinum docet, Christum non solum approbasse conjugium in statu innocentiae institutum, sed etiam gratiam sua passione promeruisse, quae naturalem amorem perficeret, indissolubilem unitatem confirmaret, et conjuges sanctificaret. 3 Eadem sancta Synodus declaravit, matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit. 4 Matrimonia, invito et ohluctante parocho, vel in regionibus infidelium absque Sacerdotis praesentia a fidelihus celebrata, ceu vera matrimonia et Sacramenta baberi. 5 Benedictio Sacerdotis ad essentiam Sacramenti non spectat. — Melchior Canus contra, et ejus sententiae patroni innixi potissimum verbis S. Pauli: « Sic nos existimet homo ut ministros » Christi et dispensatores mysteriorum Dei » propugnant, matrimonii ministrum esse solum Sacerdotem, et formam verba a Concilio Tridentino pro nuptiarum celebratione praescripta, et a Sacerdote prolata: « Ego vos in matrimonium » conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ne in alienam messem falcem mittere videamur, hanc controversiam Theologis dogmaticis discutiendam relinquimus. Qui plura hac de re scire cupit, adeat Praelectiones Theologicas Joannis Perrone, Institutiones Theologicas Leopoldi Liebermann, et Theologiam moralem Patris Scarpazza de Matrimonio (1).

## §. 128. *Sacramentum a matrimonio separari non debet.*

Melchior Canus defendebat materiam Sacramenti matrimonii esse mutuum contrahentium consensum verbis, aut signis expressum, formam vero verha : « Ego vos in matri- » moninm conjungo etc. » a proprio contrahentium parocho, vel de parochi aut Ordinarii licentia ah alio Sacerdote prolata ; hinc contrahentes sine parocbi vel Sacerdotis delegati praesentia matrimonium quidem inire, sed non recipere Sacramentum , quia solus Sacerdos est Sacramenti matrimonii minister. Melcbior Canus igitur rationem Sacramenti a contractu matrimoniali separabat. « Hanc opinionem, ait Domi- » nicus Soto, quia singularis esset, nullum arbitror hahuisse » hactenus assertorem , seu disputatorem, nam praeterquam » nemo eorum, qui hucusque scripserunt, ejus meminerit, » non apparet quemadmodum sit substantialis ». Quamquam quaestio utrum omne matrimonium a fidelihus contractum Sa-

(1) Concil. Trid. Sess. 24. de Sacramento Matrim. cap. 1. de ref. I. Cor. 4, 1.

cramentum sit, an non sit, ad fidem non pertineat; attamen omnes, etiam Melchioris Cani sectatores affirmant, contractum matrimonii a Sacramento sine gravi peccato, et Sacramenti contemptu separari non posse. Sententia, quae separationem Sacramenti a contractu matrimoniali excludit, firmatur auctoritate S. Thomae Aquinatis, qui Sacramentum a matrimonio fidelium numquam separavit, sed constanter asseruit matrimonium fidelium esse Sacramentum. En ejus verba: « Sa-
» cramentum matrimonii perficitur per actum ipsius, qui Sa-
» cramento illo utitur, sicut Poenitentia. Et ideo sicut Poe-
» nitentia non habet etiam materiam, nisi ipsos actus sen-
» sui subjectos, qui sunt loco elementi; ita et in matrimo-
» nio. Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur,
» sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sa-
» cerdotis, quae est quoddam Sacramentale. Consensus expres-
» sus per verba de praesenti inter personas legitimas ad con-
» trahendum matrimonium facit; quia duo haec sunt de es-
» sentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate Sa-
» cramenti, quia ad hoc adhibentur, ut convenientius fiat;
» unde si omittantur, verum est matrimonium...... Actus
» noster in Poenitentia, quamvis sit de essentia Sacramenti,
» non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum
» Sacramenti, et ideo oportet quod ad perfectionem Sacra-
» menti interveniat actus Sacerdotis. Sed in matrimonio actus
» nostri sunt causa efficiens ad inducendum effectum, qui
» est obligatio: quia quicumque est sui juris, potest se al-
» teri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio non requiri-
» tur in matrimonio quasi de essentia Sacramenti ». Itaque secundum Doctoris Angelici mentem ad essentiam Sacramenti matrimonii duo requiruntur, consensus nempe contrahentium, et verba de praesenti, quibus consensus manifestatur: consensus contrahentium est Sacramenti materia, verba consensum exprimentia Sacramenti forma, et si ita Sacramentum a matrimonio fidelium separari non potest. « Si Cani opinio vera
» esset, inquit Bellarminus, errassent Theologi omnes, qui
» docebant matrimonia clandestina, et alia sine Sacerdote ce-
» lebrata, ut vera Sacramenta habenda esse. Errantibus au-
» tem omnibus Theologis, errassent omnes parochi et Epi-
» scopi, et ipsorum populi: judicium enim Theologorum in
» rebus sacris Pastores sequi solent....... Aut matrimo-
» nia inter personas legitimas, easque christianas sine nova
» illa forma a Sacerdote probata continent vinculum indisso-
» lubile unius cum una, vel non continent. Si continent, er-
» go sunt novae legis Sacramenta; nam illud vinculum est

» res Sacramenti, ut docet Augustinus (1). Et illa est causa, cur matrimonia infidelium etiam legitima, et consummata solvi possint per conversionem conjugis (2). Si non continent, ergo solvi possunt saltem in aliquo casu, quod inauditum est in Ecclesia (3) ».

## §. 129. *Matrimonii divisio.*

Matrimonium dividitur: 1 in *legitimum*, quod secundum leges naturales, et civiles contrahitur, cujus generis sunt matrimonia in fidelium, Judaeorum, et haereticorum Sacramentum matrimonii non admittentium; 2 in *ratum*, quod inter Christi fideles contrahitur, et rationem habet Sacramenti; 3 in *consummatum*, cui copula ad generationem prolis ordinata et apta accessit; 4 in *praesumptum*, quod homines adesse praesumebant, si post sponsalia valida corporum conjunctio fuit subsecuta, seu, uti antiqui loquebantur, cum matrimonium de futuro per copulam in matrimonium de praesenti convertebatur: talia matrimonia post Concilium Tridentinum sunt nulla et irrita; 5 in *putativum*, quod ob latens impedimentum irritum est, nihilominus ab hominibus putatur validum: si utraque, vel saltem una contrahentium pars bona fide impedimentum ignoravit, filii ex tali matrimonio geniti habentur pro legitimis; 6 in *matrimonium conscientiae*, quod omissis tribus denunciationibus coram parocho, vel alio Sacerdote ab Episcopo delegato, ac duobus testibus ad silentium adstrictis contrahitur. Benedictus XIV praecepit, ut nonnisi ab Episcopo ex causa gravi, urgenti, et urgentissima admitti possit, qualis esset si vir, et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla apud homines hujus criminis suspicio sit. Tale matrimonium non describitur in libro, in quo parochus omnium matrimonia describit; 7 in *matrimonium inaequale, disparagium* dictum, quod cum persona inaequalis omnino conditionis initur. Jure feudali germanico nec uxor particeps est dignitatis mariti, nec liberi succedunt in bonis paternis, nisi consentiant illi, de quorum praejudicio agitur; 8 denique in *matrimonium ad morganaticam*, vel ad *morgengab* seu *donum matutinum* inter virum nobilem et foeminam aequalis aut inferioris plerumque conditionis *eo adjecto pacto* initum, ut liberi, licet ceteri legitimi, conditionis, vel

(1) Lib. de bono conjug. c. 7. (2) I. Cor. 7. (3) Dominicus Soto in 4. dist. 26. q. 2. art. 2., S. Thomas Aquin. q. 42. art. 1. ad 2. q. 45. art. 5., Bellarminus de matrim. l. 1. cap. 7., Cf. Scarpazza Teol. Mor. *del matrimonio come Sagramento.*

saltem paternae haereditatis participes non sint, sed minori dignitate, aut certa solum haereditatis portione ad sustentationem necessaria contenti esse debeant. A successione patris liberos ex disparagio natos excludit lex, ex morganatico pactum (1).

## §. 130. *Matrimonii essentia.*

In perfecto matrimonio multa occurrunt, et quidem: *a)* consensus contrahentium internus; *b)* pactio externa, seu verba aut signa, per quae consensus sensibiliter manifestatur; *c)* vinculum, quod ex externa pactione efficitur, quemadmodum et mutua obligatio, ac jus mutuum petendi, ac reddendi debitum; *d)* denique usus matrimonii, seu copula. Jam ex his quaeritur, quid proprie essentiam matrimonii constituat. Julianus Pelagii discipulus essentia matrimonii reposuit in copula, seu corporum commixtione. Ast matrimonii essentia non consistit in *usu*, qui separari potest a potestate, quam in proprium corpus conjuges per consensum sibi invicem tradunt, sed in *vinculo*, quod ex mutuo pacto inter virum, et mulierem inito exsurgit. Datur enim copula sine matrimonio, et matrimonium sine copula. « Nunquid negas, scribit Augustinus contra praefatum Julianum, sibimet etiam adulteros appetitu mutuo, » et opere naturali, et corporum commixtione conjungi? Non » est ergo ista definitio nuptiarum; aliud est enim quod nu» ptiae sunt, et aliud est, sine quo nuptiae filios propagare » non possunt; *nam et sine nuptiis possunt nasci homines, et* » *sine corporum commixtione possunt esse conjuges*; alioquin » non erunt conjuges, ut nihil aliud dicam, certe quum senue» rint, sibique misceri vel non potuerint, vel sine spe susci» piendae prolis erubuerint atque noluerint ». « Non deflora» tio virginitatis, inquit S. Ambrosius, facit conjugium, sed pa» ctio conjugalis ». Eodem modo loquitur Cathechismus Romanus: « Quamvis haec omnia in matrimonio insint, consensus » videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, » et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et conjugum » copulatio, qua matrimonium consummatur; nihil tamen ho» rum matrimonii *vim et rationem* proprie habet, nisi *obliga-* » *tio illa, et nexus*, qui conjunctionis vocabulo significatus » est ». Sane verum extitit conjugium inter Adamum et Evam in terrestri paradiso ante quemcumque conjugii usum; id ipsum dicatur de conjugio inter Beatam Virginem et S. Jo-

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3., Benedictus XIV Const. *Satis nobis* etc., Schenkel Inst. I. C. P. II. Sect. p. 364.

sephum, inter S. Henricum et S. Cunegundam. « Quibus pla» cuerit, ait S. Augustinus, ex consensu ab usu carnalis con» cupiscentiae in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos » vinculum conjugale rumpatur; immo firmius erit quo ma» gis ea pacta secum inierint, quae carius, concordiusque » servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum sed vo» luntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab » Angelo dictum est ad Joseph: *noli timere accipere Mariam » conjugem tuam.* Conjux vocatur ex prima fide desponsatio» nis, concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus ». Hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugium, non permixto corporis nexu, sed custodito mentis affectu (1).

### §. 131. *Requisita ad matrimonium accidentalia, et essentialia.*

Matrimonium ordinatur: 1 in *bonum naturae*, ut nempe genus humanum propagetur, et conservetur; 2 in *bonum civitatis*, ut novos cives suppeditando, ejus perennitati felicitatique consulat; 3 in *bonum Ecclesiae*, ut conjuges divina exornati gratia, eam pia et fideli progenie ditent. Sub triplici hac ratione matrimonium subjacet *legibus naturalibus et positivis*; positivae leges in *divinas et humanas*, *humanae* in *ecclesiasticas* et *civiles* dividuntur. Ergo matrimonium a legibus naturalibus, divinis, ecclesiasticis et civilibus pendet. Hae leges praescribunt conditiones, quarum aliae ad *licite*, aliae ad *valide* ineundum matrimonium requiruntur. Primi generis conditiones *requisita accidentalia*, secundi generis *requisita essentialia* nuncupantur. Ad matrimonium licite ineundum requiritur: *a)* Ut mas et foemina sponsalibus validis non sint illigati; *b)* Ut eis Ecclesia ex aliqua causa matrimonium contrahere non probibeat; *c)* Ut tempore vetito nuptias non celebrent; *d)* Ut votum simplex castitatis, vel coelibatus, vel ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordines sacros non emiserint. Ad valide vero contrahendum matrimonium requiritur: *α) Consensus mutuus*, *verus*, non simulatus *liber* ab omni coactione, metuve gravi injuste incusso, *positivus*, et ad certam personam directus, et sufficienti modo vel per verba, vel per signa *manifestatus*. *β) Habilitas* tum physica, tum moralis; *γ) Forma substantialis* jure praescripta, id est ea, qua non servata contractus invalidus redditur.

(1) S. Aug. l. 6. c. 16. n. 62, contra Julianum., S. Ambrosius lib. de inst. Virg. c. 6. S. Aug. l. 1. de nupt. et concup. c. 11. n. 12., Cf. Scarpazza Theol. Mor. t. 8. p. 174 - 176.

## §. 132. *Notio et divisio impedimentorum.*

Defectus requisiti accidentalis, qui reddit contractum matrimonialem illicitum, sed non invalidum, vocatur *impedimentum accidentale,* ab antiquis *impediens*, a nonnullis modernis *obstaculum* dictum. Defectus requisiti *essentialis* , qui matrimonium reddit invalidum, dicitur *impedimentum essentiale*; ab antiquis *dirimens*, a modernis *irritans* nominatum. Ecclesiae placuit nominare defectum conditionis accidentalis *impedimentum impediens,* et defectum conditionis essentialis *impedimentum dirimens.* Prima nomenclatio rei explicandae aptior nobis videtur; etenim impedimentum accidentale *accessoria*, impedimentum essentiale *essentialia* matrimonii afficit. Praeterea impedimenta matrimonii dividuntur: 1 In *naturalia* et *positiva*; positiva in *divina* et *humana* ; humana *in mere canonica* , *mere civilia* et *mixta :* impedimenta naturalia sunt, quae ipsa lege naturae nituntur, veluti impedimenta amentiae, vis, et metus, erroris etc.: positiva divina, quae a lege positiva divina originem trahunt, uti impedimentum ligaminis: positiva humana mere canonica ea dicuntur, quae a sola potestate ecclesiastica sunt instituta , quaeque in codicibus civilibus ignorantur, v. g. in Austria impedimenta consanguinitatis , et affinitatis in tertio, et quarto gradu secundum canonicam computationem, cognationis spiritualis, conditionis; mere civilia nuncupantur, quae a sola lege civili introducta fuerunt, ex. gr. in Austria impedimenta minorenitatis, militiae, carceris, graviditatis sponsae a tertio; tandem mixta, quae ab utraque potestate ecclesiastica et civili stabilita sunt, uti impedimenta consanguinitatis in primo et secundo gradu secundum computationem canonicam. 2 Dividuntur in *impedimenta juris publici,* et *juris privati;* priora sunt ea , quae exigente bono publico introducta fuerunt, v. g. *clandestinitas ;* posteriora, quae bonum contrahentium respiciunt, v. g. impedimentum erroris. 3 In *absoluta* et *respectiva*; absoluta quae obstant , quominus matrimonium cum quacumque persona ineatur, v. g. votum perpetuae castitatis, impotentia absoluta , respectiva, quae obstant , quominus cum quibusdam personis matrimonium contrahatur, ex. g. impedimentum consanguinitatis, affinitatis etc. 4. In *notoria* et *occulta*; notoria, quae vulgo innotuerunt; occulta, quae non innotuerunt: Notorietas est duplex, scilicet *juris* et *facti*; notorietas juris dicitur, si impedimentum aliquod per judicis sententiam pronuntiatur , quia judex de jure agere tenetur ; notorietas facti est , si impedimentum per ipsum factum innotescit. 5 In *dissolubilia*, et *indissolubilia*; dissolubilia, quae

vel lapsu temporis cessant, vel per dispensationem tolluntur; indissolubilia, quae tolli non possunt *.

## ARTICULUS II.

### DE IMPEDIMENTIS ACCIDENTALIBUS, SEU IMPEDIENTIBUS.

### §. 133. *Impedimentorum accidentalium, seu impedientium numerus.*

Impedimentorum, ut diximus, duo sunt genera: alterum eorum, quae non reddunt quidem invalidum matrimonium contractum, sed *impediunt* contrahendum: alterum eorum, quae *contrahendum impediunt*, et *contractum dirimunt*. « In matri» monio, ait S. Thomas Aquinas, sicut in reliquis Sacramen» tis, aliae res ad essentiam, aliae ad solemnitatem matrimo» nii spectant. Et quia sublatis rebus, quae ad solemnitatem » pertinent, Sacramentum subsistit, ideo dicuntur impedire ma» trimonium contrahendum, sed non dirimere contractum. . . » Impedimenta vero opposita illis rebus, quae sunt de essentia » matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium: quapro» pter non solum impediunt matrimonium contrahendum, sed » etiam dirimunt contractum ». Prius agemus de impedimentis accidentalibus, seu impedientibus; deinde de impedimentis essentialibus, seu dirimentibus. Olim impedimenta impedientia erant plura, hodie nonnisi quatuor numerantur, hoc comprehensa versu: « Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
« Impediunt fieri, permittunt facta teneri (1) ».

### §. 234. *Sponsalia eorumque finis.*

Matrimonio ceu rei gravissimae praemitti semper consueverunt *Sponsalia*, quae a *spondendo* nomen habent, quia moris fuit veteribus *stipulari*, et *spondere* sibi uxores futuras, unde *sponsi*, *sponsaeque* adpellatio nata est. Sunt autem sponsalia mutua maris et foeminae promissio de ineundo matrimonio utrinque acceptata. Caute distinguere oportet *Sponsalia de futuro*, quae matrimonium suo tempore contrahendum, a *Spon-*

* *Aliqui solent dividere impedimenta in* antecedentia, *et* consequentia, *quae divisio locum habere nequit, quia omne impedimentum, ut matrimonium invalidum reddat,* antecedens *esse debet; etenim impedimentum superveniens vinculum matrimonii jam contracti inter catholicos non solvit.*

(1) S. Thom. Aquin. in Suppl. q. 50. art. unic., Vid. Schenkl P. II. Sect. 2. c. 1. art. 7. subart. 3. pag. 304. §. 682.

*salibus de praesenti*, quae matrimonium actu ineundum respiciunt. Finis Sponsalium est, ut personae, quae ob aliquam causam, v. g. ob defectum aetatis, vel infirmitate necdum possunt matrimonium contrahere, de sponsa tanquam futura conjuge, et de sponso tamquam futuro marito certae reddantur (1).

## §. 135. *Consensus necessarius.*

Cum sponsalia veri nominis contractus sint, cumque contractus nonnisi partium consensu perficiantur, sequitur marem et foeminam necessario in futurum matrimonium consentire debere. Consensus autem debet esse: 1 *Liber* ab omni coactione, metu, dolo, et errore; 2 *Deliberatus*, id est in certam determinatam personam directus; 3 *Verus* et *sincerus*, non simulatus et fictus. Quamvis ficta promissio verum contractum non efficiat; attamen in foro externo habetur pro vero consensu, donec fictio argumentis certissimis comprobetur: quare deceptor omne damnum ex fictione secutum resarcire tenetur; praesertim si ficta matrimonii promissione puellam violaverit, non vi contractus, sed ex juris dispositione eam ducere obligatur; 4 *Reciprocus*, seu utrinque acceptatus; 5 *Sufficienter manifestatus*: manifestari potest consensus vel ore, vel calamo, aut signis corporis, prout apud surdos et mutos obtinet (2).

## §. 136. *Qui possint dare consensum.*

Sponsalia contrahere, seu consensum in futurum matrimonium dare possunt omnes, qui lege vel naturali, vel divina, vel humana non prohibentur. Per eas leges autem sponsalia contrahere, seu consensum in futurum matrimonium dare possunt: 1 Qui nullo matrimonii impedimento saltem perpetuo laborant; 2 Qui non sunt usu rationis destituti; 3 Infantes septem annis majores. Parentes possunt Sponsalia contrahere pro liberis impuberibus valitura, si prolium consensus accesserit. Interim propter volubilitatem, et incertum, atque praeceps consilium impuberibus non licet sponsalia solvere, nisi cum perveniunt ad annum pubertatis, qui pro foeminis duodecimus, pro maribus decimusquartus completus censetur. Quod

(1) L. 2 et 3. ff. de Spons. C. 22. 31. 32 de Spons. et matrim. c. 5. de spons. decor. c. 14. de convers. Conjug. c. un. de despons. impub. in 6., Gregorius I in esp. 31. de Spons. (2) C. 11. de desponsat. impub. cf. c. 13. 14. 15. 28. de spons. et matrim. c. un. de spons. in 6. c. 7. 23. 25. de spons. et matrim., Schenkl Inst. I. E. P. II. Sect. 2. c. 1. art. 7. Subart. 4. §. 697. p. 456.

si pubes cum impubere sponsalia iniit, huic, non illi resiliendi jus est. Jure communi nullae quidem solemnitates necessario requiruntur; attamen sponsalia ordinarie firmantur traditione arrhae, aliisque solemnitatibus; imo et testes adhiberi, et tabulae matrimoniales confici solent, ut ea jam contracta fuisse constet (1).

## §. 137. *Effectus sponsalium.*

Sponsalia legitime contracta, ceu contractus onerosi varios producunt effectus, qui ad sequentes restringi possunt: 1 Oritur gravis obligatio justitiae ad contrahendum matrimonium cum persona desponsata, et quidem, si justa non obstat causa, tempore statuto, aut si nullum tempus sit praefixum quamprimum commode fieri potest, vel alterutra pars id juste exegerit; adeout renuens implere fidem a Superioribus non solum monendus, sed etiam ecclesiasticis censuris cogendus est; quae tamen adhibendae non sunt, quoties praevidetur matrimonium infelix subsecuturum; 2 Obligatio non contrahendi cum alia persona, et nihil faciendi quod implendae promissioni adversatur; proin sponsalia jam inita, sunt impedimentum prohibens matrimonium cum alia, et irrita reddunt nova sponsalia, usque dum priora juste dissolvantur; imo intuitu personarum, quae sponsis primo in gradu sunt consaguineae, sunt impedimentum matrimonii dirimens, de quo alibi dicemus; 3 Pars sine justa causa a sponsalibus resiliens perdit arrham, si quam dedit; et si accepit, in duplo reddere tenetur; imo si pars, quae alteri parti nullam fundatam ansam resiliendi dedit, si aliquod damnum inde patitur dummodo damnum sibi illatum probare possit, jus habet ejusdem damni compensationem exigendi, v. g. si suppellectilem domesticam coemit, vel suam conditionem mercenariam abdicavit, aut longum iter ad contrahendum matrimonium fecit (2).

(1) C. 4 et 5. de spons. C. un. causs. 20. q. 2. C. un. §. 2. de spons. impub. in 6. C. 7. et 8. de spons. impub., Vid. Devoti Sect. 7. de Spons. (2) Lucius III in C. 17. de Sponsal., Alexander III in cap. 10. eod. C. 27. 30. et final. caus. 27. q. 2. et c. 2. et 10. de spons. et matrim. C. 15. et 30. de spons. et matrim. C. 1. 2. et 17. de spons. et matrim. Cf. 32. de spons. et matrim., Schenkel Inst. t. E. P. II. C. 1. art. 7. subart. 4. §. 699. p. 459. *

* *Saepe evenire solet, ut sponsus praetextu ineundi matrimonii sponsam defloret, gravidam faciat, et a sponsalibus resiliat; quo in casu stuprator tenetur eam ducere uxorem ob sequentes rationes:* 1. *In libro Exodi* c. 22, 16. *legitur.* « Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem ».

## §. 138. *Solutio sponsalium*

Sponsalia valida, etiamsi juramento firmata sint, solvuntur: 1 Mutuo consensu, juxta illam juris regulam: « quo modo quis colligatur, eodem et solvitur ». 2 Per professionem religiosam, aut sacrorum Ordinem susceptionem. 3 Per superveniens impedimentum, quo stante aut licite aut valide iniri matrimonium nequeat; quo in casu pars rea, postulante parte innocente, tenetur petere dispensationem. 4 Per matrimonium cum alia persona illicite contractum, si non solvuntur omnino sponsalia, saltem ad tempus suspenduntur; etenim controvertitur, an per matrimonium tollantur, an vero solum suspendentur. Quod per subsequens matrimonium cum alia initum sponsalia solventur ex parte innocentis, apud omnes in confesso est; an vero ex parte rei, mortua comparte, sponsalia reviviscant, alii negant, alii affirmant. 5 Per non impletam conditionem, si quae sponsalibus adjecta fuit. Hisce adduntur aliae causae justae, ob quas una pars, obligatione alterius permanente, potest a sponsalibus resilire, et quidem: *a)* Omnis mutatio notabilis *animi, corporis, salutis, characteris moralis, famae, fortunarum* post inita sponsalia in persona eveniens, et non praevisa, quae personam, ejusve statum deteriorem, aut futurum matrimonium multo difficilius, ac molestius reddat. *b)* Lapsus in haeresim, seu fornicatio spiritualis. *c)* Perfidia, seu fornicatio corporalis, hoc est si suum cum alio corpore commiscuit; qua in re canonici juris interpretes virum liberant, etiamsi mulier ante sponsalia, ac per vim quoque stuprata sit; mulierem vero, si vir post inita sponsalia peccatum carnis commisit; *d)* Quivis dolus a contrahente altero commissus; nam morbus, paupertas, ignobilitas, graviditas, debita enormia debent ante sponsalia manifestari. *e)* Absentia diuturna unius sponsorum absque alterius praescitu, et consensu (1).

2 *Tenetur fidem exsolvere*; 3 *Si eripuit ei florem virginitatis, et honorem, obligatur ad restitutionem: jam vero nulla alia ratione puellae defloratae potest honos restitui, nisi per matrimonium*. 4 *Stupratori officium incumbit prolem legitimandi.*

(1) Cap. 25. de jurejur. c. 2. de sponsal. et matrim. c. 1. de Cler. conjug. c. 2. 7. de convers. conjug. Cap. unic. de Vot. in 6. Concil. Trid. Sess. 24. can. 6. et cap. 9. de ref. matrim. c. 1. reg. jur. e. 2. de spons. c. 2. de spons. c. 3. de condit. adposit. c. 25. de perjur. Cap. ult. de Conjung. lepros C. 5. de spons. et matrim. C. 6. de Sponsal. *

* *In Austria Sponsalia quoad effectus civiles a terrae principe fuerunt sublata ob sequentes rationes*: 1 *Ut evitentur lites*. 2 *Ut mulieres frustra non expectent maritos*. 3 *Ut turpis non foveatur amor*. 4 *Ut non laedatur libertas, et coacte infausta ineantur matrimonia.*

## §. 139. *Ecclesia vetitum.*

Ecclesia justis ex causis sub poena peccati mortalis quibusdam membris vetat matrimonium inire. Per Ecclesiae vetitum haec tria intelliguntur: 1 Vinculum excommunicationis etiam minoris, quod Ecclesiae membrum a perceptione Sacramentorum excludit. 2 Praetermissio denuntiationum praescriptarum, quae secundum Concilium Tridentinum praecedere debent matrimonium. 3 Specialis Episcopi, aut parochi prohibitio, qua certis personis non permittitur matrimonium inire, v. g. ob defectum doctrinae Religionis, vel ad detegendum impedimentum dirimens, vel ad explorandam parentum voluntatem. Sane arcendi sunt a matrimonio ii, qui rudimenta fidei vel nunquam didicerunt, vel oblivioni tradiderunt, donec ea perdiscant, partim quia medio ad salutem necessario carent, et partim quia sobolem suam in Religione erudire nequeunt (1).

## §. 140. *Tempus sacratum, seu feriatum.*

*Temporis sacrati, feriati, clausi* nomine venit tempus a prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam, et a prima die Quadragesimae usque ad octavam Paschatis inclusive, quo licet quidem matrimonii Sacramentum recipere, sed interdictae sunt nuptiarum solemnitates, v. g. solemnis benedictio, quae fieri solet in celebratione Missae pro sponso et sponsa, lauta convivia, musica, choreae, cantus, festa, et omnia profanae laetitiae signa. « Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, ait Concilium Tridentinum, diligenter ab omnibus » observari sancta Synodus praecipit, in aliis vero temporibus nuptias celebrari permittit ». « Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione » profectam . . . . . anathema sit ». Et in Rituali Romano ita legitur: « Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. » Postremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus » usque ad Epiphaniam, et a die cinerum usque ad octavam » Paschatis solemnitates nuptiarum prohibitas esse (2) ».

## §. 141. *Votum simplex.*

Votum simplex illud est, quod privata devotione sine ulla solemnitate emittitur. Vota simplicia *castitatis, ingrediendae*

(1) Scarpazza Teologia Morale t. 8. del matrimonio p. 314.

(2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 20 et can. 11., Rit. Rom. Rubr. de Sacram. Matrim.

*Religionis, coelibatus,* et *suscipiendi Ordinis sacri* sunt impedimenta matrimonii impedientia; adeoque si aliqua persona unum ex praedictis votis simpliciter emisit, non potest matrimonium licite contrahere. Qui cum voto simplici castitatis matrimonium contrahit sine praevia dispensatione, peccat mortaliter, et toties quoties petit debitum conjugale, donec fuerit cum ipso dispensatum, non vero reddendo, quia pars innocens suo jure privari non potest: si vero scienter voto consensisset, nec huic debitum exigere liceret, quia alieno cooperaretur peccato. Qui matrimonium init cum voto ingrediendae Religionis, peccat mortaliter contrahendo, et consummando matrimonium, quia se inhabilem reddit observandi votum; postea tamen licite petit, et reddit debitum. Qui vero voto simplici coelibatus, et Ordinis sacri suscipiendi est adstrictus, peccat contrahendo, sed non privatur jure petendi debitum, quia vi contractus matrimonialis adipiscitur jus ad usum matrimonii. Dispensatus in voto castitatis, mortua uxore, nova indiget dispensatione, ut possit ad novas nuptias transire. Si vero sponsa moriatur ante copulationem, aliam ducere potest, nisi dispensatio data sit ad prolem legitimandam. Si uterque conjux votum simplex castitatis emisisset, neutri liceret petere, vel reddere debitum (1).

## ARTICULUS III.

### DE IMPEDIMENTIS ESSENTIALIBUS, SEU DIRIMENTIBUS.

#### §. 142. *Impedimentorum essentialium, seu dirimentium classes.*

Ad matrimonium valide ineundum requiritur *consensus* contrahentium, *habilitas corporalis et moralis* eorundem, nec non *forma substantialis jure praescripta* (2). Ex defectu horum essentialium requisitorum omnia impedimenta essentialia, seu dirimentia emanant, quae commode ad sequentes quatuor classes reducuntur, scilicet: A. *ad defectum consensus*, quorsum impedimenta amentiae, vis et metus, raptus, erroris, et conditionis spectant; B. *ad defectum habilitatis corporalis* ad copulam perfectam, quo impedimenta impubertatis, et impotentiae physicae referuntur; C. *ad defectum habilitatis moralis*, quo ligamen, votum solemne, et Ordo sacer, cultus disparitas, cognatio naturalis, spiritualis, legalis, affinitas, honestas publica, et crimen trahuntur; D. *ad defectum formae substan-*

(1) Vid. Scapazza Teolog. Mor. t. 8. p. 315. (2) Art. I. §. 120.

*tialis,* seu solemnitatum jure praescriptarum, quo pertinet clandestinitas. Universa impedimenta canonica his versibus comprehendi solent:

» Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
» Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
» Si sis affinis, si clandestinus, et impos,
» Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
» Haec facienda vetant connubia, facta retractant ».

### A. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIO DIRIMENTIBUS EX DEFECTU CONSENSUS MANANTIBUS.

#### §. 143. *Impedimentum amentiae.*

Impedimentum *amentiae* est juris naturalis, et per consequens etiam canonici et civilis. Distinguuntur tres species illorum, qui usu rationis carent, scilicet *amentes, deliri, furiosi.* Amentes non utuntur ratione, neque intelligunt, neque judicant, neque ratiocinantur: deliri mera deliria, insana, aut ad rem non pertinentia ferunt: furiosi vires suas in propriam, et aliorum perniciem convertunt. Amentes, deliri, furiosi sunt incapaces contractuum naturam, officia, sequelas cognoscendi; idcirco non possunt dare consensum, per quem contractus perficiuntur, et qui a lege naturali necessario requiritur. Si vero contractus minoris momenti inire nequeunt, multo minus contractum matrimonialem, a quo non tantum felicitas, vel infelicitas contrahentium et prolium, verum etiam totius humanae societatis pendet. Ab amentibus, deliris, et furiosis multum differunt mente debiles, qui caeteris difficilius quidem, sed tamen ratione utuntur. Tam mente debilibus, quam surdis, mutis, et caecis matrimonium non interdicitur, sed consulitur potius, quia plus aliis adjutorio indigent. Mentis ergo imbecillitas non est impedimentum matrimonii.

#### §. 144. *Impedimentum vis.*

*Vis* est actus, quo personae invitae consensus extorquetur. Vis ordinarie generat metum; idcirco hic ad illam se habet sicut effectus ad causam. Impedimentum *vis seu metus* est naturale, canonicum et civile, quia omnes leges in contractibus plenam exigunt consensus libertatem. Vis adest, si quis injuriam, aut quodcumque malum infert, aut minatur alteri, ut is consentiat in matrimonium, a quo abhorret. Ei igitur duo mala proponuntur, nimirum matrimonium ingratum, aut aliud malum; si tamen matrimonium pro minori malo repu-

tat, illudque prae altero malo eligit, adhuc quidem libere agit, sed vis et metus minuunt libertatem, quam in re tanti momenti, uti est matrimonium, omnino plenam esse oportet. Ut impedimentum vis seu metus reapse existat, Jus Canonicum exigit: 1 Ut metus sit gravis, quae gravitas dimetienda est ex gravitate mali intentati, ex verosimilitudine mali obventuri, et ex qualitatibus animae et corporis personae, cui malum fuit intentatum, seu talis sit metus, qui, uti dici solet, cadat in virum constantem. 2 Ut metus proveniat ex causa extrinseca, non autem ex principio interno; unde si graviter aegrotans ex metu propinquae mortis iniret matrimonium, non esset impedimentum, quia metus principio interno originem suam deberet. 3 Ut metus a causa extrinseca *injuste* incutiatur; nam si quis adigatur ad ducendam mulierem, quam gravidam fecit, metus juste incutitur, et per consequens matrimonium est validum. 4 Ut metus incutiatur ex fine matrimonii ineundi; hinc si Pater unius familiae vindictae causa intentaret mortem filio alterius familiae, et hic ex metu mortis peteret, et duceret uxorem illius filiam, non esset impedimentum, quia metus ex alio fine fuerat incussus. An metus reverentialis sit impedimentum dirimens non conveniunt Canonistae. Adest vero, cum filia ex metu parentibus suis displicendi uni potius, quam alteri nubit, vel filius ex eodem metu reverentiali Titiam potius, quam Semproniam uxorem ducit. Si nostrum desuper quaeratur judicium, cum majori parte Canonistarum asserimus talem metum reverentialem haud esse gravem, ac per consequens non posse dirimere matrimonium contractum. Impedimentum vis, seu metus est juris privati, et tollitur tacito, vel expresso consensu personae, quae metum passa est; tacito si persona metum passa, et sciens matrimonii contracti nullitatem comparti cohabitat; expresso si verbis in matrimonium consentit; secus dicendum, si in errore versatur, et putans matrimonium validum, petat, aut reddat debitum conjugale (1).

### §. 145. *Impedimentum raptus.*

*Raptus* est abductio foeminae ex loco tuto, et securo in alium matrimonii contrahendi causa. Dicitur abductio foeminae, et non viri, quia foemina non creditur tam animosa, et impudens, ut virum abducat ad contrahendum cum eo ma-

(1) Cap. 6. 15. et 28 de sponsal. Cap. 1. de adult. et stupr. Cap. 10. de sponsalib. et matrim. cap. 21. de sponsal. et matrim., S. Thom. Aquin. in 4. dist. 29. q. 1. art. 3., S. Bonav. ead. dist. n. 5.

trimonium. Locus tutus, ut securus est, v. g. domus parentum, monasterium in quo educatur. Raptus duplex esse potest, scilicet *violentiae*, et *seductionis*. Raptus violentiae dicitur cum foemina invita vel physice per manuum injectionem, vel moraliter per minas, aut gravem metum ex loco tuto et securo in alium abducitur matrimonii contrahendi causa: raptus seductionis est cum puella, contra parentum voluntatem, lenociniis, blanditiis, promissis seducitur ita, ut abductioni consentiat. Secundum canones raptus violentiae, non autem raptus seductionis est impedimentum matrimonii dirimens. Leges Romanae, et canones antiqui crimen raptus adeo persequebantur, ut raptor nunquam posset raptam uxorem ducere, etiam si haec et ejus parentes in matrimonium consensissent. Concilium autem Tridentinum ita statuit: « Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium; quodsi rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes, sint ipso facto excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare ». Inter veterem, et novam disciplinam igitur hoc intercedit discrimen, quod olim raptor nunquam potuerit raptam in uxorem habere; nunc dummodo rapta a raptore separata, atque in loco tuto constituta libere consentiat, potest cum ea matrimonium contrahere. Quia vero raptor ipso facto incurrit in excommunicationem, ante nuptiarum celebrationem tenetur petere absolutionem (1).

## §. 146. *Impedimentum erroris.*

Libero in matrimonium consensui obstat *error*, qui nihil aliud est nisi falsum judicium de re aliqua, dum haec aliter se habet, ac judicatur. Error potest esse vel *substantialis*, vel *accidentalis*; ille substantiam, scilicet personam, hic qualitatem personae respicit. Error substantialis est, dum quis fallitur circa personam, quae ad substantiam matrimonii pertinet, v. g. si vult sibi matrimonio jungere Mariam, et ei substituitur Paula, in quam non consentit. Error accidentalis dicitur, cum quis decipitur circa qualitatem, quae personam

(1) Cod. Thed. L. 9. tit. 24. de raptu virg. et vid., Leg. 1. et Leg. unic. Cod Justin. Capitul. Reg. Franc. l. 6. c. 69., Conc. Chalc. can. 27. t. 4., Concil. Collect. Labbaei col. 1691. Cap. 3. de Rapt., Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. de ref. matrim.

non mutat, v. g. ducit pauperem, ignobilem, corruptam, quam divitem, nobilem, virginem falso credidit. Potest contingere, ut error qualitatis redundet in ipsam personam, v. g. si princeps credit, et intendit matrimonium inire cum filia primogenita, et regni haerede, et offertur illi junior ejusdem regis filia. Etiam hic error est substantialis, quia non adest persona, quam princeps vult uxorem ducere. Rursus error dividitur in *antecedentem*, et *incidentem* seu *concomitantem*: antecedens est ille error, qui dat causam contractui ita, ut si error abfuisset, matrimonium non fuisset contractum; incidens seu concomitans vocatur, qni non dat ansam contractui, sed matrimonium contraheretur, etiamsi error abesset. Tam antecedens, quam incidens est error substantialis; nam in primo casu deest consensus, in secundo non est consensus actualis, deliberatus, sed habitualis tantum dispositio ad ineundum matrimonium. Nihil vero refert ad rem, utrum error *vincibilis*, vel *invincibilis* sit. Error accidentalis secundum leges Ecclesiae, tunc reddit matrimoninm invalidum, si pars contrahens consensum alicui qualitati alligat. Impedimentum erroris substantialis in ipsa lege naturali fundatur, quia ratio exigit consensum, et nemo potest consentire in id, quod ignorat juxta illud: nihil volitum, nisi praecognitum. Impedimentnm erroris tollitur consensu vel expresso, vel tacito personae in errorem inductae (1).

## §. 147. *Impedimentum conditionis.*

Vox conditionis accipitur vel pro *eventu aliquo futuro ac incerto*, et *alia circumstantia* a cujus existentia ab altera contrahentium parte consensus suspenditur, vel pro certa hominum *classe* aut *statu*, quem quis in civili societate obtinet. Sub hoc duplici respectu considerari debet impedimentum conditionis. Quod ad primum attinet, Ecclesia admittit matrimonia conditionata. Ut conditiones matrimonium dirimant, in manifestum pactnm dednctae sint oportet. Dantur autem conditiones de *praeterito*, de *praesenti*, et de *futuro*, quae possunt esse *possibiles* vel *impossibiles*, *honestae* vel *inhonestae*. Dirimunt matrimonium: 1 *Conditio impossibilis*, cui consensus fuit alligatus; etenim quum ea impleri numquam possit, consensus quoque in perpetuum deerit; 2 *Conditio fini*, et *substantiae* matrimonii, id est generationi prolis, fidei conjugali, perennitati matrimonii, seu triplici matrimonii bono, v. g. si

(1) Tot. caus. 29. q. 1. Cap. 26. de sponsal. et matrim., S. Thom. Aq. in suppl. q. 51. art. 1., Cf. Scarpazza Teol. Mor. t. 8. p. 319-325.

alteri alter dicat: « contraho tecum si generationem prolis evi» taveris, vel si adulterandam pro quaestu te tradideris, vel » donec inveniam te digniorem, ditioremque »; haec enim licet physice impleri posset, tamen ceu moraliter impossibilis, imo etiam per se bono fini, aut naturae matrimonii contraria, contractus vim subvertit. 3 Conditio apposita, et non impleta. Qui apposuit conditionem honestam ante cohabitationem praestolari debet, ut conditio impleatur; si impletur, matrimonium est validum, sin minus solvitur. Qui ante impletam conditionem matrimonium consummat, is conditioni renuntiasse censetur, nisi fuerit deceptus. Si quis ob non impletam conditionem peteret declarationem nullitatis matrimonii, probare deberet per testes omni exceptione majores, conditionem matrimonio reapse appositam, et non impletam fuisse. Conditio turpis, et substantiae matrimonii non repugnans, v. g. « contraho tecum si te adjutricem exhibueris in furando », tanquam non adjecta habenda est. Sub altero respectu hic intelligitur proprie *status servilis*, qui olim per se erat impedimentum matrimonii dirimens; nam jure romano servorum matrimonia ignorante, invitove domino invalida habebantur. Leges civiles romanae nullas servorum nuptias, sed tantum contubernia agnoverunt; et canones initio desiderasse videntur consensum dominorum, ut nuptiae illae ratae firmae haberentur. Justinianus imperator statuit, ut non servitus ipsa, sed error circa servilem conditionem esset impedimentum dirimens matrimonii. Hanc Justiniani dispositionem adoptavit Ecclesia; idcirco, si alicubi servitus existeret, etiam secundum canones non amplius ipsa conditio servilis esset impedimentum dirimens matrimonium, sed error circa eandem. Igitur si quis invito domino duceret uxorem personam servituti obnoxiam, et sciret ejus servilem conditionem, matrimonium valeret; si vero ejus servitutem ignoraret, matrimonium esset invalidum. Hoc loco per servos intelliguntur non famuli mercede conducti, non glebae adscripti, non servi poenae, idest ad triremes, vel ad perpetuum exilium damnati, sed mancipia proprie dicta, quae a dominis ceu res etiam vendi possunt. Cum hoc genus servitutis, vel potius haec humani generis ignominia inter Christianos sit fere incognita, servilis conditionis impedimentum saltem in terris nostris locum habere haud potest (1).

(1) Can. 8. caus. 29. q. 2. Cap. 1. de conjug. serv. Leg. 3. de incest. et inutil. nupt. Cap. 1. de conjug. serv. Can. 2. 4. seqq. c. 29. q. 2. c. 2., Vid. Schenkl Inst. I. C. P. II. Sect. 2. c. 1. art. 7. Subart. 3. p. 401. §. 685.*

* *In Austria ex dispositione legis civilis quidam non possunt, et quidam non censentur dare consensum in matrimonium. Ad primam classem*

### B. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII ESSENTIALIBUS EX DEFECTU HABILITATIS CORPORALIS AD COPULAM PERFECTAM PROVENIENTIBUS.

#### §. 148. *Impedimentum impubertatis.*

Quia per contractum matrimonialem jus mutuum datur in corpora ad actus procreationi per se aptos, mas et foemina matrimonium contrahentes non solum debent *libere*, *reciproce*, *sincere*, et *deliberate consensum manifestare*, verum etiam habere habilitatem corporalem coeundi in ordine ad generationem prolis, seu, ut ajunt, praestandi debitum conjugale. Qui ergo vel ob *teneram aetatem*, vel ob *imbecillem naturam*, vel ob *corporis vitium* coire nequeunt in ordine ad generationem prolis, hi validum matrimonium inire non possunt. Huc spectant inprimis impuberes, id est mares, qui decimum quartum, et foeminae, quae duodecimum annum nondum compleverunt. Ante hoc tempus non censentur idonei ad liberos procreandos, nisi malitia suppleat aetatem, hoc est impuberes rem uxoriam intelligant, et procreationi prolium operam dare possint, aut post hoc pubertatem assecuti cohabitare pergant, seu potius novo consensu matrimonium in facie Ecclesiae confirment. Episcopus potest judicare, num malitia suppleat aetatem (1).

#### §. 149. *Impedimentum impotentiae physicae.*

Alii non possunt validum inire matrimonium vel ob imbecillem naturam, vel ob vitium corporis; qui defectus physicae habilitatis ad copulam perfectam communiter *impotentia physica* vocatur. Impotentia physica igitur est defectus cor-

*spectabant:* 1 *Minorennes utriusque sexus, id est tales, qui nondum compleverunt annum vigesimum quartum aetatis; etenim hi ad matrimonium ineundum necessario patris, vel si pater mortuus est, aut paternam non potest exercere potestatem, praeter declarationem mentis tutoris aut curatoris ordinarii, etiam instantiae pupillaris consensu indigent;* 2 *Milites et personae ad statum militarem pertinentes scriptam a suis superioribus licentiam habere debent. Ad secundam classem referuntur ii, qui contrahunt matrimonium cum muliere, quam a quodam alio gravidam esse ignorant. Itaque in Austria impedimenta mere civilia ex defectu consensus emanantia, sunt impedimenta* minorennitatis, militiae, *et* graviditatis sponsae a tertio. *Impedimentum servilis conditionis in Codice civili austriaco locum invenire non potuit, quia servitus proprie talis in Austria non datur. Matrimonia conditionata a legibus civilibus austriacis non tollerantur.*

(1) Cap. 6. 9. 10. 11. de desponsat. impuber. cap. 12. eod. tit.

poris ad praestandum debitum conjugale inhabilis, seu impossibilitas actus ad generationem prolis requisiti. Impotentia laborare possunt tam mares, quam foeminae; illi ob nimiam frigiditatem, defectum virilium, aut utriusque testiculi, uti sunt *spadones;* hae propter arctitudinem, vel ineptitudinem organi ad officium conjugale necessarii. Cum impotentia non debet confundi sterilitas, qua non obstante actus conjugalis in ordine ad generationem prolis locum habet: imo sterilitas absoluta nec probari potest; matrimonia enim sterilia post annorum seriem evaserunt foecunda. In Scriptura sacra autem liberi inter singularia Dei dona referuntur, et memorantur foeminae, quae in senectute primum prolem conceperunt. Ab impotentia physica discernenda quoque est senectus, quia etiam inter senes copula carnalis perfecta possibilis est. Steriles, et senes, etiamsi finem matrimonii primarium non obtinent, consequuntur tamen fines secundarios, idest mutuum adjutorium sibi praestant, et carnali concupiscentiae obicem ponunt.

### §. 150. *Divisio impotentiae physicae.*

Impotentia physica dividitur: 1 in *antecedentem* et *supervenientem;* 2 *perpetuam* et *temporariam;* 3 *absolutam* et *relativam. Antecedens* dicitur ea, quae ante matrimonium contractum obtinet, *superveniens*, quae matrimonium jam contractum subsequitur. Impotentia matrimonio jam contracto superveniens, etiamsi perpetua sit, vinculum matrimonii non solvit, quia matrimonium semel valide contractum inter catholicos, est indissolubile, et ejusmodi conjugibus non aliud suppetit medium, quam ut abstinentes ab omni actu conjugali instar fratris, et sororis vivant. *Impotentia perpetua* est, si nec tempore, nec adhibitis remediis tolli et superari potest; *temporaria*, si tempore, aut remediorum usu cessat; perpetua adest in iis, qui virilibus et testiculis carent, temporaria in impuberibus et frigidis. Si actum conjugalem, seu copulam carnalem perfectam cum qualibet persona impossibilem reddit, hoc est, si vir cum nulla muliere, et mulier cum nullo viro coire potest in ordine ad generationem prolis, *impotentia absoluta;* si vero cum quibusdam tantum personis, *relativa* vocatur.

### §. 151. *Qualis impotentia impedimentum matrimonii dirimens?*

Impotentia antecedens et perpetua, sive ea absoluta sit, sive relativa, ipso jure naturae, igitur et quocumque jure canonico et civili matrimonium reddit invalidum; idcirco mares

et foeminae impotentia antecedenti et perpetua laborantes ab ipsa lege natnrali nuptias inire vetantur. Impotentia non est res ordinaria, sed extraordinaria, non est secundum, sed contra naturae cursum; quapropter nunquam debet praesumi, sed necesse est, ut legitime probetur. Confessioni conjugum hac in re non est acquiescendum, quia sorte sua haud contenti possent malitiose convenire, et impedimentum impotentiae praetexere ad vinculum matrimonii solvendum. Probatio fieri debet per medicos, chirurgos, et obstetrices, qui tenentur adhibere remedia, quae adhiberi possunt sine peccato, et vitae discrimine. Si medici, chirurgi, et obstetrices ambigunt, aut in diversas sententias abeunt, jnre canonico praescribitur triennale experimentum a tempore contracti matrimonii computandum; quo elapso, si et conjuges et septem propinqui jurejurando affirmant, omnes conatus irritos fuisse, impotentia physica ad copulam perfectam probata censetur. Probata legitime impotentia, conjugium solvitur, et pars potens, et si impotentia relativa est, utraque ad alias nuptias transire potest. Verum si lapsu temporis patesceret, impotentiam vel non extitisse, vel remediis sublatam fuisse, primum matrimonium reviviscit, et sententia erronee lata retractanda est; nam sententia judicis hoc in negotio nunquam transit in rem judicatam, sicnt fieri solet in aliis rebus, ubi judicis sententia, etsi injusta post certum annorum tractum ita fit firma, ut nulla appellatione interposita reverti possit. Lucins III post probatam impotentiam concesserat conjugibus, ut instar fratris et sororis simul viverent; ast Sixtus V talem cohabitationem instar fratris et sororis tanquam suspectam et periculosam interdixit (1).

—

NOTA. *Hermophrodismus non est impedimentum impotentiae. Hermophroditi, qui utrumque sexum in eodem corpore conjunctum habent, si sexus unus praevalet, debent juxta illum matrimonium contrahere; si vero uterque aequalis sit, optio relinquitur secundum quem velint nuptias inire, ita tamen, ut alterum abjurent coram potestate ecclesiastica, et spondeant sub poena peccati mortalis se abjurato sexu nunquam uti velle.*

*Nec pinguedo est impotentia physica. Anno* 1844 *sequens casus ad me fuit delatus. Quidam vir, cum non posset propter uxoris pinguedinem ordine naturali coire in ordine ad generationem prolis, voluit petere declarationem nullitatis matrimonii*

(1) Cap. 1. et 3 de frigid. et malefic., S. Thom. Aquin. q. 58. art. 1. et 2. Cap. 1. et 5. de frigid. et malefic., Can. 2. cap. 23. q. 1. Cap. 5 et ult. de frigid. et malef. Cap. 4. et 14. de probat.

## C. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII ESSENTIALIBUS EX DEFECTU HABILITATIS MORALIS EMANANTIBUS.

### §. 152. *Impedimentum ligaminis.*

Ad matrimonium valide ineundum non sufficit ut mas et foemina dent consensum, habeantque habilitatem corporalem ad copulam perfectam, sed requiritur quoque in ipsis facultas moralis, quae ex motivis moralibus juridicis, aut politicis ab ipsa lege quibusdam personis adimitur, v. g. voto solemni adstrictis, quibusdam tantum restringitur, uti consanguineis et affinibus. Ex defectu facultatis moralis prodit *impedimentum ligaminis*, quia lex divina conjugatis adimit facultatem moralem aliud matrimonium contrahendi, vel plures consortes in eodem matrimonio habendi. Per ligamen intelligitur ipsum vinculum matrimonii adhuc subsistens, quod duplicem producit effectum: 1 ut vivente utroque conjuge matrimonium contractum non dissolvatur; 2 ut plures conjuges simul in uno matrimonio esse nequeant. Primum, quod matrimonii indissolubilitati opponitur, docet generis humani Redemptor (2). » Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moe» chatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur ». Secun-

*contracti, praetexens in uxore adesse impedimentum impotentiae physicae. Hic nulla aderat impotentia physica. Tali marito consulendum est, ut coeat cum uxore extra ordinem, id est more belluino. « Usus, ait S. Thomas Aquinas, usus contra natu» ram conjugii est quando praetermittit vir debitum modum a » natura institutum, et in hoc non semper est peccatum mor» tale. Quandoque etiam sine peccato esse potest ». Sed quando est sine peccato? Cum ex una parte non adest periculum effusionis seminis extra vas, et ex altera habitudo corporum alium modum non patitur, vel ratione pinguedinis, vel alicujus infirmitatis, vel ne nocumentum foetui jam concepto creetur. Excepto necessitatis casu conjuges semper peccant mortaliter, si in corporum conjunctione ordinem ab ipsa natura praescriptum non servant; ideoque quandocumque in sacro tribunali poenitentiae se accusant de non servato ordine corripiendi sunt, et monendi, ut in posterum abstineant. In ejusmodi autem admonitionibus Sacerdos ad excipiendas fidelium confessiones approbatus debet modeste et castigate loqui, ut officiis suis debito modo satisfaciat, et animarum saluti consulat* (1).

(1) S. Thomas Aq. 4. dist. 32., Cf. Scarpazza Teol. Mor. t. 8. p. 296.
(2) Luc. 6.

dum, quod unitati conjugii adversatur, definivit dogmatice Concilium Tridentinum (1). « Si quis dixerit, licere Christia- » nis plures uxores simul habere, et hoc nulla lege divina » esse prohibitum, anathema sit ». Synodus Tridentina dicit, multitudinem uxorum christianis esse lege divina interdictam, de pluritate virorum autem in eodem matrimonio neque mentionem facit, quia opus non est; nam *polyandria*, quae in eo consistit, ut una mulier plures simul habeat maritos, est, sicuti experientia docet de meretricibus, fini primario matrimonii opposita adeo, ut ipsi ethnici solo rationis lumine illustrati eam velut abominandam turpitudinem ac naturae adversantem execrati fuerint. Ad pluritatem uxorum in uno conjugio, seu polygamiam simultaneam quod attinet, reformationis sacrorum coryphaei non conveniunt. Calvinus docet, eam stricto naturae jure esse prohibitam, ut veteres Patriarchas violati in hac parte juris naturalis arguat. Lutherus, Bucerus, Melanchthon, caeterique socii eam probarunt adeo, ut primus reformator Philippo Hassiae Landgravio permiserit, ut vivente adhuc uxore Christina, Margaritam de Sal duceret. Primus fuit Lamech, qui duas duxit uxores. Post diluvium polygamia simultanea nec in lege naturae, nec in lege Mosaica fuit prohibita; etenim Scriptura Veteris Foederis de multitudine uxorum loquitur tanquam de re licita: « Si ha- » buerit homo duas uxores, unam dilectam, et alteram odio- » sam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosae pri- » mogenitus ..... non poterit filium dilectae facere primogeni- » tum, et praeferre filio odiosae ». Idem patet ex exemplo sanctorum virorum Abrahami, Jacobi, et Davidis regis, qui plures habuerunt uxores. « Quae cum ita sint, ait S. Augu- » stinus, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul » habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam » consules non lasciviendi, sed generandi causa illis mulie- » ribus utebatur; si morem, illo tempore, atque in illis ter- » ris facilitabatur; si praeceptum, nulla lege prohibebatur ». Nonnulli asserunt sanctos Patriarchas a Deo specialiter dispensatos fuisse; sed hujus dispensationis in sacris Litteris nec vestigium occurrit. Caeterum in lege naturae dispensare, Dei ipsius natura non patitur. Quamquam polygamia simultanea primario fini matrimonii non repugnet, cum unus vir pluribus foeminis foecundandis sufficiat, nihilominus bono societatis haud respondet; nam inter plures uxores vix servatur concordia, amor conjugalis dividitur, educatio prolium difficilis redditur. Quapropter Christus Dominus matrimonium re-

(1) Sess. 24. can. 2.

vocans ad suam primaevam institutionem, polygamiam simultaneam damnavit, dicens:.... « An non legistis, quia qui fecit « hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos ? et » dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et ad» haerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque » jam non sunt duo, sed una caro: quod Deus ergo conjun» xit, homo non separet ». Sufficiat igitur nobis probasse polygamiam simultaneam lege divina prohiberi; etenim haec est veritas catholica ab Ecclesia definita (1).

## §. 153. *Impedimenta voti solemnis, et Ordinis sacri.*

Lex ecclesiastica facultatem moralem nuptias celebrandi adimit monachis utriusque sexus castitatem solemniter professis, et Clericis ad ordines majores promotis; igitur ex defectu facultatis moralis proficiscuntur impedimenta voti solemnis, et Ordinis sacri, quae in canonibus conjuncta reperiuntur. Quo tempore haec impedimenta essentialia, seu dirimentia evaserint Canonistae non conveniunt. Alii asserunt, votum solemne jam saeculo IV nuptias irritas reddidisse, et provocant ad epistolam decimam Siricii Papae, qui discrimen facit inter *virgines velatas*, et non *velatas*, et illarum matrimonia vocat *incestus* et *adulteria*, harum vero nuptias *furtivas* appellat. En Papae Siricii verba: « De virgine *velata* jam » Christo, quae integritatem publico testimonio professa a Sa» cerdote prece fusa benedictionis velamen accepit; sive *in*» *cestum* commiserit furtim, seu volens crimen protegere » *adultero* mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, » faciens membra meretricis etc. Item puella, quae nondum » *velata* est, proposuerat sic manere, licet non sit in Christo » velata, tamen proposuit, et in conjugio velata non est, *fur*» *tivae nuptiae* appellantur, ex eo quod matrimonii coelestis » praeceptum non servaverit ». Si ergo Summus Pontifex Siricius, qui saeculo IV Ecclesiam rexit, virginis velatae matrimonium *incestum* et *adulterium*, et ipsam mulierem non uxorem, sed *meretricem* appellat, manifestum est, votum solemne castitatis, cui virgo velata erat adstricta, nuptias irritasse. Conjunctionem vero virginis non velatae, id est castitatem solemniter non professae, furtivam quidem nominat, sed tamen *nuptias* appellat. Ex epistola Siricii inferunt jam eo tempore factum fuisse discrimen voti solemnis, et simplicis, quo-

(1) Deuteron. c. 21, 15., S. Aug. l. 16. de civit. Dei c. 38, et lib. 22 cont., Faustum c. 47., S. Hier. ep. ad Pamach., Matt. 19, 4 seqq. Vid. Inst. Theol. Leop. Liebermann. t. 3. l. 6. part. 2. p. 155-163.

rum alterum irritum, alterum illicitum matrimonium efficiebat. Alii contra defendunt, Ecclesiam antiquissimis temporibus monachis, qui votum castitatis emiserant, et clericis, qui sacros ordines susceperant, matrimonia contrahere prohibuisse, et trasgressores jam officiis et beneficiis ecclesiasticis privasse, jam excommunicasse, jam gravibus poenitentiis subjecisse, vel etiam a suis uxoribus separari jussisse, non tamen eorum matrimonia pro invalidis habuisse. Cum autem prohibitio, et poena matrimonia monachorum, et clericorum majorum non impedirent, et matrimonia illicita simul scandala essent, Concilium Lateranense II anno 1139 sub Innocentio II celebratum canone 7 statuit:..... « Episcopi, Presbyteri, » Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, et Monachi, atque » Conversi professi, qui sanctum trasgredientes propositum uxo- » res sibi copulare praesumpserint, separentur. Hujusmodi » namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam » constat esse contractam, matrimonium non esse censemus ». Dicunt Gratianum, ad canones antiquos, qui matrimonia Clericorum, et Monachorum tantum prohibebant, cum posterioribus, qui eadem irritabant, in concordiam redigendos, excogitasse distinctionem inter vota simplicia, et solemnia, et asseruisse canones antiquos de votis simplicibus, canones recentiores de votis solemnibus intelligendos esse. Cum autem Theologi adhuc disputarent, quale votum sit simplex, quale solemne, Bonifacius VIII hanc litem diremit, definiens: « Vo- » tum solemne esse, quod solemnizatum fuerit per recep- » tionem Ordinis sacri, aut per professionem religiosam emis- » sam in Ordine a Sede Apostolica approbato ». Quidquid demum sit, Synodus Tridentina impedimentum Ordinis sacri, et voti solemnis ita stabilivit: « Si quis dixerit, clericos in » sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem so- » lemniter professos, posse matrimonium contrahere, contra- » ctumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel » voto ....... anathema sit (1) ».

## §. 154. *Impedimentum disparitatis cultus.*

Jure canonico cultus disparitas sub poena nullitatis contractus vetat inire matrimonium personis baptizatis cum non baptizatis; adeoque christianus non potest uxorem ducere mu-

(1) Epist. 10. Siricii P. c. 1. col. 688 apud Constant., Vid. Gratian.can. 1.22. 41. cap. 27. q. 83. et can.2. 4. 5. 9. dist. 27., Devoti t. 2. Sect. IX. p. 203. apud Gratian. dist. 27. c. 2., Van Espen I. E. un. P. II. tit. 13. c. 4. C. un. de voto et voti redempt. in 6., Concil. Trid. Sess. 24. can 9.

lierem judaeam, ethnicam, aut musulmanam, et vice versa. Primis Ecclesiae saeculis cultus disparitas, id est religionis disparis professio, erat impedimentum impediens, nimirum Ecclesia interdicebat Christianis nuptias celebrare cum Judaeis, et infidelibus, quoniam eas contrahere idem videbatur, ac prostituere membra Christi cum gentilibus. Christiani, qui talia matrimonia contrahebant, tantum violatae disciplinae rei erant, poenisque subjiciebantur; sed nulla lex extabat, quae nuptias inter cultu dispares initas irritaret. Occurrunt in historia exempla plurium foeminarum catholicarum, quae cum ethnicis viris valida matrimonia inierunt; in quibus mulier fidelis sanctificavit virum infidelem. Tale fuit sane matrimonium S. Monicae cum Patricio, S. Clotildis cum Clodovaeo Francorum rege, Berthae cum Edelbertho rege Cantiorum, Edelburgae cum Edvino rege Northumbrorum, aliarumque. Ut impedimentum disparitatis cultus dirimens evaderet, occasionem dedisse videntur leges Valentiniani, Theodosii, Arcadii, et Justiniani imperatorum, quae conjugia christianorum cum Judaeis damnabant. Lapsu temporis consuetudine inductum, ac lege ecclesiastica sancitum est, ut fidelium matrimonia cum infidelibus irrita habeantur, nullo facto discrimine inter Judaeos, et gentiles. Ex dictis sequitur nuptias Catholicorum cum haereticis, et schismaticis personis non esse irritas, quia hae non minus quam illis Sacramentum baptismatis susceperunt. Matrimonia Catholicorum cum Acatholicis, ex. gr. cum Lutheranis, Calvinistis, Anglicanis, Graecis schismaticis, *mixta* vocantur. Ecclesia, propter pericula seductionis, talia matrimonia semper improbavit, et adhuc improbat. S. Paulus jubet, haereticum hominem devitare. Si Catholici igitur, juxta Apostoli monitum, tenentur haereticos vitare, quomodo poterunt cum ipsis connubia inire? « Domino certe, ait Tertul-
» lianus, non potest pro disciplina satisfacere habens in latere
» diaboli servum . . . ut si statio facienda est, maritus de die
» condicat ad balneos: si jejunia observanda sunt, maritus
» eadem die convivium exerceat ». Et S. Ambrosius: « Cum
» sancto, inquit, sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si
» hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, et unus
» spiritus est. Quomodo autem potest congruere charitas, si
» discrepat fides? . . . Saepe illecebra muliebris decepit etiam
» fortiores maritos, et a religione fecit discedere . . . Primum
» ergo in conjugio religio quaeritur ». Synodus Agathensis misceri vetat connubia cum haereticis, *nisi profiteantur, Christianos esse futuros, et catholicos.* Quamquam Ecclesia improbet matrimonia mixta, ea tamen invalida non declarat. Summus Pontifex Gregorius XVI edita anno 1841, Bulla praescri-

psit, ut in matrimoniis mixtis nisi pars acatholica, ante nuptiarum celebrationem polliceatur, se permissuram, ut omnes proles sine sexus discrimine in Religione catholica educentur, parochus catholicus non teneatur benedictionem impertiri (1).

### §. 155. *Cognatio.*

Ex defectu facultatis moralis emanat etiam impedimentum *cognationis*, seu inhabilitas ad valide contrahendum matrimonium inter personas vel carnaliter, vel spiritualiter, vel legaliter cognatas. Igitur tam jure civili romano, quam canonico triplex distinguitur cognatio, quae quibusdam personis nuptias celebrare prohibet, nimirum *naturalis, spiritualis, et legalis. Cognatio naturalis* est conjunctio personarum a communi stipite descendentium carnali generatione, sive legitima sive illegitima contracta, quae etiam *carnalis et consanguinitas* appellatur. Naturalis dicitur quia *natura*, carnalis quia *caro*, consanguinitas quia *sanguis* per copulam legitimam vel illegitimam propagatur. Cognatio spiritualis est connexio personarum ex collatione et susceptione Sacramentorum baptismatis et confirmationis proveniens. Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione perfecta scaturiens. Jam de hac triplici cognatione agendum, ut videamus quas inter personas impedimentum dirimens existat (2).

### §. 156. *Cognatio naturalis.*

Consanguinei a communi stipite descendentes sunt vel *genitores*, vel *geniti*, sive legitimi sive illegitimi, *mares*, vel *foeminae*. In doctrina de consanguinitate, genitores *ascendentes*, geniti *descendentes* vocantur. Ascendentes in linea recta ex parte viri sunt: Pater, Avus, Proavus, Abavus, Atavus, Tritavus, reliqui Majores nominantur. Descendentes in linea recta sunt: filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos, reliqui posteri appellantur. Ex parte foeminae ascendentes in eadem linea sunt: Mater, Avia, Proavia, Abavia, Atavia, Tritavia, reliquae Majores dicuntur. Descendentes sunt: filia, neptis, proneptis, abneptis, atneptis, trineptis, reliquae posteriores. Alii consanguinei sunt, qui a communi stipite quidem descendunt, sed alter alterum non genuit, et hi denominantur collaterales. In linea collaterali ex parte patris sunt: Patruus, Propatruus, Abpatruus, Atpatruus, Tripatruus, ·

(1) S. Cyprian. de laps. Concil. Eliberit. can. 15.16. 17., Concil. Chalced. can. 14., Gratian. c. 28. q. 1., S. Aug. lib. de fid. et oper. c. 29., Tournely de Sacr. mat. q. 2. art. 2., Tertul. l. 2. ad uxor. c. 4., S. Ambros. de Abrahamo c. 9. n. 8. et in can. 15. cap. 28. q. 1., Cf. Perrone Vol. IX. de matr. mixtis. (2) S. Thomas Aq. q. 54. art. 1. q. 2. art. 3.

Amita, Proamita, Abamita, Atamita, Tritamita; ex parte matris: Avunculus, Proavunculus, Abavunculus, Atavunculus, Tritavunculus, Matertera, Promatertera, Abmatertera, Trimatertera: In linea collaterali descendentes sunt: fratres, consobrini, proconsobrini, abconsobrini etc. sorores, consobrinae, proconsobrinae, abconsobrinae etc. Omnes igitur personae consanguineae sunt vel *ascendentes*, vel *descendentes*, vel *collaterales*.

§. 157. *Arbor consanguinitatis.*


Personae consanguineae exhiberi solent per *arborem consanguinitatis*, seu schema genealogicum. Est autem arbor consanguinitatis collectio personarum a communi stipite descendentium usque ad illas personas de quarum consanguinitate quaeritur. In arbore consanguinitatis tria sunt attendenda, nimirum; 1 communis stipes; 2 linea; 3 gradus. *Stipes communis* est illa persona, a qua reliquae consanguineae originem ducunt. *Linea*, est series personarum consanguinearum a communi stipite descendentium. Linea, si una persona alteram genuit, dicitur *recta*; si una persona alteram non genuit, *collateralis*, *obliqua*, *transversa* vocatur. Linea recta dividitur in *ascendentem* et *descendentem*, prout nempe per eandem a genitis ad genitores ascenditur, vel a genitoribus ad genitos descenditur. Linea collateralis potest esse vel aequalis, vel inaequalis, prout personae aequaliter, vel inaequaliter a communi stipite distant; v. g. duo fratres aequaliter, frater, et filius fratris inaequaliter distant a communi stipite. Gradus est distantia unius personae ab altera intra eandem consanguinitatis lineam in ordine ad communem stipitem. Arbor consanguinitatis exhibet consanguineos aut ex linea paterna, qui *agnati*, aut ex linea materna, qui *cognati*, dicuntur; unde patet arborem vel *agnationis*, vel *cognationis* esse. In arbore consanguinitatis occurrunt mares et foeminae.

Mares designantur per circulum; foeminae denotantur per triangulum. Conjunctio maris et foeminae exprimitur per semicirculum. - ◡ -

Nonnunquam una persona pro mortua indicatur, et tunc circulus obducitur una lineola, v. g. ⊖.

Nonnunquam interest denotare personam aliquam esse mortuam in secundo matrimonio, et tunc circulus duplici lineola subducitur, ex. gr. ⊗.

*Figura I.*




§. 158. *Modus computandi gradus consanguinitatis.*

Jus civile romanum in computandis gradibus consanguinitatis tam in linea recta, quam in linea collaterali constanter hanc sequitur regulam:

Tot sunt gradus, quot sunt generationes.


Adeoque iu *Figura I* sunt novem gradus, quia novem sunt generationes: Stipes A non computatur quia non est genitus, sed genitor. Secundum computationem civilem frater B est sorori F secundo gradu conjunctus, quoniam duae sunt generationes; et consobrina C consobrino G est consanguinea in quarto gradu, quia quatuor dantur generationes. Jus civile austriacum in computandis gradibus consanguinitatis tam in linea recta, quam in linea transversa sequitur jus civile romanum. Jus canonicum in linea recta retinet eandem regulam Juris civilis romani, nisi quod generationum loco personas usurpat, et dicit « Tot sunt gradus, quot sunt personae, » dempto stipite ». Quare in *Figura I* filius B patri A est in primo gradu consanguineus, quoniam hic, dempto stipite A, una est persona, neptis C avo A est in secundo gradu consanguinea, quia, sublato stipite A, duae sunt personae. In computandis vero gradibus consanguinitatis in linea transversa Jus canonicum facit discrimen inter lineam obliquam aequalem et inaequalem, et sequentes regulas statuit: 1 In linea transversa aequali, in eo gradu personae sunt sibi consanguineae, quo altera distat a communi stipite; 2 In linea transversa inaequali, in eo gradu personae sunt sibi consanguineae, quo persona remotior est a communi stipite. In *Figura I* B et F aequaliter distant a communi stipite; igitur est linea transversa aequalis; et quoniam B a communi stipite A distat uno gradu, B et F sunt in primo gradu consanguinitatis. K et E inaequaliter distant a communi stipite A; adeoque est linea transversa inaequalis; et quoniam K uno gradu remotior est a communi stipite A, quam E, K et E, sunt in quinto gradu consanguinei. Itaque discrimen inter legem civilem et ecclesiasticam in eo consistit, quod lex civilis in linea transversa aequali et inaequali quot sunt generationes, tot numeret gradus, et lex ecclesiastica in linea transversa inaequali sumat duas generationes pro uno gradu, in linea vero transversa inaequali accipiat pro uno gradu quamlibet generationem a stipite ad personam remotiorem.

Fieri potest, ut inter personas duplex intercedat consanguinitas, uti videri potest in *FIGURA II.*




Si B et C fratres unius familiae ducant uxores G et H consobrinas alterius familiae, proles horum duorum fratrum, scilicet I et K invicem ex parte patrum erunt in secundo, ex parte matrum in tertio gradu consanguinitatis.

Si quis ex propria consanguinitate ducat uxorem, ex qua proles intra consanguinitatis gradum nuptura est, v. g. *FIG. III.*




sponsus Joannes consanguineus est suae sponsae Annae in linea materna in qnarto gradu tangente secundum, in paterna in secundo juxta computationem canonicam (1).

(1) §. 7. Inst. de gradib. cognat. c. 6. caus. 35. q. 5.

### §. 159. *In quo gradu consanguinitas est impedimentum dirimens matrimonii ?*

Inter illos, qui sunt in linea recta descendente et ascendente, seu inter genitores et genitos usque in infinitum validum matrimonium iniri nequit. « Inter personas, ait Nico- » laus I ad consulta Bulgarorum, quae parentum, libero- » rumque locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non pos- » sunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et nepotem, » et usque in infinitum ». Ratio hujus impedimenti in linea recta est, quia talia matrimonia ordinem naturae inverterent; nam geniti suis genitoribus maxima beneficia in acceptis referre debent, et ideo gratitudinem, summam reverentiam, obedientiam, et pietatem exhibere, eosque tanquam superiores et moderatores suos agnoscere tenentur, quae liberorum officia cum conjugum officiis non congruunt. Quam ob rem ipsa natura ab hujusmodi nuptiis utpote pudori et ordini naturali oppositis abhorrere videtur. In linea transversa olim impedimentum cognationis naturalis usque ad septimum computationis canonicae gradum producebatur; sed cum impedimentum nimis late pateret, Innocentius III in Concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrato, illud ad quartum computationis canonicae gradum restrinxit. En canonis decimi verba: » Prohibitio copulae conjugalis quartum consanguinitatis gra- » dum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gra- » dibus jam non potest absque gravi dispendio prohibitio ge- » neraliter observari ». Igitur in linea collaterali a canonibus matrimonium sub poena nullitatis est interdictum inter fratrem et sororem, consobrinum et consobrinam, proconsobrinum et abconsobrinum, seu *Figura I* inter B et F, C et G, D et H, E et I, si I esset mulier. Nuptias inter fratrem et sororem juri naturae adversari nonnulli arbitrantur, quoniam naturalis pudor eas vetare videtur. Generatim, ad impediendam turpem consuetudinem et familiaritatem, lex moralis suadet, ut proximis consanguineis in linea obliqua omnis spes contrahendi matrimonii adimatur: imo tam Ecclesiae, quam Civitati expedit, ut matrimonia cum aliis familiis ineantur * (1).

* *Teste experientia quemadmodum virtutes, ita et vitia in familiis propagantur. Si matrimonia contrahantur cum aliis familiis fieri potest, ut mulier pia et moralis unius familiae sanctificet virum impium et immoralem alterius familiae, et foemina dives ditet hominem pauperem, et viceversa; atque ita bono utriusque reipublicae ecclesiasticae et civilis consulitur.*

(1) C. 1. et 19. c. 35. q. 2. Nicolaus II Decret. 13. apud Balutium §. 4. Inst. de Nuptiis. Can. 10. Concil. Later. IV.

## §. 160. *Cognatio spiritualis.*

Qui aliquem vel baptizaverat, vel in Christo instituerat, vel de sacro fonte levaverat, semper veluti pater habebatur; sed primis Ecclesiae saeculis nullum inde matrimonii impedimentum oriebatur. Impedimenti cognationis spiritualis prima mentio fit saeculo VI in Codice Justiniani imperatoris, qui lege 26 de nuptiis matrimoninm prohibuit inter levantem et levatam; quam legem Ecclesia adoptavit. Lapsu temporum extensum fuit sicut illud cognationis naturalis. Verum Synodus Tridentina videns nimis late patere impedimentum cognationis spiritualis, saepe per errorem contra jus contrahi matrimonia, quae nec sine peccato subsistebant, nec sine offendiculo dissolvebantur, statuit, ut impedimentum cognationis spiritualis obtineat, dirimatque connubium inter baptizantem, baptizatum, baptizatique parentes, levantem, levatum, levatique parentes, confirmantem, confirmatum, confirmatique parentes. Simul etiam decrevit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus vir, et una mulier ad levandum infantem admittantur. Si quis constituit procuratorem pro levanda prole, mandans, non procurator cognationem spiritualem contrahit (1).

## §. 161. *Cognatio legalis.*

Impedimentum cognationis legalis ex Jure civili romano transiit in Jus canonicum, idest Ecclesia illud ab Jure civili accepit. Cognatio legalis procedit ex adoptione, et inter certas personas matrimoninm dirimit. Cognatio legalis dividitur in *perfectam*, quae etiam *arrogatio* dicitur, et *imperfectam.* Perfecta adest, dum quis jam sui juris existens, annuente terrae principe, in familiam, et paternam potestatem adoptantis ita transit, ut haeres ejusdem necessarius fiat: imperfecta vocatur, dum quis sub patris potestate constitutus sine terrae principis consensu a tertio in filium adoptatur ita, ut non fiat haeres necessarius. Perfecta, non imperfecta cognatio matrimonium nullum, irritumque reddit. Cognatio legalis inducens impedimentum dirimens triplex distinguitur, scilicet *paternitas, fraternitas*, et *affinitas legalis.* Paternitas inducit impedimentum in linea recta inter adoptantem, adoptatum, adoptatique descendentes usque ad quartum gradum inclusive quod semper perdurat, etiamsi per emancipationem soluta fue-

(1) L. 26. Cod. de nuptiis. Vid.30.q. 3. et tit. de cognat. spirit. Concil. Trid. Sess. 24. c. 2. de ref. matrim.

rit adoptio. Fraternitas inducit impedimentum in linea transversa inter liberos naturales adoptantis, et adoptatum tanquam fratres et sorores legales. Hoc impedimentum tollitur expirante adoptione, et filiorum emancipatione. Affinitas legalis inducit impedimentum inter adoptatum et uxorem adoptantis, et vicissim inter adoptantem et uxorem adoptati. Haec cognatio perdurat, etiam soluta adoptione. « Triplex, ait S. Thomas » Aquinas, est legalis cognatio. Prima quasi descendentium, » quae contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi, et nepotem, et sic deinceps. » Secunda, quae est inter filium adoptivum et filium naturalem. Tertia per modum cujusdam affinitatis; quae est inter » patrem adoptantem et uxorem filii patris adoptivi, vel e » contrario inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio et tertia perpetuo matrimonium » impediunt : secunda autem non, nisi quandiu manet in » potestate patris adoptantis ; unde mortuo patre, vel filio » emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium (1)».

## §. 162. *Affinitas.*

Affinitas consideratur sub duplici respectu civili, et ecclesiastico. Juxta Jus civile romanum *affinitas est necessitudo inter conjugem unum, et alterius conjugis familiam.* Jus civile austriacum imitatur jus civile romanum, et secundum hoc *affinitas est vinculum, quod inter conjugem unum, et alterius conjugis consanguineos oritur.* Leges igitur civiles ex legitimo conjugio affinitatem repetunt. Secundum Jus canonicum *affinitas est propinquitas personarum proveniens ex copula carnali maris et foeminae, qua mas fit affinis omnibus consanguineis foeminae, et foemina omnibus consanguineis maris.* Ergo in Jure canonico affinitas oritur ex copula carnali sive legitima, sive illegitima. Itaque discrimen essentiale inter Jus civile et Jus canonicum est, quod secundum legem civilem fons affinitatis sit conjugium legitimum, secundum canones copula carnalis sive legitima, sive illegitima. Inde sequitur nullam enasci affinitatem inter maris et foeminae consanguineos ; sed solus vir fit affinis consanguineis mulieris, et sola mulier fit affinis consanguineis viri juxta illud tritum adagium: «affinitas non parit affinitatem». Sic inter comprivignos nullum extat impedimen-


(1) Can. 1. cap. 30. q. 3. cap. unic. de Cognat. legal. §. 2. Inst. de Nuptiis. L. 55. ff. de rit. nupt. L. 14. ff. de rit. Nupt. S. Thom. Aq. in 4. dist. 42. q. 2. art. 3.

tum. *Figura IV.*





In hac figura tria proponuntur matrimonia, scilicet A et B, E et F, et mortuis A et F inter viduam B, que ex priori matrimonio habet filiam D et filium C, et viduum E, qui genuit filium G et filiam H: hi quatuor D C H G sunt comprivigni, quorum scilicet H G noverca est B, et D C vitricus est E. Ex novo isto matrimonio nati sunt filius K et filia I. Jam inter D et C, C et I, H et G, K et I, I et G matrimonium non habet locum, quia sunt fratres et sorores vel bilaterales, vel unilaterales; sed nuptiae iniri possunt inter D et G, item inter C et H, quoniam B nubendo E contraxit affinitatem cum H G; et E ducendo uxorem B contraxit affinitatem cum D C; D C vero cum H G nullam contraxerunt affinitatem: ergo comprivigni possunt inire matrimonium.

Porro affinitas non extenditur ad conjuges privignorum *Fig. V.*





Hic mas C, contraxit matrimonium cum muliere B, a quibus natus fuit filius D, qui dein uxorem duxit E. Mortuo marito C, vidua B nupsit viro A; unde A contraxit affinitatem cum omnibus consanguineis uxoris suae B, adeoque cum filio D, non autem cum hujus uxore E, quae non est consanguinea, sed affinis B. Igitur mortuo B in secundo matrimonio, defunctoque D, vitricus A potest matrimonim contrahere cum vidua sui privigni D.

Simili modo noverca A, mortuo marito B, defunctaque filia mariti sui potest nubere E viduo suae privignae D. *Fig. VI.*



Ex figura vero sequenti manifestum est, conjuges fratrum et consobrinorum non esse affines, seu D et E, I et H posse matrimoninm inire. *Fig. VII.*




D ineundo matrimonium cum B contraxit affinitatem cum omnibns consanguineis mariti sui, scilicet cum A C F G, et E nnptias celebrando cnm C contraxit affinitatem cum omnibns consanguineis uxoris suae, nimirum cum A B F G, D vero et E inter se nullam contraxerunt affinitatem; ergo mortuis B C possunt contrahere matrimonium. Eodem modo demonstratnr, conjuges duorum consobrinorum posse nuptias conciliare (1).

## §. 163. *Divisio affinitatis.*


Affinitas a Canonistis dispescitur in *antecedentem* et *consequentem, veram* et *quasi affinitatem*; *vera* antem subdividitur in *legitimam* seu *honestam,* et *illegitimam* seu *turpem* et *inhonestam*. Affinitas antecedens illa dicitur, quae matrimonium praecedit, v. g. si sponsus peccat cum sorore suae sponsae. Conseqnens ea vocatur, quae matrimonio contracto supervenit. Affinitas sive legitima, sive illegitima, ut matrimonium initnm reddat, antecedens esse debet. Si vero superveniat matrimonio per copulam incestuosam uxoris cum consanguineis mariti intra gradum secundnm computationis canonicae, vel mariti cum consanguineis uxoris suae inter eosdem gradus, pars rea perdit jus petendi debiti conjugalis usque ad obtentam dispensationem. Si utraque pars incestum committeret, neutri liceret aut petere, aut reddere debitum. Pars rea tene-

(1) S. Thomas Aq. q. 55. art. 2. Concil. Later. IV Cap. Non habet. Cap. 5. et 8. de consanguin. et affin., Benedictus XIV de syn. dioec. l. 9.

tur debitum reddere, si pars innocens illud exigat; at si haec conscia est incestus a comparte commissi, reo petenti non debet reddere, quia cooperaretur alieno peccato; potest tamen petitione sua praevenire, quod licitum est. Si vero persona vi oppressa, vel ex ignorantia incestum committeret, aut copula non esset perfecta, non privaretur jure debiti petendi. Vera affinitas est illa, quae oritur ex copula maris et foeminae. Si copula legitima est, legitima et honesta, si illegitima, illegitima et inhonesta appellatur affinitas. Quasi affinitatem eam vocant, quae ex sponsalibus, et matrimonio rato non consummato oritur (1).


## §. 164. *Modus computandi gradus affinitatis.*

Modus computandi gradus affinitatis est facillimus; nam oportet tantum conficere arborem consanguinitatis, et attendere in quo gradu conjux sit consanguineus, ac dein hoc generale principium observare: « In quo gradu pars una cui- » dam est consanguinea, in eodem altera est eidem affinis; « vel in quo gradu mas est cuidam consanguineus, in eodem » foemina est affinis ». Sic in *FIGURA VIII* uxor D avo A mariti sui C in secundo gradu lineae rectae affinis est, quia hic eidem secundo gradu lineae rectae consanguineus est.





(1) Cap. I: De eo, qui cognovit, Cf. Scarpazza Teolog. Mor. t. 8. §. 4. p. 347 et 348.

Vel *Figura IX*,




maritus A nepti E suae uxoris B est affinis in secundo gradu computationis canonicae, quia etiam neptis E suae amitae B in secundo gradu consanguinea est.

Similiter si quaestio sit *Figura* X in quo gradu uxor




L affinis sit abnepoti E sui mariti K, computando inveniatur eam esse in quinto gradu computationis civilis, canonicae, et in nono computationis quia in eodem gradu K est consanguineus E. Sic uxor M affinis est G in secundo gradu computationis canonicae, et quarto computationis civilis, quia ejus maritus C in secundo gradu computationis canonicae, et quarto computationis civilis consanguineus est G.

### §. 165. *Cur affinitas est impedimentum dirimens, et in quo gradu ?*

Ratio hujus impedimenti sita est in similitudine affinitatis cum consanguinitate , in arctissimo nexu unius conjugis cum cognatis alterius, seu cum suis affinibus, denique in vitae consuetudine , quam nonnunquam conjuges cum personis affinibus colunt: quare affinitas simili modo est impedimentum sicuti consanguinitas. Ad gradum vero affinitatis quod attinet, in quo matrimonium validum iniri nequit , quia est impedimentum dirimens, Jus Canonicum ita habet: « In eodem gra» du , in quo defuncto marito obstabat impedimentum con» sanguinitatis, quo minus matrimonium posset contrahere, in » eodem gradu superstiti uxori obstat affinitas; scilicet in li» nea recta in infinitum, in linea transversa usque ad quar» tum gradum computationis canonicae ». Adeoque mortuo marito , superstes uxor cum nulla persona consanguinea sui defuncti mariti in linea recta ascendente et descendente matrimonium contrahere potest, neque in linea transversa intra quartum gradum computationis canonicae. Item si maritus superstes manet non potest nuptias conciliare cum aliqua persona consanguinea suae defunctae uxoris in linea recta, neque in linea obliqua intra gradus a canonibus prohibitos. Inde patet inter generum C et socrum A non posse matrimonium subsistere, quia est affinis in primo gradu lineae rectae *Fig. XI.*





Similiter nurus F mortuo marito E non potest nubere socero suo D, quia est affinis in primo gradu lineae rectae

*Fig. XII.*




Privignus D non potest inire connubium cum noverca C, quia sunt affines in primo gradu lineae rectae *Fig. XIII.*




Neque privigna D potest nuptias celebrare cum suo vitrico A, quia ei est affinis in primo gradu lineae rectae *Fig. XIV.*




Inde simul colligitur: 1 Duos fratres unius familiae posse ducere uxorem duas sorores ex alia familia; 2 Patrem et filium, matrem et filiam alterius familiae; 3 Vitricum posse ducere viduam sui privigni, et vice versa novercam posse nubere viduo suo privignae; 4 Viduum posse nuptias inire cum vidua a fratre suae defunctae uxoris relicta. 5 Quamvis cum relicta affinis sui vidua, et cum duabus successive foeminis, quarum mariti duo erant fratres, matrimonium contrahere posse.

Matrimonium itaque in certis affinitatis gradibus sub poena nullitatis contractus est prohibitum , et si quis attentaret nuptias celebrare in gradu prohibito, committeret incestum (1).

(1) Vid. Scarpazza Teolog. Mor. t. 8. §. 4. p. 350 - 356.

## §. 166. *Affinitas illegitima, seu inhonesta.*

Affinitas illegitima, seu inhonesta illa est, quae ex copula illegitima contrahitur, cujus is est effectus, ut concubitor, contrabat affinitatem cum consanguineis concubitricis, et vice versa concubitrix contrahet affinitatem cum consanguineis concubitoris. Impodimentum affinitatis illegitimae olim extendebatur usquo ad quartum computationis canonicae gradum: verum Synodus Tridentina illud restrinxit ad secundum gradum computationis canonicae, non facto discrimine inter lineâs rectas et obliquas. Inde sequitur, concubitorum non posse validum matrimonium contrahere cum avia, matre, filia, nepte, sorore, consobrina suae concubitricis, et vice versa. Ratio hujus impedimenti est sequens: si non existeret, nomina vere paradoxa oriri possent, v. g. si mas copulam baberet illicitam cum matre alterius familiae, ex qua proles illegitima nasceretur, et dein ejus filiam uxorem duceret, haec, ratione habita prolis illegitimae, esset noverca et soror uterina; vel si concuberet cum filia, et prolem illegitimam gigneret, ac dein cum illius matre matrimonium iniret, haec foret illius prolis noverca et avia.

Jus civile austriacum non admittit impedimentum ex copula illegitima proveniens ob sequentes rationes: 1 Quia non pugnant pro eo illa momenta, quae stant pro vera affinitate legitima. 2 Quia ab hominis libidinosi et licentiosi arbitrio penderet suao familiae impedimenta contrahere. 3 Quia variae collisiones oriri possent, v. g. si celebrandarum nuptiarum tempore, quo utriusque conjugis consanguinei congregari solent, sponsus sponsae suae consanguineam conspiceret, quacum in gradu prohibito commercium carnis habuit, et vice versa; tunc aut deberet invalidum matrimonium inire aut suam turpitudinem publice propalare. Collisio quoque oriretur, si impedimentum post celebratas nuptias patesceret; et si pars rea peteret matrimonii dissolutionem, pars innocens foret decepta, et populo daretur scandalum (1).

## §. 167. *Impedimentum quasi affinitatis, seu publicae honestatis.*

Quasi affinitas, seu publica honestas est connexio personarum ex sponsalibus validis, et matrimonio rato non consummato proveniens. Quia publica bonestas exigere videbatur,

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 4. de ref. matrim., Georgius Rechberger Enchirid. Juris Ecc. Austr. t. 2. §. 192. p. 169.

ut personae, quae inierant sponsalia vel matrimonium, nuptias non conciliarent cum quibusdam consanguineis sponsae, vel uxoris, jus civile romanum prohibuit matrimonium intra primum gradum lineae rectae. Ex jure civili romano sat mature impedimentum publicae honestatis transiit in Jus canonicum, et fuit amplificatum sicut illud affinitatis. Verum Concilium Tridentinum sustulit impedimentum, quod a tempore Bonifacii VIII etiam ex sponsalibus invalidis oriebatur, et statuit ut impedimentum publicae honestatis ex validis sponsalibus ortum ultra primum gradum lineae rectae et obliquae non se extendat, et illud quod ex matrimonio rato non consummato enascitur maneat intactum, id est in linea recta in infinitum, in linea transversa usque ad quartum gradum computationis canonicae inclusive (1).

### §. 168. *Impedimentum criminis.*

Duo sunt crimina, quae matrimonium irritum faciunt, nimirum *adulterium* et *conjugicidium*. Ratio hujus impedimenti est, ut sublata adulteris et conjugicidis spes futuri matrimonii adulteria impediantur, vel saltem diminuantur, vitae conjugum consulatur, et malis summis subveniatur. Adulterium jam jure civili romano erat impedimentum, et quidem absolutum et perpetuum, idest personae, quae adulterium commiserant, non poterant validum inire matrimonium. Jus canonicum sequebatur hanc juris civilis romani regulam usque ad saeculum XII. Ast Gratianus interpretatus canones Concilii Triburiensis anno 895 celebrati, in quibus duo adulteria referebantur, unum scilicet data fide ad ineundum matrimonium, et aliud, ubi insidiae in vitam alterius conjugis struebantur, impedimentum absolutum in conditionatum mutavit, et definivit adulterium non esse impedimentum, nisi adultera, vivente conjuge, fidem dederit adultero in futurum matrimonium, vel adulter machinatus fuerit in mortem suae uxoris. Innocentius III doctrinam Gratiani approbavit, atque ita auctoritate Summi Pontificis impedimentum conditionatum locum invenit in Ecclesia. Igitur, ut impedimentum adulterii obtineat in foro ecclesiastico requiritur: 1 Ut adulterium sit

(1) Leg. 12. §. 1, Leg. 14. §. 4, Leg. 40. ff. de Rit. nupt., Siricius ep. 1. ad Himer. cap. 4. apud Constantium col. 128. can. 14 et 15. cap. 27. q. 2. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. de ref. *

* *In jure civili austriaco impedimenti publicae honestatis nulla fit mentio, quia sponsalia sunt sublata, et lex civilis austriaca nullum facit discrimen inter matrimonium ratum et consummatum.*

cum promissione futuri matrimonii. 2 Ut una pars tempore factae promissionis sit valido matrimonio obstricta, quia secus non esset adulterium. 3 Ut utraque pars actu conscia sit subsistentis matrimonii, alioquin non esset adulterium formale: si vero conjux, vivente comparte, cum alia persona libera et conscia subsistentis matrimonii, connubium ineat et consummet, committit adulterium formale cum attentatione conjugii, quod plus est quam nuda promissio. 4 Ut adulterium et promissio sub uno eodemque matrimonio occurrant; quodsi adulterium sine matrimonii promissione committeretur in uno conjugio, et promissio sine adulterio fieret in alio connubio, non foret impedimentum. 5 Ut promissio sit sincera, externe manifestata, et ab altera parte acceptata. 6 Ut promissio non sit ante adulterium revocata; revocatio vero promissionis post adulterium impedimentum non tollit. 7 Ut copula sit perfecta et ad generationem apta, etsi nulla proles sequatur.

Alterum crimen est conjugicidium. Ut conjugicidium inducat impedimentum essentiale, seu dirimens, canones requirunt: 1 Ut utraque pars volens nuptias inire conspiret in necem conjugis matrimonio obstantis. 2 Ut caedes reapse sit patrata vel per unum ex ipsis vel per tertium quempiam, cum purae insidiae non sufficiant. 3 Ut caedes sit patrata ex fine matrimonii ineundi. Est quoque impedimentum dirimens, si conjux adulterium committat cum quadam persona, et inscia hac consortem occidat eo fine, ut complicem suam in matrimonium sibi copulet, dummodo adulterium sit formale, et praecedat conjugicidium (1).

### D. - DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EX DEFECTU SOLEMNITATUM PRAESCRIPTARUM PROVENIENTIBUS.

#### §. 169. *Solemnitates ad matrimonium requisitae.*

Impedimenta matrimonii ex defectu quoque solemnitatum ad faciliorem contractorum connubiorum, et majorem eorum certitudinem praescriptarum oriuntur. Apud omnes populos moribus excultos in celebrandis nuptiis solemnitates quaedam sive ex lege, sive ex consuetudine obtinere solebant. Sane et Ecclesiae et Civitati interest, ut matrimonia

(1) Leg. 11. §. 11., et Leg. 10 ff. ad Leg. Jul. de adult. Novel. 234. cap. 7. col. 9. tit. 9. Can. 1. cap. 31. q. 1. Concil. Tribur. can. 51. apud Labbaeum t. 11., Concil. col. 653., Conc. Altheimense apud Gratianum c. 3. cap. 6., Cf. Scarpazza Teolog. Mor. t. 8. §. 8. p. 363-366.

non privata, sed publica auctoritate ineantur, ut sciatur quae personae matrimonio junctae, quae proles legitimae, et quae illegitimae sint. Solemnitates, quae in matrimonii celebratione adhiberi solent, sunt duplicis generis, nimirum *accidentales*, et *essentiales*. Defectus priorum illicitum, posteriorum invalidum reddit matrimonium. Ad accidentales jure canonico spectat trina matrimonii promulgatio ante nuptiarum celebrationem; ad essentiales solemnis declaratio consensus coram proprio parocho, et duobus testibus pertinet. Defectus solemnitatum accidentalium impedimentum clandestinitatis in sensu latiori, et defectus solemnitatum essentialium impedimentum clandestinitatis in sensu strictissimo appellatur. Dantur et aliae formae ante et post has duas principales solemnitates observandae, quas vero suis locis interseremus. Prius agemus de clandestinitate in sensu latiori, dein in sensu strictissimo.

### §. 170. *Denuntiatio matrimonii, seu Bannum nuptiale.*

Matrimonia, antequam contraherentur, semper populo fideli indicari solebant, uti patet ex Tertulliano, aliisque scriptoribus ecclesiasticis; sed forma denunciationis, qualis modo obtinet, medio aevo originem suam debet, et quantum constat, in Gallia primum introducta videtur, ut singuli, quorum intererat, exceptiones exponerent. Particulares quarumdam Ecclesiarum consuetudines Summus Pontifex Innocentius III in Concilio Lateranensi IV non solum approbavit, verum etiam ad universam Ecclesiam extendit. Cum vero Innocentii constitutio pluribus in locis negligeretur, Synodus Tridentina, Concilii Lateranensis vestigiis inhaerendo, eandem renovavit praecipiens, « ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia intra Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos sit matrimonium contrahendum.... Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tum vel una tantum denuntiatio fiet, vel saltem parocho et duobus testibus praesentibus matrimonium celebretur, deinde ante consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facile detegantur, nisi Ordinarius ipse judicaverit expedire, ut praedictae denunciationes remittantur, quod ipsius prudentiae et judicio sancta Synodus relinquit ». Hisce verbis Concilium Tridentinum determinavit *formam*, *locum*, *tempus*, *numerum*, et *scopum* denun-

ciationum matrimonii. Proprius contrahentium parochus debet promulgare nomen et cognomen sponsi et sponsae, ut populus sciat, qui velint matrimonium contrahere. Locus promulgationis faciendae est Ecclesia parochialis, in cujus districtu sponsi domicilium habent. Tempus est dies dominicus et festivus. Denunciatio fieri debet tribus continuis diebus ita, ut si festum celebretur infra hebdomadam, non liceat, eam abrumpere. Scopus denunciationum est, ut facilius impedimenta detegantur, ac matrimonia invalida vitentur; quamobrem parochus tenetur admonere, ut quilibet, cui aliquod impedimentum matrimonii notum est, illud indicet (1).

## §. 171. *Examen sponsorum.*

Ecclesia vetat inire nuptias illis, qui fidei rudimenta vel numquam didicerunt, vel oblivioni tradiderunt, quia officiis parentum satisfacere, et salutem aeternam consequi nequeunt; quare coram proprio animarum pastore ex doctrina Religionis examen subire debent. Parochus hac occasione interrogare tenetur sponsos, an conscii sint alicujus impedimenti ordinarii, et si impedimentum aliquod subest, vel eos a matrimonio dehortari, vel edocere, qua ratione dispensationem obtinere valeant. Item parochus a sponsis exquirat oportet omnia documenta ad matrimonium contrahendum necessaria, v. g. si nati sunt, vel si sponsus, aut sponsa, aut uterque copulatus fuit in alia parochia litteras baptismales, et testimonium de morte prioris conjugis. Circa illos vero, qui vagantur et incertas habent sedes, Concilium Tridentinum praecipit, ut parochi illorum matrimoniis non intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint, simulque hortantur magistratus saeculares, ut eos severe coerceant (2).

## §. 172. *Solemnis declaratio consensus.*

Altera solemnitas principalis, cujus defectus matrimonium invalidum reddit, est solemnis declaratio consensus coram proprio alterutrius sponsorum parocho, et in praesentia duorum vel trium testium. Jam inde a primordiis Ecclesiae matrimonia fidelium publice contrahebantur, et vel ab Episcopo, vel a Sacerdote benedicebantur. Hanc in rem luculenta extant Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum testimonia. Sic

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.
(2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 7. de ref. matrim.

S. Ignatius M. ita scribit: « Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint » secundum Dominum, et non secundum cupidinem ». Benedictionem nuptialem a Presbytero peragi, memorat Clemens Alexandrinus: « Cui, ait, manum imponet presbyter? cui be» nediect? non mulieri, quae est ornata, sed alienis capillis, » et per ipsos alteri capiti ». Ex Tertulliano quoque constat, conjugia Christianorum in facie Ecclesiae inita fuisse: « Quos » Ecclesia conjungit, inquit, Sacrificium Missae confirmat, be» nedictio obsignat, Angeli annuntiant, et Pater coelestis cor» roborat ». Matrimonia clandestina erant semper lege ecclesiastica severe prohibita; sed usque ad Concilium Tridentinum illicite, non vero invalide contrahebantur. Cum autem connubia clandestina ob latens impedimentum invalide inirentur, et homines perversi ingenii in diversis locis cum pluribus foeminis contraherent, atque ita perpetuo in adulterio viverent, poenasque ecclesiasticas in clandestinos statutas spernerent, Synodus Tridentina non solum decretum Concilii Lateranensis de trina sponsorum promulgatione renovavit, verum etiam praecepit, ut ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, seu ut consensus in matrimonium coram parocho, et duobus saltem testibus declaretur, et nisi matrimonium ita contrahatur, illud sit nullum et irritum: « Qui » aliter, pergit sancta Synodus, quam praesente parocho aut » alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et » duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere atten» tabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino » inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos » esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et » annullat. Insuper parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum » minori testium numero, et testes, qui sine parocho, vel » Sacerdote hujusmodi interfuerint, nec non ipsos contrahen» tes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit ». Ad valorem igitur matrimonii juxta leges ecclesiasticas requiritur, ut contrahentes consensum declarent coram *proprio parocho, et duobus testibus.* Censetur proprius parochus is, in cujus districtu parochiali sponsi domicilium habent, non vero ille in cujus parochia nati sunt: si sponsi in diversis habitant parochiis, sufficit ut adsit vel parochus sponsi, vel parochus sponsae: ordinarie copulatio fieri solet in parochia sponsae cum licentia parochi sponsi, qui dare tenetur testimonium factarum denuntiationum. Ad valorem matrimonii nihil refert an parochus conjungat in propria vel aliena parochia: ordo tamen exigit, ut hoc non fiat sine facultate prius obtenta ab Episcopo et parocho, potissimum si copulatio fieret in dioe-

cesi alterius Episcopi. Si famulus et famula non habent alibi proprium domicilium, parochus heri erit etiam eorum parochus. Penes Episcopum jus est adsistendi matrimoniis fidelium in tota sua dioecesi. Episcopus et parochus possunt delegare facultatem copulandi alteri Sacerdoti, quae facultas potest esse vel *expressa*, vel *tacita*; expressa dicitur cum vel ore, vel scripto conceditur; tacita vocatur, cum parochus scit, matrimonium contrahendum esse coram alio Sacerdote, et non se opponit; hic valet illud adagium: qui tacet, consentire videtur. Praesumpta licentia appellatur, cum Sacerdos praesumit proprium parochum inscium non esse contrarium; haec non sufficit ad valorem matrimonii. Sacerdos delegatus non potest alteri Sacerdoti facultatem obtentam subdelegare. Qui alterius parochiae sponsos sine proprii parochi licentia audet copulare, ipso jure tandiu suspensus manet, quandiu ab Ordinario parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur. Quia Synodus Tridentina tantum proprii parochi praesentiam exigit, matrimonium valide contrahitur, etiamsi parochus excommunicatus, aut suspensus adsistat. Praeter proprium parochum debent adesse saltem duo testes, ut conjugium sit validum. Cum vero Concilium Tridentinum testium qualitates non determinaverit, testes idonei censentur mares, foeminae, parentes, consanguinei, affines, probi et improbi. Mares foeminis, probos improbis praeferendos esse, per se patet. Requiritur tamen, ut praesentia parochi, et testium non solum sit simultanea et physica, sed etiam moralis, id est non solum omnes tres simul corpore praesentes esse debent, sed etiam debent intelligere quid agatur, ut queant testimonium perhibere, consensum in matrimonium a contrahentibus reapse datum fuisse; nec obest valori matrimonii, si parochus et testes inviti adsint. In locis, ubi decretum Concilii Tridentini non fuit promulgatum, matrimonia catholicorum absque parochi praesentia, seu clandestina inita sunt valida, quia ipsa Synodus in singulis parochiis illud promulgari jussit, et statuit, ut vim obligandi non habeant nisi post triginta dies a die primae publicationis in eadem Ecclesia factae numerandos. Nihilominus si quis in fraudem legis ad talia loca se conferret, ut clandestine matrimonium contraheret, ejus matrimonium nullum, et irritum foret (1).

(1) S. Ignat. M. ep. ad Polycarp., Clemens Alexandrinus l. 3. pedag., Tertullian. l. 2. ad uxor., Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. de ref. matrim., S. Congregat. apud Fagnanum in c. 1. de matrim. contract. contra interdict. Declarat. S. Congregat. et Bened. XIV const. *Cum venerabilis* etc. de A. 1758. Urbanus VIII 14. Aug. 1627., Vid. Scarpazza Teolog. Moral. t. 8. §. 10. p. 380-390.

### §. 173. *Declaratio consensus in matrimonium fieri potest etiam per procuratorem.*

Non est necessarium, ut mas et foemina tempore contrahendi matrimonii sint corpore praesentes in uno loco; etenim alteruter contrahentinm potest abesse, quo in casu persona absens debet instituere Procuratorem, qui ejus nomine consensum declaret in matrimonium. Talia matrimonia, quae ordinarie iniri solent inter terrae principes, sunt valida; nam valor contractus a consensu partium pendet, qui consensus potest dari tam per praesentes, quam per absentes; et si alii contractus validi inter absentes iniri possunt, etiam matrimonium contrahi potest. Reapse Ecclesia conjugia inter absentes inita nunquam reprobavit; sed tantum conditiones praescripsit, sub qnibus tales nuptiae conciliari possunt. Requiritur autem secundum Jus commune: 1 Ut persona absens instituat Procuratorem; 2 Ut Procuratori tribuat mandatum speciale, id est contrahendi matrimonium; 3 Ut in mandato speciali determinet personam, quacum contrahere intendit; 4 Ut mandatum ante matrimonium non sit revocatum; quia tunc deesset consensus; 5 Ut Procnrator limites mandati non excedat; 6 Ut Procurator sui loco aliam personam non substituat; 7 Ut mandatum parocho et testibus praelegatur, quoniam illi testimonium perbibere debent de consensu in matrimonium dato (1).

### §. 174. *Hieralogia ecclesiastica.*

Tertia solemnitas est hieralogia ecclesiastica, seu benedictio sacerdotalis, de qua Concilium Tridentinnm ita habet:. « Parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mntuo » consensu intellecto, vel dicit: Ego vos conjungo in matri» moninm in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel » aliis utatur verbis juxta receptnm cujuscumqne provinciae » ritum ». Praeterea Sancta Synodus eodem loco hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non habitent, statimque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemoriali, quae potius corruptela di-

(1) Bonifacius VIII cap. 14. de convers. conjug. et Cap. finali de Procurat. in 6., Benedict. XIV de Synod. dioec. l. 13. cap. 23. n. 9. Leg. 34. de rit. nupt., Vid. Scarpazza Teol. Mor. t. 8. §. 4. p. 211-213.

cenda est, vel privilegio non obstante. Postremo sancta Synodus conjuges monet, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata confiteantur, et ad Sacramentum Eucharistiae accedant. Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus aut caeremoniis hac in re utantur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer exoptat. « Quamvis benedictio sacerdotalis ad essentiam » matrimonii non spectet, tamen peccarent mortaliter qui eam » non susciperent (1) ».

### §. 175. *Inscriptio matrimonii initi.*

Ad certam fidem faciendam de peracto contractu matrimoniali, Concilium Tridentinum praecepit, ut quilibet parochus in libro ad id destinato conjugum, et testium nomina, diemque, et locum contracti matrimonii describat, eumque librum apud se diligenter custodiat. En Concilii verba: « Habeat parochus librum in quo conjugum, et testium nomi» na, diemque, et locum contracti matrimonii describat, quem » diligenter apud se custodiat ». Si parochus negligeret exequi hoc Concilii Tridentini decretum, maxima in utramque rempublicam redundare possent incommoda (2).

## ARTICULUS IV.

### DE POTESTATE IMPEDIMENTA MATRIMONII CUM IMPEDIENTIA, TUM DIRIMENTIA CONSTITUENDI, ET RELAXANDI.

### §. 176. *Sententiae de potestate constituendi impedimenta matrimonii.*

Tres ordinarie circumferuntur sententiae circa jus statuendi impedimenta matrimonii. Alii habent matrimonium pro contractu divino naturali ad dignitatem Sacramenti elevato; unde inferunt eundem nonnisi lege divina sive naturali, sive positiva dirigi, nec ulli quoad essentialem valorem subjici, quam Ecclesiae judicio, quae infallibilis est eloquiorum divinorum interpres. Alii considerant matrimonium tanquam contractum mere civilem, ac propterea illud potestati civili unice ita subjiciunt, ut Ecclesia nihil statuere possit, quod contractum matrimonialem irritum redderet; quamobrem impedimenta ab Ecclesia statuta pro quasi impedimentis habent.

(1) Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. matrim.
(2) Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de ref. matrim.

Alii tandem docent matrimonium esse contractum naturalem ad dignitatem Sacramenti elevatum, et contractum civilem; idcirco et Ecclesiae et terrae principibus sub proprio respectu competere potestatem impedimenta matrimonii statuendi. Primae sententiae patroni ex recentioribus sunt Joannes Devoti, et Joannes Perrone. Secundam sententiam tuiti sunt Valdenses, Lutherani, Calviniani, Marcus Antonius de Dominis archiepiscopus Spalatensis, et apostata Paulus Sarpius, Joannes Launojus, Aloysius Litta, Thomas Nestius, Petrus Tamburinius, Antonius Petzeck, Le Plat, Georgius Rechberger etc. Tertiam denique propugnarunt S. Thomas Aquinas, P. Maurus Schenkl, Leopoldus Liebermann, D. Carrière, et plures alii, quibus etiam nos assensum praebemus.

### §. 177. *Ecclesia habet potestatem statuendi impedimenta matrimonii impedientia, et dirimentia.*

Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta matrimonii impedientia, et dirimentia, sequentibus evincitur argumentis:

1 Matrimonium est contractus divino-naturalis ab ipso Deo in paradiso terrestri institutus: quemadmodum autem Ecclesia est infallibilis interpres legum divinarum positivarum, ita etiam naturalium, quia hae non minus quam illae voluntatem Dei manifestant. Ecclesiae igitur est leges naturales explicare, et conditiones apponere juxta quas contractus naturalis fieri debeat, ne forsitan per contractum legibus naturalibus minus convenientem finis moralis, quem Ecclesia persequitur, aut impediatur, aut respective evertatur.

2 Christus Dominus contractum naturalem ad dignitatem Sacramenti elevavit; et Ecclesiam habere potestatem certam Sacramentorum materiam definiendi, leges circa Sacramentorum administrationem ferendi, et conditiones praescribendi juxta quas fideles Sacramenta suscipere debeant, nemo ullus ignorat: defectum autem conditionis esse impedimentum jam alibi dictum est.

3 A bona vel mala matrimonii constitutione non solum felicitas vel infelicitas singularum familiarum, verum etiam bonum vel malum totius Ecclesiae pendet; igitur Ecclesia, quae bonum promovere et malum avertere tenetur, nequit carere potestate contractum matrimonialem fidelium suis legibus moderandi.

4 Divinus humani generis Redemptor, et Ecclesiae Fundator, impedimentum ligaminis constituit (1): « Omnis, qui

(1) Luc. 16.

« dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur; » et qui dimissam a viro duxerit, moechatur » .......... Christus Dominus eadem potestate, qua a Patre coelesti missus fuerat, Apostolos in mundum universum misit; sed Christus babuit potestatem impedimenta matrimonii constituendi; ergo etiam Apostolis jus dedit leges circa matrimonia ferendi, quemadmodum reapse tulerunt, potissimum Paulus (1): « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod » si dormierit vir ejus, liberata est ». Et (2): « Nam quae » sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi, si autem » mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri ». Huc spectant etiam ea, quae Paulus praescripsit conjugibus, inter quos cultus disparitas erat (3). Potestas itaque constituendi impedimenta matrimonii a Christo et Apostolis in Ecclesiam fuit derivata.

5 Ecclesia conscia potestatis a Christo et Apostolis sibi traditae semper impedimenta matrimonii tum impedientia, tum dirimentia et promulgavit et constituit. Sic Evangelii praecones una cum religione christiana leges de unitate et indissolubilitate matrimonii, aliasque ad omnes gentes detulerunt. Saeculo II Athenagoras philosophus christianus in Apologia memorat leges circa matrimonia ab Ecclesia latas, dicens: « Uxorem suam unusquisque nostrum eam reputat, quam le» gibus nostris duxit ». Saeculo III Tertullianus in libro de corona militis perspicuis verbis significat ab Ecclesia improbatas fuisse nuptias christianorum cum infidelibus, quae cultus disparitas postea consuetudine impedimentum dirimens constituit: « Coronant, inquit, et nuptiae sponsos. Ideo non » nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a » qua apud illos nuptiae incipiunt ». Canon XXV apostolicus dictus, qui quamvis non sit genuinus, tamen perantiquus est, prohibet nuptias Clericis majoribus, qui coelibes fuerunt ordinati. Concilium Eliberitanum anno 305 celebratum ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, disparitatis cultus impedimenta constituit, simulque Clericis in ministerio positis praecipit abstinere se a conjugibus, et non generare filios. Concilium Neocaesariense de anno 314 impedimentum affinitatis firmat, matrimonia cum eo contracta irritat, et contravenientes ab Ecclesia ejicit. Synodus Ancyrana de eodem anno impedimentum raptus confirmat. S. Basilius memorat impedimenta ordinis, voti, raptus, affinitatis, conditionis servilis, contracta cum eis matrimonia adulteria appellat, et junctos, secundum sanctiones a sanctis traditas, separandos decernit.

(1) I. Cor. 7, 39. (2) Ad Romanos 7, 2. (3) I. Cor. 7. 12.

Siricius Papa, qui Sedem Romanam conscendit anno 384, in epistola ad Himerium impedimentum voti stabilit, scribens: « Publicae leges, et ecclesiastica jura monachorum, et mo- » nialium matrimonia condemnant ». Concilium Chalcedonense anno 451 celebratum canone 6 matrimonia Monachorum, et Virginum Deo consecratarum prohibet, et Episcopis permittit, ut indulgentia, seu dispensatione uti possint. S. Leo I nuptias earum, quae viris suis in servitutem abductis secundum leges civiles aliis jungebantur, rescindi mandat. Concilium Agathense a. 506 nuptias consanguineorum et affininm, etiam eas, quae lege civili non prohibebantur, irritas pronuntiat. Synodus Lateranensis II a. 1139 nulla declaravit matrimonia ab Episcopis, Diaconis, Subdiaconis, Canonicis Regularibus, et Monachis castitatem professis contra ecclesiasticam regulam inita.

6 Denique Sancta Synodus Tridentina Scripturae sacrae, et Patrum traditioni insistens (1) dogmatice definivit: « Si » quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gra- » dus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matri- » monium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse » Ecclesiam in nonnullis dispensare, aut constituere, ut plu- » res impediant aut dirimant, anathema sit ». Et canone 4 ejusdem Sessionis: « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse » constituere impedimenta matrimonii dirimentia, aut in iis » constituendis errasse, anathema sit ». Itaque si Ecclesia a sua origine usque ad nostra tempora impedimenta matrimonii impedientia, et dirimentia statuit, quis non videt eam hanc potestatem a Christo accepisse? Secus dicendum foret, Ecclesiam limites suae potestatis ignorasse, et jus indebitum usurpasse contra Christi voluntatem, quod vel suspicari nefas esset.

Launojus, Litta, Nestius, Tamburinus, plerique alii personati catholici, haereticorum vestigiis inhaerentes, et principum potestatem ultra modum dilatantes, omne Ecclesiae Dei denegarunt jus impedimenta matrimonii dirimentia constituendi. Ut autem vim supradictorum canonum Synodi Tridentinae infringerent, et jacula anathematis eluderent, impudenti oro asserere non sunt veriti: 1 Canones illos non esse dogmaticos; 2 Patres Concilii Tridentini, in condendis illis canonibus, non coetum Pastorum, sed principes saeculares intellexisse; adeoque 3 Ecclesiam non propria, sed delegata a terrae principibus potestate impedimenta dirimentia constituisse. At haec vana esse et ridicula effugia nemo inficias ibit.

(1) Sess. 24. can. 3

*Ad primum reponimus.* Patres Concilii Tridentini inter dogmata, et disciplinam Ecclesiao probe discreverunt, et declararunt se velle doctrinam dogmaticam canonibus, res vero disciplinares decretis de reformatione exponere. Initio sessionis 24, in qua extant illi duo canones, Sancta Synodus palam facit, se exterminaro omnes haereses, et errores, qui de Sacramento matrimonii orti sunt, et inter has haereses, et errores anathematizat etiam eos, qui denegant Ecclesiae potestatem impedimenta matrimonii impedientia, et dirimentia statuendi, unde luculenter patet, illos duos canones dogmaticos esse.

*Ad secundum.* Norunt omnes ex usu loquendi quotidiano per Ecclesiam, societatem fidelium, et cum de legum ferendarum potestate sermo est, coetum Pastorum, qui fideles regunt, intelligi. Quis enim putet, Patres Tridentinos in condendis illis duobus canonibus nomen Ecclesiao usurpasse, ut principes saeculares significarent? Si Patres Tridentini, qui cuncta suis propriis germanisque vocabulis explicarunt, sub Ecclesiae nomine principes saeculares intellexissent, eo tantum in loco a proposito recessissent, et vocabuli significationem pervertissent, ut ansam praeberent disputationibus, simulque integrum relinquerent errorem Lutheri, qui non principibus, sed Ordini Sacerdotali jus statuendi impedimenta denegabat, quod vel cogitare absurdum est.

*Ad tertium.* Perperam asseritur, Ecclesiam delegata id fecisse potestate; nam si Synodus Tridentina juro a terrae principibus delegato usa fuisset, oratoribus Regis Galliae a se postulantibus, ut irrita et nulla declararet matrimonia clandestina et minorennium, nihil recusare potuisset; non tuto et certo statuere Canones 3 et 4 Ecclesiam non solum *potuisse*, verum etiam in posterum *posse* matrimonii impedimenta impedientia et dirimentia constituere; non anathematis poena plectere eos, qui eam potestatem Ecclesiae negarent. Jus statuendi matrimonii impedimenta est cum imperio Ecclesiae intime conjunctum, et Synodus oecumenica in constituendo dogmate catholico potestate delegata numquam indiguit (1).

## §. 178. *Civitas habet jus constituendi impedimenta matrimonii.*

Argumenta, quae pugnant pro Civitate, sunt circiter sequentia:

(1) Tournely de matrim. q. 2., Tertullian. de Coron. milit. c. 13., S. Basil. ep. 1. et can. 18. 22. 24. 46., S. Siric. ep. ad Him. Tarracon. c. 6., S. Leo I. ep. 29., Conc. Agath. can. 61., Liebermann t. 3. p. 148, Devoti t. 2. Sect. 9. §. 116. p. 177-180. *Les vrais principes sur le mariage, opposés au rapport de Mr. Durand par l'Abbé Barruel.*

*a)* Matrimonium est, etiam contractus civilis, et quia Civitas legibus suis moderatur matrimonia infidelium et haereticorum, quatenus contractus civiles sunt, ita etiam jus habet moderandi matrimonia fidelium cum hi non minus quam illi cives sint.

*b)* Conditio bona vel mala Reipublicae civilis arctissime conjuncta est cum bono vel malo statu matrimonii; itaque a Civitate legibus contractus matrimoniales ita sunt regendi, ut bonum Reipublicae quam maxime promoveatur.

*c)* Ex contractu matrimoniali oriuntur jura et officia perfecta contrahentium, quae si laedantur pars laedens coactioni physicae subest; idcirco Civitatis est judicare in quibus casibus, et sub quibus conditionibus coactio physica adhibenda est.

*d)* Christus Dominus, dum contractum naturalem ad dignitatem Sacramenti elevavit, potestati civili hac in parte nihil derogasse scitur.

*e)* Nullum Concilium generale, nullus Pontifex unquam Civitati jus statuendi impedimenta matrimonii denegavit.

*f)* Principes saeculares quovis tempore instituerunt impedimenta matrimonii cum impedientia, cum dirimentia, de iisque judicarunt.

*g)* Ecclesia impedimenta a principibus saecularibus statuta non tantum probavit, sed etiam sua fecit, uti impedimenta cognationis spiritualis, legalis criminis, etc. « Conjunctio- » nes consanguineorum, inquit Synodus Lateranensis I c. 5, fie- » ri prohibemus, quoniam has et divinae et saeculi prohibent » leges. Quis enim dubitat, leges humanas rationi et honesta- » ti non repugnantes esse amplectendas, praesertim ubi pu- » blicae consulunt honestati? Eos autem consanguineos dici- » mus, quos divinae, imperatorum romanorum, atque grae- » corum leges consanguineos appellant ».

*h)* Denique S. Thomas Aquinas, Theologorum facile princeps, tale jus in terrae principibus agnoscit in libro quarto contra gentes c. 78, ubi ita loquitur: « In quantum matrimo- » nium ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas » speciei, dirigitur in finem a natura inclinante ad hunc fi- » nem, et sic dicitur naturae officium: in quantum vero or- » dinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis ci- » vilis: in quantum vero ad bonum Ecclesiae ordinatur, o- » portet ut regimini Ecclesiae subjiciatur (1) ».

(1) Inst. Jur. Civ. L. 1. tit. 10. de nupt., de ritu nupt., de jure dot. etc., Digest. L. 23. tit. 2. 3. 4. cod. l. 5. tit. 4. seqq. de nupt., de incest. et inut. nupt. L. 6. cod. de Judaeis. L. un. cod. de raptu virg., item

## §. 179. *Civitas non potest irritare matrimonium in foro Ecclesiae validum.*

Plerique contendunt contractum civilem necessariam esse materiam Sacramenti matrimonii, et Sacramentum a contractu civili ita pendere, ut hoc sublato, illud quoque tollatur, atque evertatur; hinc Civitatem posse irritare matrimonium in foro Ecclesiae validum. Qui ita ratiocinantur in manifesto versantur errore; nam quando Christus Dominus matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevavit, non ad leges Hebraeorum, vel Romanorum, aut aliarum gentium, sed ad leges naturales respexit, adeoque non contractus civilis, sed naturalis est materia Sacramenti. Cum itaque Civitas nequeat Sacramento materiam auferre, etiam non potest matrimonium in foro Ecclesiae validum irritare, quoniam quodlibet matrimonium fidelium in facie Ecclesiae contractum Sacramentum est. « Dicendum, inquit S. Thomas Aquinas, quod prohibitio » legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, » nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem interdicit ». Pollet Respublica civilis jure invalidum reddendi contractum civilem, quia quod civile est, potestati civili subest; ast non habet potestatem Sacramentum matrimonii irritandi. Ex his consequitur, si matrimonium contrahitur cum impedimento dirimenti canonico et civili, illud in utroque foro est invalidum; si vero initur cum impedimento dirimente mere civili, in foro Dei et Ecclesiae est validum, in foro civili nullum quoad effectus civiles, id est conjuges et liberi ex ipsis prognati jure successionis, haereditatis, nobilitatis, pensionis etc. a Civitate privantur. Cum utraque potestas ecclesiastica et civilis ab uno eodemque Deo originem trahat, et ambae sint institutae ut bonum humanae familiae promoveant, ad omnes collisiones evitandas, optandum sane est, ut in constituendis matrimonii impedimentis conveniant (1).

leg. Bojoariae tit. de nupt., S. Aug. de civit. Dei P. XV. c. 16., S. Ambros. ep. 84., S. Leo ep. ad Rust. Narb., Nicol. I. Resp. ad Bulgaros c. 2., Vid. Sanchez de matr. l. 7. isp. 3. n. 2., Petr. de Soto de matr. 4., M. Gerbasium de potest. eccl. et princip. super imped. matrim. Continuat. Tournely Theol. Mor. t. 8. de matrim. c. 8. art. 2. et Inst. Theol. Mor. t. 5. p. 562., Billuart Curs. Theolog. Mor. t. 19. p. 419., Ruprecht Not. hist. in Jus Can. l. 4. tit. 1. §. 3. n. 78. seq., Paulum de Riegger Inst. Jur. Eccl. t. 4. §. 81. seqq., Van Espen Jur. Ecc. un. p. 2. t. 13. c. 1.

(1) S. Thom. Aq. dist. 40. q. un. art. 4., Vid. Devoti Inst. J. C. t. 3. Sect. 9. § 117. p. 181., et Liebermann Instit. Theol. t. 5. art. 4. p. 147 - 149.

denunciationibus, coram parocho et duobus testibus; 2 an matrimonium fuerit contractum et consummatum spe obtinendae facilius dispensationis; 3 an utraque pars, vel saltem una impedimentum ignoraverit. Summopere attendendum ne libellus sit subreptitius, vel obreptitius, quia tunc etiam dispensatio nulla foret. Subreptitius est libellus si id quo exprimendum est silentio praeteritur, obretitius, si falsa causa inseritur. Contrahentes neglectis proclamationibus, vel cum conscientia impedimenti, vel copulam habentes ad facilius impetrandam dispensationem, ejusque spe plerumque frustrantur, vel eam obtinent sub rigidioribus poenitentiis (1).

## §. 183. *Renovatio matrimonii invalidi.*

Si mas et foemina contrahant cum impedimento dirimente, quod postea palam fit, eo per dispensationem sublato, matrimonium coram parocho et testibus publice renovare tenentur. Si impedimentum fuerit, maneatque occultum, renovatio matrimonii in facie Ecclesiae contracti recte fit occulte inter solos conjuges de novo in matrimonium consentientes, ita tamen, ut si conjugium invalidum sit propter defectum consensus unius conjugis, sufficiat, si iste solus postea det consensum parte altera non monita, velut in matrimonio ob injectum metum nullo, et generatim ob qualecumque impedimentum juris privati inito. Si autem matrimonium propter impedimentum juris publici, puta cognationis naturalis et affinitatis, invalidum foret, oporteret, ut impedimento per dispensationem sublato utraque pars denuo in matrimonium consentiret. Si pars impedimenti ignara, et de eo monita consentit, quin illud scire cupiat, qualecumque impedimentum subsit, matrimonium salvum est; si vero consentire recuset, quin prius sciet impedimentum, pandendum ei erit, et ab ejus arbitrio pendebit utrum praestito consensu matrimonium renovare velit (2).

(1) Van Espen I. E. U. P. II. tit. 14. c. 5. Concil. Trid. Sess. 24. c. 15. de ref., Vid. Schenkl., Inst. J. C. P. II. Sect. 2. art. 7., Subart. 2. §. 681. p. 390. (2) Vid. Scarpazza, Teol. Moral. t. 8. §. 12. p. 408 — 410.

# ARTICULUS V.

## DE EFFECTIBUS MATRIMONII VALIDE CONTRACTI.

### §. 184. *Effectus matrimonii valide contracti.*

Quod ad effectus matrimonii valide contracti attinet, horum alii *utrumque conjugem*, alii *maritum*, alii *uxorem*, alii denique *proles* respiciunt. *Ratione utriusque conjugis* sunt: 1 gratia sanctificans, vel potius gratiae sanctificantis augmentum, quia matrimonium est Sacramentum vivorum; 2 Officium caste invicem se amandi, uti docet gentium Apostolus: « Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam (1) ». Et alibi: « Uxores viros suos ament (2) ». 3 Obligatio reddendi debitum conjugale in ordine ad generationem prolis, secundum illud: « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et » uxor viro (3) ». Debent autem jure petendi debitum moderate uti, ne noxam inferant sanitati, et attendere ne aliquid contra matrimonii sanctitatem committant, uti monet S. Paulus: « Honorabile sit connubium in omnibus, et to» rus immaculatus (4) ». « Unusquisque sciat vas suum pos» sidere in sanctificatione, et honore, non in passione desi» derii sicut et gentes, quae ignorant Deum (5) ». « Si quis » templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (6) ». « Ab» sit, inquit S. Augustinus (7), ut fidelis homo, cum audit ab » Apostolo: *diligite uxores vestras*, concupiscentiam carnis di» ligat in uxore, quam nec in semetipso debet diligere ». 4 Obligatio ad mutuum auxilium sibi praestandum in ferendis matrimonii oneribus sive sors sit prospera, sive adversa. 5 Obligatio ad individuam vitae societatem, et ad fidem tori uni conjugi servandam. 6 Potestas in proles ex conjugio natas.

*Ratione mariti* effectus matrimonii sunt. 1 *Potestas maritalis*, vi cujus vir est caput familiae eique praecipue competit rem familiarem gubernare, et administrare, nec non in omnibus casibus causam uxoris suae agere. 2 Jus mutandi locum domicilii, nisi talis mutatio legi naturali vel divinae aut pactis nuptialibus adversetur.

*Ratione uxoris* effectus matrimonii ad sequentia reducuntur: 1 Uxor acquirit nomen mariti, fitque particeps ejus status, et dignitatis. 2 Tenetur marito subesse quoad gubernationem rei familiaris, et ejus mandata exequi: « Mulieres,

(1) Ephes. 5, 25. (2) Tit. 2. (3) I Cor. 7, 3. (4) Hebr. 13.
(5) I. Thess. 4. (6) I. Cor. 3. (7) L. 1. de nupt. et concup. c. 18.

» inquit Apostolus, subditae sint viris, sicut oportet in Do» mino (1) ». 3 Jus habet petendi a marito, ejusque haeredibus honestam vitae sustentationem. 4 Obligatur sequi maritum, dum is domicilium mutat, nisi grave vel animae, vel corporis periculum immineat, aut vir nullibi habitare velit, aut certus locus habitationis in pactis nuptialibus sit determinatus.

*Ratione prolium*, quarum, dummodo ex matrimonio sive vero, sive putativo nascantur, insignia sunt emolumenta, veluti: 1 Participant patris nomen, statum, dignitatem, et omnia reliqua jura familiae ejus, nisi sint personalissima. 2 Mares apti sunt ad statum ecclesiasticum, officia, beneficia, et dignitates ecclesiasticas. 3 Gaudent jure successionis haereditariae in bonis parentum, et cognatorum. 4 Jus habent a parentibus exigendi alimenta, et subsidia honestae, ac christianae educationis (2).

### §. 185. *Liberi illegitimi, et eorum conditio.*

Liberis legitimis opponuntur illegitimi, qui neque ex vero, neque ex putativo matrimonio nati sunt, quorum juxta mores Romanorum erant sequentia genera:

1 *Naturalis* ex conjunctione quidam licita, sed minus legitima procreati, nempe ex concubinatu; concubinatus autem Romanorum non erat prohibitus, sed non producebat effectus civiles.

2 *Spurii*, seu vulgo *quaesiti*, qui nascebantur a personis fornicariis, quae praeter fornicationem nullum delictum commiserant. Ex conjunctione non tantum illicita sed simul criminosa oriuntur:

*a) Nefarii*, ab ascendentibus cum descendentibus progeniti.

*b) Incestuosi*, quorum genitores erant cognati, aut affines in lineis obliquis, et inter quos impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis obtinet.

*c) Adulterini*, quorum mater, vel pater legitimo matrimonio est adstrictus.

*d) Sacrilegi*, a parentibus orti, qui aut quorum unus voto solemni castitatis obstringitur, aut ordine sacro initiatus est.

Liberorum illegitimorum jure civili romano teterrima est conditio, nisi eis legitimationis beneficio succurratur; etenim non solum juribus legitimorum carent, sed etiam, ad majorem criminis horrorem, natis ex damnato coitu ipsa adeo ali-

(1) Ad Coloss. 1. (2) Cf. Scarpazza Teol. Moral. t. 8. §. 9. p. 267 et seq.

menta ex bonis parentum denegantur. Hunc juris romani rigorem mitigarunt canones, et utrique parenti onus alendi liberos imposuerunt adeo, ut etiam Clerici beneficiarii liberis suis illegitimis sustentationem non minus ex reditibus ecclesiasticis, quam ex bonis patrimonialibus praestare teneantur (1).

### §. 186. *Modi legitimandi proles.*

Ante saeculum quartum nullus in jure civili romano extabat modus proles legitimandi. Constantinus M., ut tolleret concubinatum qui apud plerosque eo tempore adhuc in usu erat, prolibus naturalibus concessit jura civium romanorum, dummodo earum parentes concubinatum in nuptias mutarent: inde invaluit mos proles naturales per subsequens matrimonium legitimandi. Summus Pontifex Alexander III hoc beneficium extendit ad liberos spurios, seu quaesitos, ea ductus ratione, quod inter Christianos extra matrimonium non detur licitus concubitus; hinc liberos quaesitos filiis Romanorum naturalibus aequiparavit, quod principium deinde in omnibus regionibus fuit receptum. A tempore Constantini M. triplex invaluit modus proles legitimandi, nimirum: 1 per subsequens matrimonium; 2 per oblationem Curiae a Theodosio juniore inventus, qui amplius non obtinet; 3 per rescriptum principis, cujus inventor erat imperator Justinianus saeculo VI. Haec legitimatio erat tantum subsidiaria, scilicet si per subsequens matrimonium fieri non potuit. Quoad effectus ecclesiasticos, Romanus Pontifex potest legitimare proles in universa Ecclesia.

## ARTICULUS VI.

### DE DIVORTIO ET SECUNDIS NUPTIIS.

### §. 187. *Judex controversiarum in causis matrimonialibus.*

Sive agatur de dissolutione matrimonii, sive de separatione a toro, et mensa, sive de materia, forma, et ministro Sacramenti, sive de dispositionibus, de obligationibus moralibus, de officiis tam mutuis, quam erga proles contrahentium, sive de quacumque alia controversia circa matrimonium exorta, Judex est Ecclesia. Haec veritas fuit definita in Concilio Tridentino (2). « Si quis dixerit causas ma» trimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathe-

(1) Benedictus XIV de Synodo dioeces. (2) Sessione 24. can. 12.

» ma sit ». Non autem quilibet judex ecclesiasticus est simul judex competens in causis matrimonii, sed ordinarie solus Episcopus, et sede vacante Capitulum Cathedrale, cujus est ex officio procedere in impedimentis juris publici, summario tantum, idest servatis tantum substantialibus in causae inquisitione, et decisione requisitis, quia processus ordinarius multo longior est, et cum majoribus expensis conjunctus. Sententia vero de valore, aut nullitate matrimonii lata, nunquam abit in rem judicatam, id est etiam post longum tempus infirmari potest. Ad judicia causarum matrimonialium dirigenda inprimis pertinet constitutio Benedicti XIV, cujus praecipua capita sunt:

1 Ut Ordinarii in suis dioecesibus constituant defensorem matrimonii, qui sit vir probus, et juris peritus.

2 Defensoris consilium exquirendum est in omni actu judiciali, ubi quaestio de valore, aut nullitate matrimonii vertitur.

3 Defensor ex officio tenetur valorem matrimonii defendere, et si contra pronuntiatum fuerit, appellare.

4 Si conjuges pendente, aut omnino non interposita appellatione novum matrimonium contrahant, separentur instar eorum, qui contra interdictum Ecclesiae contrahunt, et ut polygami puniantur.

5 Si in secunda quoque instantia matrimonium pronuntiatur nullum, et nulla amplius interponatur appellatio, partes possunt novum matrimonium inire; attamen sententia numquam in rem judicatam abit.

6 Ut judices in partibus, item legati, quibus Curia romana cognitionem causarum matrimonialium committit, sint vel Episcopi, vel viri ad Capitulum cathedrale spectantes, et jurisperiti (1).

## §. 188. *Notio, et divisio divortii.*

Divortium a verbo *divertere* dictum, quod utraque pars in diversas partes est, jure romano est vinculi matrimonialis solutio vivente utroque conjuge. Jure autem canonico in duplici sensu sumitur, nimirum *proprio*, et *improprio*; vel enim vinculum conjugii ita dissolvitur, ut utraque pars vivens possit ad novas nuptias transire, et haec dissolutio dicitur divortium in sensu proprio, seu *divortium totale*; vel aliquando conjuges ita separantur, ut in communi quidem non vivant, attamen vinculum

(1) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 20. de ref. C. 1. ut lite non contest. Clem. 2. de jud. Ex cap. fin. de praescript., Benedictus XIV Const. Dei miseratione 23.

matrimonii intactum persistat, et tunc vocatur divortium in sensu improprio, seu *divortium partiale*, vel etiam *separatio a toro et mensa*, quae esse potest *perpetua*, aut *temporaria*, prout causa, ob quam separantur, vel perdurat, vel cessat. Inde patet, divortium totale esse vinculi matrimonialis dissolutionem, divortium partiale separationem a toro et mensa, manente matrimonii vinculo. Prius disseremus de divortio totali, dein de divortio partiali (1).

### §. 189. *Doctrina haereticorum de divortio totali.*

Ebionitae, Montanistae, Messaliani, Bogomili vinculum matrimonii solvebant. Lutherus, multas ob causas matrimonium solvi, et aliud iniri posse docuit. Melanchton, et Kemnitius duas tantum causas admiserunt vinculum matrimonii solvendi, nimirum adulterium et desertionem. Bucerus conjugia solvi posse contendit, quacumque de causa conjuges sibi displiceant. Calvinus defendit, matrimonium dirimi ob solum adulterium. Hodie Protestantes vinculum matrimonii solvunt ob sequentes causas: 1 Si una pars adulterium committit: 2 Si conjux reus est criminis, quod exilio, vel poena carceris saltem quinquennio duratura punitur. 3 Si conjux compartem malitiose deserit, et in casu, quo commorationis locus ignotus sit, ad trinam citationem non comparet. 4 Si consors vitae, et sanitati consortis insidias struat. 5 Si maritus uxori, constanter debitum conjugale negat, et vice versa. 6 Si uxor constanter abortum procurat. 7 Ob mores alterius intolerabiles. 8 Ob implacabiles inimicitias, insuperabilem animorum aversionem, et iteratas graves injurias (2).

### §. 190. *Doctrina Graecorum, et Launoii, ejusque confutatio.*

Graeci, et Launojus defendunt, matrimonii vinculum solvi posse ad *fornicationem*, innixi verbis Jesu Christi (3): « Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, » nisi *ob fornicationem*, et aliam duxerit, moechatur, et qui » dimissam duxerit, moechatur ». At falluntur Graeci et Launojani; nam Christus Dominus claris verbis asseruit indissolubilitatem matrimonii, dicens: « Quod ergo Deus conjunxit,

(1) Leg. 101. ff. de verb. signif., Devoti Sect. XI. §. 150. p. 226.

(2) S. Epiphanius haer. 30. Euseb. H. E. l. 4. c. 22 et c. 31., Euthym. P. II. Panopl. Luther. in C. 7. ep. 1. ad Cor., Vid. Schenkl Inst. J. C. Sect. 2. art. 7. p. 484. §. 716. (3) Matth. 19, 9.

» homo non separet ». Ad haec verba Pharisaei tentantes eum, interrogarunt: « Quid ergo Moyses mandavit dare libellum re» pudii, et dimittere? » Quibus Christus respondit: « Quoniam » Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxo» res vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, » quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi *ob fornicationem*, » et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moe» chatur ». Dicunt ei discipuli: « Si ita est causa hominis cum » uxore, non expedit nubere (1) ». Christus permittit ob fornicationem uxorem dimittere, sed dimittendi sub poena adulterii vetat aliam ducere, et dimissae alteri nubere. Etenim si ob fornicationem matrimonii vinculum solveretur, neque qui, uxore dimissa, aliam duceret, neque qui dimissam duceret, *moecharetur ;* sed secundum Christi effatum *moechatur* tam qui dimissa adultera, aliam ducit, quam qui ducit dimissam; igitur ob fornicationem matrimonium non dirimitur. Haec omnia confirmantur ex aliis Evangelistis. In Evangelio S. Lucae legitur: « Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, » moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur (2) ». et apud Marcum: « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam » duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimi» serit virum suum, et alii nupserit, moechatur (3) ». Verba utriusque Evangelistae sunt absoluta, et nullam admittunt exceptionem. Et discipuli bene intellexerunt sensum verborum Christi , cum dixerunt. « Si ita est causa hominis cum » uxore, non expedit nubere ». Quam in rem pulchre scribit S. Augustinus: « Fas non est, ut Evangelistas de una re » loquentes, ab uno sensu, eademque sententia dissentire di» camus, restat, ut Matthaeum intelligamus eamdem tenuisse » sententiam, ut omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit » alteram moechari minime dubitatur. Nam et illud, quod e» tiam secundum Lucam loquitur: *Qui dimissam duxerit* » *moechatur*, quomodo est verum? Quomodo moechatur, nisi » illa, quam duxit, eo vivente, a quo dimissa est, adhuc uxor » aliena est ? Si enim jam suae , non alienae miscetur uxo» ri, utique non moechatur. Moechatur autem: aliena ergo est, » cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est ejus, a quo di» missa est , nondum dimittentis uxor esse cessavit (4) ».

(1) Matth. 19, 6 - 11. (2) Luc. 16, 18. (3) Marc. c. 10.

(4) Vid. Joan. Perrone Vol. IX , Tract. de Sacram. Matrim. Liebermann Inst. Theol. t. 5. art. 2. de matrim. indissol. nexu p. 166 et seqq., Scarpazza Teol. Mor. t. 8. §. 7. p. 258:, S. Aug. lib. 1. de adult. conjug. c. 8.

## §. 191. *Matrimonium ratum, et consummatum vivente utroque conjuge solvi nequit.*

Vinculum matrimonii rati, et consummati vivente utroque conjuge in lege evangelica esse indissolubile, demonstratur: 1 Ex sacra Scriptura; 2 ex Sanctis Patribus Graecis, et Latinis; 3 ex definitionibus Conciliorum generalium.

I. *Ex Sacra Scriptura.* « Matrimonii perpetuum indissolubilem nexum ( sunt verba Patrum Tridentinorum ) primus generis humani Parens divini spiritus instinctu pronuntiavit, quum dixit (1): Hoc nunc os de ossibus meis, » et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem » suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et e» runt duo in carne una ». Jam vero si maritus debet deserere patrem, et matrem, ut uxori suae adhaereat, si in matrimonio duae personae diversi sexus efficiunt unitatem, quae dividi nequit, patet matrimonii vinculum indissolubile esse. Sane perpetuum est vinculum, per quod homo mulieri ita agglutinatur, ut ab ea amplius separari non possit. S. Paulus (2) ita scribit: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Chri» stus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. . . . » Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui » suam uxorem diligit; seipsum diligit. Nemo enim unquam » carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut » et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, » et de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc relin» quet homo patrem et matrem suam, et adaerebit uxori » suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc ma» gnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia ». Ex hisce S. Pauli verbis liquet, unionem maris, et foeminae, idest matrimonium fidelium esse ad dignitatem Sacramenti evectum, et repraesentare conjunctionem Christi cum Ecclesia; sed conjunctio Christi cum Ecclesia est indissolubilis; ergo etiam matrimonium fidelium, quod est illius conjunctionis signum, solvi nequit. Christus Dominus Pharisaeis tentantibus, an liceat dimittere uxorem suam quacumque ex causa respondit: « Non legistis, quia qui fecit hominem ab » initio, masculum et foeminam fecit eos, et dixit: pro» pter hoc dimittet homo patrem, et matrem suam, et adhae» rebit uxori suae, et erunt duo in carne una? Itaque jam » non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, » homo non separet (3) ». Gentium Apostolus optimus do-

(1) Genes. 2. (2) In epistola ad Ephesios c. 5. (3) Matth. 19, 3 - 7.

ctrinae Jesu Christi interpres ita mentem suam aperuit circa matrimonii indissolubilitatem: « Iis autem, qui matrimonio » juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a vi- » ro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut » viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat (1) ». » Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio » viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a le- » ge viri ut non sit adultera si fuerit cum alio viro (2) ».

*Ex sanctis Patribus Graecis, et Latinis.* Hermas, Apostolorum discipulus (3), libro 2 Pastoris, cui titulus: De dimittenda uxore adultera, Dominum interrogat: « Si permanserit in vitio mu- » lier? Et dixit Dominus: Dimittat illam vir, et vir per se » maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxe- » rit, et ipse moechatur » .... S. Justinus M. in secunda apo- logia: « Qui repudiatam a viro altero uxorem ducit, adulte- » rium committit ». Athenagoras, alter Christianae Religionis defensor: « Qui uxorem suam dimiserit, et duxerit alteram, » adulteratur, dicit Dominus noster; neque illam dimittere » concedens, cujus delibata est pudicitia, neque alteram du- » cere ». S. Basilius (4): « Mulier, quae vivente viro alteri » nubit, moechatur .... Non audis, quod etiam qui dimissam » duxerit, moechatur? Etsi enim pro culpa dimissa est, at- » tamen vivit vir ipsius ». S. Joannes Chrysostomus (5): « Ille » etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis » reum, quia adulteram fecit ex conjuge. Hic vero excipien- » do alienam, adulter effectus est. Neque enim mihi referes, » quia illam alter ejecit, nam expulsa quoque uxor ejus es- » se, qui eam expulit, perseverat ». Tertullianus (6): « Qui » dimiserit uxorem, et aliam duxerit, aeque adulter est, ex » eadem causa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur; illici- » te enim dimissam pro indimissa ducens adulter est; manet » enim matrimonium, quod non rite diremptum est. Manente » matrimonio nubere adulterium est ». Et in libro de mono- gamia scribit: « Per mortem utique, non per repudium solvi » matrimonium, quia repudiatis non permitteret Apostolus » nubere adversus pristinum praeceptum ..... ». S. Ambro- sius (7): « Dimittis ergo uxorem, quasi jure, sine crimine, » et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui » hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, » cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quae Deus con- » junxit, homo non separet ». Et (8): Non licet tibi, uxore

(1) I. Cor. 7, 10-11. (2) Rom. 7, 3. (3) Lib. 2. (4) Lib. de virg. (5) Hom. 17 in Matthaeum. (6) Lib. 4. contra Man. c. 34. (7) Cap. 16. in Lucam. (8) Lib. de Abrahamo c. 7.

» vivente, uxorem ducere; quum babens tuam, crimen est » adulterii ». S. Hieronymus (1) loquens de Paulo apostolo, ait .... « Docet juxta sententiam Domini, uxorem, excepta » causa fornicationis, non repudiandam, et repndiatam vivo » marito, alteri non nubere, aut certe viro sno reconciliari de- » bere ». S. Augustinus (2) ait: « ... Si par est forma in utro- » qne (uxore et marito) uterque moechatur, si se alteri jun- » xerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit ».

*Ex definitionibus Conciliorum generalium.* Concilium Florentinum decreto pro instructione Armenorum ita se exprimit: « Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separatio- » nem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas » est, quum matrimonii legitime contracti vinculum perpe- » tuum sit ». Matrimonii legitime vinculum inter fideles non solvi, etiam si alteruter conjugum vel a fide deficiat, vel cobabitatio sit ipsi molesta, vel vero stndio a conjuge absit, sub anatbematis poena definivit Concilium Tridentinum (3): « Si » quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cobabitatio- » nem, aut affectatam absentiam a conjuge posse matrimonii » vinculum dissolvi, anatbema sit ». Tandem eadem Synodus Tridentina adversns Lutheranos, et Calvinistas, qui Ecclesiam docentem vinculum matrimonii non solvi propter adulterium, erroris incusabant, declaravit: « Si quis dixerit, Ecclesiam » errare, cnm docuit, et docet, juxta evangelicam, et apo- » stolicam doctrinam, propter adulterinm alterius conjugum, » matrimonii vinculnm non posse dissolvi, et utrnmque, vel » etiam innocentem, qni causam adulterio non dedit, non » posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contra- » here, moecheriqne eum, qui dimissa adultera aliam duxe- » rit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathe- » ma sit (4) ». Ex bactenus dictis fluit, vinculum matrimonii rati et consnmmati viventibus conjngibus, nullo in casu solvi posse. In specie canon septimus Synodi Tridentinae declarat, Ecclesiam non errare cnm docet secundum evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterinm, vinculum matrimonii dissolvi non posse. Qnod si Ecclesia non errat, profecto errant omnes, qui incredibili andacia docent contra evangelicam et apostolicam doctrinam matrimonium ratum et consummatum ob fornicationem dirimi. Caetera notamns, canonem septimum Synodi Tridentinae directe non damnare ceu haereticos propugnatores sententiae de dissolutione matrimonii propter adulterium quoad vinculum, sed eos, qui auderent

(1) Lib. 1. adversus Jovinianum. (2) Lib. 1. de adulterinis conjugiis. (3) Sess. 24. can. 5. (4) Concil. Trid. Sess. 24. can. 7.

Ecclesiam erroris incusare, quia semper docuit et docet matrimonium ratum non consummatum ob fornicationem non dirimi (1).

## §. 192. *Matrimonium ratum, non consummatum per professionem religiosam alterius conjugum dissolvitur.*

Conjux ante corporum commixtionem, intra duos menses a die celebrati in facie Ecclesiae matrimonii, etiam reluctante comparte potest ordinem ingredi, et vota solemnia emittere. Per professionem autem religiosam homo aut mulier Deo solemni ritu a sancta Ecclesia approbato ita se consecrat, ut humanae societati moriatur, et nec corporis, nec voluntatis potestatem amplius habeat. Quemadmodum autem matrimonium consummatum solvitur morte corporali, ita ratum, quod tantum spirituale est, tollitur per mortem moralem. Neque hoc repugnat legi divinae, quae praecipit, ut homo non separet, quod Deus conjunxit; nam in matrimonio duplex datur conjunctio, scilicet *spiritualis*, quae in mutuo animorum consensu est reposita, et *carnalis*, quae per corporum mixtionem efficitur. Carnalem conjunctionem indicavit Christus illis verbis: « Erunt duo in carne una ». Haec non solvitur inter fideles, nisi morte corporali unius conjugis. Conjunctio vero spiritualis tollitur per mortem moralem unius compartis. Quod si ante copulam carnalem vinculum matrimonii dissolvatur, nemini fit injuria, neque relictae conjugi, quae libera, integra, honesta, et pudica manet, neque proli, cum nulla existat. Ecclesiam juxta divinam sibi factam potestatem potuisse apponere conditionem, ut vinculum matrimonii rati non consummati solvatur, si voluerit alteruter conjugum perfectiorem vitam amplecti per solemnem religionis professionem, constat ex continua praxi. Praeclara exhibent sancti Ecclesiae Patres exempla, v. g. S. Teclae, S. Gregoriae, S. Reobardi, S. Macharii Eremitae, S. Edildridae, qui et quae conjuges deseruerunt, ut perfectiorem vitae rationem inirent. Quamobrem Alexander III in Concilio Lateranensi III de anno 1179, universa approbante Ecclesia definivit: « Post » consensum illum legitimum de praesenti datum, licitum est » alteri, altera etiam repugnante, monasterium eligere, sicut » quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter » eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti » si commonitus servare noluerit continentiam, licitum esse » videtur, ut ad secunda vota transire possit. Quia quum non

(1) Cardin. Pallavicinus lib. 22. cap. 4. n. 27. et seqq.

» fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transi-
» re, et alter in saeculo remanere ». Innocentius III, et caeteri subsequentes Pontifices, non solum declararunt id fieri posse licite, sed etiam exemplo Sanctorum confirmarunt, ac verba Christi: « Non licet viro uxorem suam, nisi fornica-
» tionis causa dimittere » de matrimonio consummato intelligenda esse affirmarunt. Tandem Concilium Tridentinum (1) sancivit: « Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consum-
» matum, per solemnem Religionis professionem alterius con-
» jugum non dissolvi, anathema sit (2) ».

## §. 193. *Dissolutio matrimonii inter infideles contracti, et consummati.*

Matrimonium ab infidelibus contractum, et consummatum dissolvi, si alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris, evincitur: 1 ex Scriptura sacra; 2 ex sanctis Patribus; 3 ex Decretis Summorum Pontificum.

1. *Ex Scriptura Sacra.* S. Paulus (3) ita scribit: « Iis
» autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed
» Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesse-
» rit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxo-
» rem non dimittat. Nam caeteris ego dico, non Dominus, si
» quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habi-
» tare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis
» habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa,
» non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per
» mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per
» virum fidelem ..... Quod si infidelis discedit, discedat: non
» enim servituti subjectus frater, aut soror in hujusmodi: in
» pace autem vocavit nos Deus ». A versiculo decimo usque ad duodecimum praefatae epistolae inclusive Gentium Apostolus animadvertens abusus Gentilium, et Judaeorum, qui ob leves causas vinculum matrimonii solvebant, fidelibus exponit Christi praeceptum (4), et dicit, uxorem non debere a viro discedere: quod si propter fornicationem vel aliam causam discesserit, vivente viro, non possit novum matrimonium inire, quia matrimonii vinculum inter fideles est indissolubile, sed obligetur manere innupta, vel ad maritum suum

(1) Sess. 24. can. 6. (2) S. Thom. Aquin. q. 61. art. 2., S. Ambrosius, S. Epiphanius, S. Gregorius M. lib. 2. dial. c. 13., Gregorius Turon., Ven. Beda, Innocentius III. Cap. 7. de convers. conjug. (3) In epistola I. ad Corinthios cap. 7. v. 10. et seqq. (4) Matth. 19.

redire. Et cum aequalis sit utriusque conjugis conditio, adjungit, etiam viro non licere uxorem suam repudiare; quod si ob gravem causam ab ea se separaverit, teneatur manere innuptus, aut uxori suae reconciliari. Postquam Paulus de matrimoniis fidelium loqnutus est, eisque normam agendi praescripsit, subsequentibus versiculis disserit de matrimoniis infidelium, quorum alteruter ad fidem fuerat conversus. Paulum loqui de matrimoniis in infidelitate contractis inde deduci potest, quod semper Christianis fuerit severe interdictum cum Gentilibus, et Judaeis connubia conjungere. Quia vero generis humani Redemptor de talibus matrimoniis verba non fecerat, et frequenter eveniebat, ut conjux infidelis Christo nomen daret, altero in infidelitate manente, Paulus auctoritate a Deo instructus definit quid in tali casu agendum. Dicit ergo Paulus, si frater, id est homo ad Christum conversus habet uxorem infidelem, et haec recusat Religionem christianam amplecti, sed consentit habitare cum eo sine injuria divini Numinis, non debet eam dimittere: et si mulier conversa habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum ea sine contumelia Creatoris, non debet se ab eo separare. Quod si mulier, aut vir infidelis vult discedere, hoc est non vult cum conjuge christiano habitare sine contumelia Creatoris, tunc conjux christianus non est amplius servituti subjectus, seu vinculum matrimonii solvitur, et novum matrimonium inire potest. Ita docet S. Thomas Aquinas (1) dum ait: « Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, distinguendum est. » Quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, » vel sine hoc, quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis » libere discedere: sed discedens non potest alteri nubere. Si » autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris ..... tunc vir discedens potest alteri per matrimonium » copulari ». Apostolum reapse loqui de vinculi matrimonialis solutione manifestum fit ex sequentibus: 1 Conjugia fidelium opponit conjugiis infidelium, et affirmat vinculum matrimonii a fidelibus contracti esse absolute indissolubile, cum dicat: « Quod si discesserit (fidelis quacumque ex causa) » manere innuptam, aut viro suo reconciliari », matrimonia e contra in infidelitate contracta dissolubilia esse asserit, dicens: « Quod si infidelis discedit, discedat » et non adjungit quod pars derelicta, vel dereliquens debeat innupta manere, aut se viro suo reconciliari, sed illam a servitute liberam declarat. 2 Si Apostolus non fuisset locutus de vin-

(1) In 4. dist. 39. art. 5.

culi matrimonialis dissolutione, sed de divortio tantum partiali, nihil omnino concessisset fideli super infidelem, quod jam in sua non esset potestate; igitur ne dicamus verba S. Pauli superflua esse, necesse est concludere ipsum de dissolutione matrimonii quoad vinculum locutum fuisse. 3 Per illa verba: « Non enim servituti subjectus est frater aut soror in » hujusmodi » Paulus haud intellexit separationem a toro et mensa, cum in tali casu uterque conjux non sit liber, sed *servituti*, idest jugo matrimonii ita subjectus, ut non possit aliud matrimonium inire. Per *servitutem* significavit illud matrimonii vinculum, quod versu 39 ejusdem epistolae vocat *ligamen*, ejusque solutionem *liberationem*, dicens: « Mulier *al-* » *ligata* est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dor- » mierit vir ejus, *liberata* est: cui vult, nubat, tantum in » Domino ». Cum igitur Apostolus doceat fidelem conjugem *servituti* minime esse obnoxium, sequitur per infidelis discessum, vinculum matrimonii in infidelitate contracti dissolvi.

II. *Ex Sanctis Patribus.* Utrum vero ex verbis Paulinis talis sensus eruendus sit, consulendi veniunt Sancti Ecclesiae Patres, fidelissimi traditionis testes. Quotquot citata Apostoli verba explanarunt, ea de vinculi matrimonialis dissolutione intellexerunt. Ne nimis orationis filum excrescat, quorumdam tantum testimonia proferimus. Sic S. Ambrosius (1): « Qui- » dam, inquit, putant omne conjugium a Deo esse, maxime » quia scriptum est: Quae Deus conjunxit, homo non sepa- » ret. Ergo si omne conjugium a Deo est, omne conjugium » non licet solvi. Et quomodo Apostolus dixit: Quod si in- » fidelis discedit, discedat? In quo et mirabiliter noluit apud » Christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo » (esse) omne conjugium ». S. Doctor probe distinguit inter conjugia fidelium, et conjugia in infidelitate contracta, et asserit matrimonia fidelium esse a Deo, et per consequens indissolubilia, matrimonia ab infidelibus contracta non esse a Deo, ideoque solubilia, cum alteruter conjugum ad Christum convertitur, altero in infidelitate remanente, ac discedente. S. Joannes Chrysostomus pariter in hunc modum interrogat (2): « Quod est autem si infidelis discedit, discedat? Ut si jubet » te sacrificare, aut sociam esse impietatis propter matrimo- » nium, aut recedere, melius est ut divellatur matrimonium » quam pietas ». Igitur secundum sanctum Chrysostomum si conjux infidelis jubeat uxorem ad Christum conversam idolis sacrificare, et sociam esse ejus impietatis, potest ab eo recedere, et vinculum matrimonii solvitur. Eadem ferme verba

(1) L. 8 in Luc. num. 2. (2) Hom. 19. in cap. 7. ep. I. ad Cor..

adhibet Theopylactus in commentario in eundem locum (1): « Veluti si tibi imperet, ut suae particeps fias infidelitatis, » aut discedas a matrimonio, discede, satius est enim con» nubium solvere, quam pietatem ». Eadem ratione exponit Aecumenius (2).

III. *Ex decretis RR. Pontificum.* Tandem Romani Pontifices Scripturae sacrae, et Traditioni innixi declararunt, vinculum matrimonii in infidelitate contracti solvi, si alterutro conjuge ad Christum converso, recusat alter cum eo habitare sine contumelia Creatoris. Celebre est Innocentii III decretum: « Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam con» vertitur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia di» vini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, » ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si vo» luerit, vota transibit: et in hoc sensu intelligimus quod ait » Apostolus: si infidelis discedat: frater enim vel soror non est » servituti subjectus in hujusmodi. Nam etsi matrimonium ve» rum inter infideles existat, non est tamen ratum ». Et Benedictus XIV (3) scripsit: « Certum est, infidelium conjugium » ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, » et per Apostolum promulgato, dissolvi, cum conjugum al» ter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua » infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabi» tare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris etc. ». Quapropter Ecclesia semper et ubique hanc doctrinam in praxim deduxit (4).

## §. 194. *Divortium partiale.*

Divortium partiale est separatio conjugum quoad torum et mensam. Separatio quoad torum et mensam potest esse voluntaria, vel involuntaria; illa obtinet consentiente et volente utroque conjuge, haec vero una parte petente, et altera invita et repugnante voluntaria separatio fieri potest, si uterque conjux mutuo consensu approbatam Religionem profitetur. Si autem alteruter conjugum ob justas causas nequeat convivere, etiam invita comparte potest divortium partiale, seu separationem quoad torum et mensam petere. Hoc patet ex Sacra Scriptura: « Omnis, qui dimiserit uxorem suam, » excepta fornicationis causa, facit eam moechari (5) ». « Iis

(1) Opp. edit. Venet. 1755, tom. 11, p. 160. (2) Comment. in hunc locum opp. edit. Paris. 1630. tom. 1. p. 480. (3) L. 6. de Synod. Dioec. c. 4. §. 3. (4) Cf. Joann. Perrone Praelect. Theol. vol. 9. Tract. de matrim. p. 182-187. (5) Matth. 5, 32.

» autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed
» Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesse-
» rit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari (1) ». Unde
merito Sancta Synodus Tridentina definivit: « Si quis dixe-
» rit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem
» inter conjuges quoad torum et mensam, seu quoad coha-
» bitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decer-
» nit, anathema sit (2) ».

### §. 195. *Causae divortii partialis involuntarii.*

Divortii partialis involuntarii jure canonico causae sunt variae, et quidem:

1 Adulterium ab uno conjuge libere, sponte, et scienter admissum; nam ob fornicationem licet dimittere compartem. Divortium locum non habet, si conjux vel per vim sibi illatam, vel per ignorantiam, vel per fraudem adulterium commisit, vel si postquam adulterium innotuit, pars innocens parti reae expresse, aut tacite reconcilietur, vel tandem si uterque conjux in eodem lecto haereat, cum non mereatur in judicio audiri, qui eodem inquinatus est crimine.

2 Fornicatio spiritualis, seu lapsus in haeresim, vel apostasiam. « Quia infidelitas, ait S. Thomas Aquinas, quae for-
» nicatio spiritualis appellatur, est contra bonum matrimonii,
» id est contra religiosam prolium educationem, etiam ipsa
» est causa legitima divortii (3) ».

3 Seductio ad peccatum mortale. « Si alteruter conjugum,
» inquit S. Antoninus, seducit alium ad peccatum mortale,
» tenetur facere id, quod jubet Evangelium: Si oculus tuus
» scandalizat te, erue eum, et projice abs te (4) ».

4 Periculum corporis et sanitatis, quo lepram et alios morbos contagiosos canones referunt.

5 Crudelitas mariti, si tanta nempe sit ejus saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri: « Si tanta, scribit Innocentius III, sit viri saevitia, ut mu-
» lieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non
» solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri ».

Inter has separationis causas solum adulterium conjugi innocenti praebet jus petendi divortium perpetuum ita, ut etiam sine consensu partis reae possit vitam religiosam am-

(1) I. Cor. 7, 10. (2) Cap. 1. et 4. de convers. conjug., Concil. Trid. Sess. 24. can. 8. (3) S. Thom. Aquin. q. 62. art. 1. ad 3. (4) S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 7.

plecti, vel ordines sacros suscipere. Reliquae vero causae separationi locum faciunt ad tempus tantum, scilicet quamdiu durant (1).

## §. 196. *Divortium fieri debet judicis auctoritate.*

Quaecumque fuerit causa, separatio conjugum quoad torum et mensam non privata, sed publica judicis competentis auctoritate fieri debet. Quemadmodum enim publice conjuncti fuere, ita etiam necesse est, ut publice separentur. Synodus Tridentina omnes causas matrimoniales solius Episcopi examini et jurisdictioni commisit; idcirco vel Episcopus, vel judex ab eo delegatus debet causam separationis cognoscere, et sententiam ferre. Si conjux proprio arbitrio a toro et mensa recedit, ad cohabitandum compelli potest. Si ob viri adulterium aut saevitiam divortium partiale fiat, maritus uxori factam injuriam jactura donationis resarcire cogitur. Ob adulterium divortium in perpetuum perdurare potest, nisi pars innocens nocenti violatae fidei injuriam condonet; ob alias causas durat ad tempus, id est cessante causa, iterum obligantur insimul cohabitare (2).

## §. 197. *Secundae nuptiae.*

Primis Ecclesiae saeculis secundas nuptias damnarunt Novatiani, et Montanistae, qui bigamos a sua communione arcebant. At secundas nuptias licitas esse pronum est colligere ex sacris Litteris, et Sanctis Patribus. Sic S. Paulus (3) scribit: « Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est, si » sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, » nubant. Melius est enim nubere, quam uri ». Et (4): « Mu» lier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod » si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat: tantum » in Domino ». Hermas (5) ait: « Si vir, vel mulier deces» serit, et nupserit aliquis eorum, nunquid peccat? Qui nu» bit non peccat .... » S. Augustinus (6) haec habet: « De » pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde

(1) Cap. 2. 6. 7. de Divort. can. 5. capitul. 28. q. 1. Cap. 2. de Divort., cap. 3. de adult. C. 1. 6. 7. caus. 32. q. 1. et c. 5. de adult. Can. 3. c. 32. q. 5. Can. 6. c. 34. q. 1. can. 4. c. 32. q. 1. Cap. 6. et 7. de adult. Cap. 6., de eo qui cogn. consang. uxor. (2) Benedictus XIV de Synod. dioec. l. 9. c. 9. n. 4. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 20. C. 1. 4. 7. 8. de donat. inter virum et uxorem c. 6. de divort. c. 8. et 13. de rest. spol. (3) In epistola I. ad Cor. 7, 8 et 9. (4) Ibid. v. 39. (5) Past. l. 2. (6) In libro de bono viduit. c. 12.

» breviter respondeam: nullas nuptias audeo damnare » .... Et alibi: « Ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, » vel quascumque nuptias malum esse ». S. Hieronymus (1) » Non damno, inquit, bigamos, neque trigamos, et si dici » potest octogamos ». Itaque soluto vel per declarationem nullitatis (§. 176), vel per professionem religiosam (§. 181) vel per conversionem conjugis infidelis ad Religionem Jesu Christi (§. 182), vel denique per mortem naturalem prioris matrimonii vinculo, cuilibet datur facultas ad secundas, uti vocant, nuptias transeundi, quin foeminae annum *luctus* per jus Romanum praefixum necessario expectare debeant *. Ecclesia nullo in casu mortem praesumit, sed tum de prioris matrimonii nullitate, tum de prioris conjugis morte moralem certitudinem exigit. **

## CAPUT III.

### DE BONIS ECCLESIASTICIS.

### §. 198. *Notio rerum stricte ecclesiasticarum.*

Res stricte ecclesiasticae sunt bona temporalia, quae aut ministrorum sacrorum sustentationi, vel impensis in fabricam Ecclesiae faciendis, vel procurandis rebus ad cultum divinum publicum necessariis inserviunt. Primis Ecclesiae saeculis omnia ad Clericorum sustentationem, et cultum divinum necessaria subministrabat charitas fidelium, quae erat in cordibus

(*) Tempus luctus *olim jure Romano erat annus Romulus, seu spatium mensium decem: deinceps duodecim mensibus lugere jussae sunt viduae: quod tempus* annus luctus *dici consuevit. Vidua nondum circumacto luctus anno nubens Praetoris edicto infamia notabatur.*

(**) *Jus Austriacum mortem absentis praesupponit:* 1 *Si a nativitate* 80 *anni elapsi sunt, et locus commorationis ejus inde a decem annis ignoratur.*

2 *Sine respectu ad diuturnitatem temporis a nativitate elapsi, si* 30 *annis completis de eo nihil constat.*

3 *Si in bello graviter vulneratus, vel si in navi submersa vel alio praesentis mortis periculo fuit, et ab illo tempore per triennium non amplius comparet. In hisce casibus pars derelicta potest a tribunali civili petere declarationem mortis.* (§. 277. Cod. Civil.)

(1) Epist. 50.

ipsorum per Spiritum Sanctum diffusa. Postquam Constantinus M. Religionem Jesu Christi suscepit, Ecclesia nacta est varia bona temporalia, et partim ex illorum proventibus, partim ex oblationibus, Ecclesiis, ministris, pauperibus et cultui publico providebatur. Res stricte ecclesiasticae a rebus sacris in eo differunt, quod hae ipsi usui in cultu divino externo inserviant, illae vero sumptibus tum in personas, tum in cultum hunc necessarias faciendis sint destinatae. Cum bona ecclesiastica sustentationi *personarum*, et *aedium sacrarum* conservationi sint dicata, praesens caput in tres dispescimus articulos, acturi: 1 De bonis ecclesiasticis generatim; 2 De bonis ac reditibus Clericorum; 3 De bonis ac reditibus Ecclesiarum.

## ARTICULUS I.

### DE BONIS ECCLESIASTICIS GENERATIM.

### §. 199. *Acquisitio bonorum ecclesiasticorum.*

Ecclesiam ad Religionis exercitium et Clericorum sustentationem bonis temporalibus indigere, nemo mentis compos inficias ibit; unde sequitur eam habere jus res temporales acquirendi, quia qui habet jus ad finem, jus quoque habere debet ad media justa. Reapse Ecclesia Jesu Christi a sua origine semper hoc jure usa est. Sic Judas habebat loculos, in quibus servabatur pecunia a piis personis oblata pro Christi et Apostolorum necessitatibus. Ditiores Christiani agros et praedia venundabant, argentumque inde conflatum ad pedes Apostolorum deponebant. Septem Diaconi fuerunt electi, ut oblationes rerum temporalium administrarent. Constantinus M. Clericis frumentum, agros et pecunias ex publico aerario suppeditavit, lataque lege anno 321 permisit, ut Ecclesiae secundum testatoris beneplacitum bonorum mobilium et immobilium haeredes institui possent. Etiam per contractus inter vivos multa bona immobilia Ecclesiae tributa sunt. Si cuilibet homini jus est bona tam mobilia, quam immobilia acquirendi, idem jus competere debet etiam Ecclesiae, quae est societas ex hominibus composita (1).

(1) Joann. 12, 6. Act. 5. Act. 6., Euseb. l. 10. H. E. c. 6., Cod. Theod. l. 16. t. 2.

## §. 200. *Privilegia.*

Privilegia, quibus Ecclesia in bonorum temporalium acquisitione gaudet, sunt: 1 Secundnm jus commune donationes ad pias caussas factae etiam sine acceptione vim habent, et dominium rei donatao ante traditionem in Ecclesiam transfertur. 2 Pia legata a subtractione *Falcidiae*, quae alias haeredi legatis nimium onerato reservantur, sunt immunia. Est autem *Falcidia* quarta haereditatis pars, quam haeres ex lege *Falcidia*, detrahit legatis, qnae ultra tres partes haereditatis ascendunt. 3. Eadem illico a morte testatoris Ecclesiae tradenda sunt, non obstante beneficio, quod alias haeredi competit ea nonnisi anno a morte testatoris elapso praestandi. 4 Praestari debent quandocumque de testatoris voluntate dubium non adest, etsi in testamento ob deficientes solemnitates infirmo contenta. 5 Libera sunt a tribnto ex haereditatibus pendendo, a quo exempta quoqne snnt stipendia Missarum, eaque omnia, qnae pro pauperum sustentatione aut lectis infirmorum in Nosocomiis relinquuntur. 6 Legata ad pias caussas relicta sunt etiam immunia a solutione mortuarii (1).

## §. 201. *Successio ab intestato.*

Si Clericus fatis cedit sine testamento, in bonis ecclesiasticis, vel intuitu Ecclesiae acquisitis, jure communi succedit Ecclesia, cui vivens ministraverat; quod si in pluribus ministrarit, inter eas Ecclesias pro rata haereditas dividi debet. Monasteria, quae possnnt in haereditatibns succedere, omnia bona Religiosorum professornm capiunt, ea scilicet de quibus ante votorum solemnium emissionem non disposuerunt. Novitii de bonis snis ante religiosam professionem disponere possunt. Caeterum vi decreti Concilii Tridentini omnis gratuita bonorum alienatio a novitio ante duos menses professioni proximos, vel ante ingressnm in monasterium, quamquam ad caussas etiam pias facta, et juramento confirmata, nulla decernitur. Quae autem proximis duobus ante professionem mensibus fit, nonnisi secuta professione effectum sortitur. Novitiis ab intestato monasteria non succedunt (2).

(1) L. 4. ff. de pollicit. et L. 23. Cod. de SS. Ecclesiis., Novell. Justinian. 131. c. 12. aut saltem de jure consuetud. (2) L. 20. Cod. de Episc. et Cler. c. fin. c. 12. q. 5. C. 1. de testament. Cod. de SS. Eccl; Nov. 123. c. 38. e. 9. causs. 19. q. 2. Concil. Trid. Sess. 24. c. 16. Novell. 418. Nov. Justin. 5. c. 3.

## §. 202. *Fundationes sacrae.*

Ecclesia bona temporalia acquirit potissimum per sacras fundationes, quarum nomine intelligitur omnis actus, quo inter vivos, vel mortis causa bona quaedam Ecclesiae, beneficiis ecclesiasticis, vel alicui Corpori morali perpetuo jure relinquuntur ea lege, ut certae functiones sacrae singulis annis peragantur. Hae, cum sint onerosae, ut effectum sortiantur, requiritur: 1 Acceptatio eorum, quorum curae Ecclesia, beneficium, aut Collegium commissum est; nam nemini invito obtrudi potest. 2 Cum obligatio ista, prout et fundatio, sit perpetua, nec temporanei praepositi Ecclesiarum successores suos perpetuo obstringere queant, adprobatio quoque Episcopi est necessaria, qui debet judicare, an functiones sacrae Religionis principiis, et animarum saluti congruant, vel non. Itaque injunctae obligationes bono Ecclesiae, legibus dioecesanis, ac potissimum praescripto cultus divini ordini non debent adversari: reditus fundationis ad honestam clerici sustentationem, vel ubi fundantur Missae, aliave pietatis exercitia, ad stipendia Sacerdoti in qualibet dioecesi dari solita, nec non ad procuranda ad cultum divinum necessaria sufficiant, oportet: tandem in testimonium factae fundationis, tum promissi de implenda obligatione injuncta, literae fundationis exarandae et foro competenti, ut ratae habeantur, exhibendae sunt. Hae litterae fundationis, a praepositis Ecclesiae conficiendae, debent continere voluntatem fundatoris, functiones sacras ex ejus mente obeundas, dotem fundationi assignatam, adjecta determinatione, quid, et cui de fructibus annuis obveniat, et promissionem obligationibus fundationis rite satisfaciendi. Praepositi Ecclesiae tenentur litteras confectas Episcopo tradere, ut eas approbet et acceptet. Fundatio sacra ab Episcopo approbata, et acceptata inducit obligationem eidem omnibus numeris satisfaciendi, et qui eam negligit, ad restitutionem tenetur (1).

## §. 203. *Bonorum ecclesiasticorum administratio.*

Jam a primordiis Ecclesiae administratio bonorum ecclesiasticorum fuit penes Rectores Ecclesiarum. Uti fideles libere bona Ecclesiis donabant; ita sibi reservare, vel, queis placebat, administrationem deferre poterant. Quodsi vero donatores nil juris sibi, aliisque reservarunt, tum Rectoribus Ecclesiarum, quibus dominium concessere, administrationem

(1) Rechberger Enchirid. J. E. Austr. t. 2. p. 190 et seqq.

reliquisse censentur. Sane jam ipsi Apostoli, vel per se, vel per ministros a se constitutos oblata Ecclesiae bona administrabant. Episcopos primarios fuisse bonorum ecclesiasticorum administratores ex canonibus Conciliorum constat: et licet per Oeconomos et Archidiaconos haec administrarent; tamen suprema in ea inspectio et sollicitudo nunquam non penes Episcopos stetit adeo, ut Oeconomi et Archidiaconi eis gestae administrationis rationem reddere deberent. Summus Pontifex vi potestatis, quam habet in universam Ecclesiam, et Episcopus ceu Ordinarius dioeceseos Rector curare obligantur, ut bona ecclesiastica integra et sarta serventur, juste prudenterque administrentur, ut in eos, ad quos destinata sunt usus, religiose impendantur (1).

## §. 204. *Alienatio bonorum ecclesiasticorum.*

Alienatio bonorum ecclesiasticorum tum per sacros canones, tum per principum constitutiones prohibita, et variis conditionibus circumscripta fuit. Ut alienatio rerum ecclesiasticarum tam mobilium, quam immobilium secundum canones sit licita, praeter urgentem, justam, et gravem causam, requiruntur praescriptae solemnitates. Justa causa foret major Ecclesiae utilitas, et pauperum necessitas cui alio modo subveniri nequiret. Praescriptae solemnitates sunt: 1 Auctoritas Superioris ecclesiastici cujus est de causae gravitate judicare; 2 In Ecclesia, quae Capitulum habet, consensus Capituli per actum capitularem praestitus; 3 Audiendi sunt omnes, quorum interest. Quaecumque bonorum ecclesiasticorum alienatio sine gravi caussa, et solemnitatibus praescriptis facta, tam pro foro externo, quam pro interno nulla, et irrita declaratur. Bona contra canones alienata sub anathematis poena restitui jubentur (2).

(1) Act. 6. Concil. Gangrens. c. 24. et 25., Concil. Antioch. c. 22., Concil. Agathens. c. 15., Conc. Aurel. I. relat. c. 32. causs. XII q. 2. et c. 7. causs. X. q. 1., Can. 21. cap. 1. q. 7., Cf. Thomassin P. III. L. 2. c. 1-12 et L. 3. c. 1. (2) Concil. Antioch. can. 24., Concil. Carthag. V. c. 4., Vid. Grat. c. 39. causs. XVII q. 4. et causs. XII, q. 1. L. 14. cod. de SS. Eccl. L. 17. eod. cod. tit. Novell. 7. et 120. C. 13. 14. 70., Caus. XII. q. 2. c. 8. de reb. Eccl. non alienand. et c. 1. eod. tit. in 6. Clem. 1. eod. C. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. Clem. 2. eod. tit. Extrav. Comm. un. de reb. eccl. non alien., C. 12. de reb. eccl. non alien. c. 2. eod. tit. in 6., Clem. 1. ibid. Extrav. Commun. eod. tit. C. 6. de reb. eccl. non alien. Extrav. comm. Ambitiosas eod. tit.

## ARTICULUS II.

### DE BONIS, ET REDITIBUS CLERICORUM.

### §. 205. *Oblationes.*

Clerici ordinarie vivebant ex oblationibus fidelium, quae prioribus Ecclesiae saeculis vel conventuum sacrorum occasione omni ebdomada vel omni mense, vel tandem occurrentibus peculiaribus Ecclesiae necessitatibus dabantur. Occasione conventuum sacrorum qualibet bebdomada, divites non solum panem et vinum, ex quo epulum eucharisticum conficiebatur, et eulogiae post missam populo distribuebantur, sed etiam alias res, et nonnunquam etiam pecuniam offerre solebant. Quolibet mense consueverant Christiani pro sua quisque facultate et pietate in arcam seu aerarium Ecclesiae stipem pro lubitu inferre. Extra ordinem pro singularibus Ecclesiarum necessitatibus aliae oblationes fiebant, dum *collecta* instituebatur. Unde dona fidelium hodie ad Clericorum sustentationem conferri solita, nominatim *oblationes* in Ecclesia, Missarum stipendia, *jura stolae* et *collectae* originem ducunt (1).

### §. 206. *Oblationes hodiernae in Ecclesia.*

Etiam hodierna die a fidelibus oblationes fieri solent in Ecclesia, quae illius sunt, cui ex mente offerentium destinantur. Quodsi mens offerentium neque expresse declaratur, neque ex communi loci consuetudine erui potest, parochus justum habet titulum illas sibi vindicandi. Quemadmodum olim, ita etiam hodie Christiani pro sua pietate altari oblationes imponere solent. S. Carolus Episcopos hortatur, ut hunc morem in solemnitatibus Domini, et festis dominicisque diebus servari curent. Primis Ecclesiae saeculis in qualibet Ecclesia erat arca, quae *Corbona* dicebatur, et in quam Christiani stipem inferebant ad pauperum sustentationem. Inde institutum est *Gazophilacium*, seu locus in exedris Ecclesiae pro colligendis fidelium oblationibus. Etiam hodie in Ecclesiis datur arca, in qua voluntariae pecuniarum oblationes reponuntur; item pecuniae colliguntur sacculo sonante per Ecclesiam circumferri solito. Omnes oblationes voluntariae intra fines districtus parochialis factae, Ecclesiae parochiali obveniunt, nisi secundum tacitam, vel expressam offerentium intentionem,

(1) Van Espen. J. E. U. P. II. tit. 5. c. 4. n. 4. seqq., Thomassin. de V. et N. D. P. III. l. 1. c. 1.

aut per consuetudinem, vel privilegium alii loco sint addicendae. Oblationes vero factae in Ecclesiis Regularium Regularibus cedunt (1).

## §. 207 *Stipendia Missarum.*

In locum panis, et vini, aliarumque rerum, paulatim mos offerendi pecunias successit, quae primum Ecclesiae generatim, deinde vero Sacerdoti celebranti adjudicabantur, qui propterea Missae Sacrificium ad mentem offerentium adplicare tenebatur. Ita exorta sunt Missarum *stipendia* nostris temporibus dari solita. Circa haec sequentia observanda sunt: 1 Sacerdos stipendium accipiens ex justitia obligatur ad applicandam Missam secundum intentionem dantis. 2 Tot debet Missas celebrare, quot stipendia accipit. 3 In accipiendis Missarum stipendiis sollicite evitare tenetur quaecumque simoniam, turpem quaestum, aut inhonestam negotiationem sapiunt. 4 Ea de causa in Missarum stipendiis servanda est lex dioecesana, si quae extat, vel saltem probata consuetudo. 5 Sub poena excommunicationis pro laicis, et suspensionis pro clericis vetitum est omne mercimonium, id est obligationes Missarum, reservata sibi quadam stipendii parte, in alios transferre, aut ea in loca mittere, ubi minor stipendii summa introducta est (2).

## §. 208. *Jura Stolae.*

Jam primis Ecclesiae saeculis Christifideles pro sua pietate, et facultate, cum Religionis ministri vel Sacramenta administrabant, vel justa funeri solvebant, vel alias functiones sacras peragebant, eis varias oblationes faciebant. Saeculo IV, teste S. Gregorio Nazianzeno, in administratione Sacramenti Baptismatis Christiani aliquid dare solebant. Hae oblationes initio ab offerentium voluntate pendebant, sed temporis progressu in laudabilem abierunt consuetudinem, quam Concilium Lateranense IV non solum confirmavit, verum etiam fideles ad eas praestandas obligavit, et Episcopis facultatem fecit recusantes ad id etiam adigendi. Jus recipiendi ejusmodi sportulas, seu honoraria, post sacras functiones sol-

(1) Synod. Mediolan. IV. P. 2. c. 15., Can. Apost. 3. 4. 5., Concil. Carthag. III. Can. 24. Arg. c. 13. causs. 10. q. 1. — c. 1. de statu Monachi, Cf. Devoti Inst. I. E· t. 2. l. 2. Tit. 17., et Schenkl Inst. J. C. Sect. 2. c. 3. art. 1. §. 794. seqq. p. 593. seqq. (2) S. Chrodegangus in Reg. Concil. Trid. Sess. 22 de observ. et evit. in celebr. Miss., Benedictus XIV Const. *Quanta cura.*

vi solitas, *jus stolae* vocatur; eo quod tum, cum Parochus in cujusdam favorem stola utitur, pendi consueverint. Parochus igitur jus habet tales sportulas, seu honoraria exigendi, non quidem ut mercedem pro functionibus sacris, sed ut sustentationi adjumentum et praemium laboris (1).

## §. 209. *Collectae.*

Oblationibus accensendae veniunt etiam *Collectae*, in pluribus parochiis in usum deductae, quae vel pecuniis, vel rebus naturalibus, sive fixis, sive indefinitis constant, atque a parochianis parocho proprio, aut cooperatoribus dari solent. Harum collectarum aliae sunt *voluntariae*, a libero parochianorum arbitrio pendentes, aliae *necessariae*, vi pacti, vel observantiae modo quodam definito elargiendae. Si parochiani collectam dare recusant, qui eam exigit ostendere debet, sibi jus competere sive per pactum, sive per praescriptionem acquisitum. In regionibus ubi fuerunt erectae novae capellaniae, statutum fuit ut collectae necessariae cedant parocho priori, voluntariae vero sint ejus, cui illas parochiani addicunt (2).

## §. 210. *Decimae.*

Ad proventus Clericorum spectant potissimum *Decimae*, quae in locum primitiarum, seu fructus primi anni substitutae fuerunt. Hebraei Levitis, et Sacerdotibus tenebantur dare decimam partem fructuum, et pecudum. Lege evangelica non obligantur christiani Religionis ministris decimas praestare, sed necessaria tantum ad honestam sustentationem suppeditare: « dignus est enim operarius mercede sua ». « Quis militat, ait Apostolus, suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte ejus non manducat? . . Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari inservit, cum altari participat? Ita Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere? ». *Decimarum* nomine vulgo venit decima, aut minor pars fructuum solvenda illi, qui eam jus exigendi habet, quique propterea *Decimator* audit. Decimae dividuntur: 1 in *ecclesiasticas*, quae Ecclesiae ministris ex titulo spirituali penduntur, et *laicas*, quae titulo profano sive laicis sive clericis praebentur; 2 in *reales* et *personales*, prout vel ex terrae fructibus et anima-

(1) S. Greg. Naz. Orat. 40. de Bapt. Cap. 42. de Simon.
(2) Rechberger Enchirid. J. C. A. t. 2. p. 204. §. 237.

lium, vel ex persouae industria, labore, lucro solvuntur. Reales subdividuntur iu praediales, quao ex frugibus praediorum, et *domesticas*, quao de fructibus animalium, v. g. pullis, ovis, caseo praestantur. 3 Iu *majores*, ex frumento, vino, foeuo, aliisque uberioribus fructibus, et *minores*, ex leguminibus, oleribus, liuo ot similibus pendendae. 4 In *veteres*, quae do agris longo tempore cultis, et *novales*, quao do agris receuter ad culturam redactis percipiuntur. 5 Iu decimas *mergitum* ( manipulorum ), quae de agro colliguntur, et *granorum*, quae ex granis trituratis praestantur (1).

### §. 211. *Jus decimandi competit Clericis*

Jus decimandi, seu decimas ecclesiasticas percipiendi generatim Ecclesiae miuistris, hodie praecipue parochis competit, uisi siugularis exemptio demonstretur. Omues laici a jure decimandi suut exclusi, quia illud officio clericali adhaeret. Decimae personales, ubi obtineut, a Christiauis solvendae suut parocho, a quo Sacramenta percipiunt: praediales vero debeutur parocho iu cujus parochia sita sunt praedia, etiamsi possessor in territorio alterius parochi domicilium habeat. Novalium quoque decimae ad parochum spectare censentur, nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis caussa ostendatur, per quam adpareat novalium decimas ad eos pertinere. Nihil obstat, quominus plures etiam earumdem decimarum sivo aequis partibus, sive inaequaliter participes sint. Quamquam decimae in regula debeantur parocho, nihilominus etiam alii clerici, aut Ecclesiae possunt acquirere jus decimandi vel privilegio Summi Pontificis, vel praescriptione annorum quadraginta cum titulo, vel sine titulo praescriptione immemoriali (2).

### §. 212. *Modus levandi decimas.*

Ad modum quod attinet levandi decimas consuetudine determiuatur ideoque ad locorum usum quam maxime respiciendum est. Generatim pro levandis decimis frumentis sequentia observari solent: 1 Frugibus in manipulos redactis decimator admonendus cst. 2 Decimator intra 24 horas tenetur de-

(1) Levit. 26, 30. Matth. 9. 7. I. Cor. 9. Leg. 30. ff., de Verb. signif. Leg. 5. §. 2., ff. de Termin., Cf. Schenkl Inst. J. C. P. II. Sect. 2. cap. 3. art. 1. §. 799. p. 600. (2) C. 29. et 30 de decim. etc., de restit. spoliat. in 6. C. 19. de decimis c. 7. de praescript. Concil. Cabilon. II. Can. 19., S. Petrus Damiani t. 3. op. 33. c. 3.

cimas levare, aut signare, et quidem a manipulo, vel acervo: 3 Si decimator id facere neglexerit, decimandus jus habet curandi, ut decimae a judice loci virisque jurejurendo adstrictis signentur; quo facto suas fruges, relictis in agro decimis, impune evehere potest. Num vero decimae eorum, qui eas pendere debent, an decimatoris sumptibus sint evehendae, lege definitum non est, neque etiam inter jurisperitos convenit. Ordinarie sumptibus decimatoris asportantur, nisi antiqua aliqua consuetudo vigeat, ut agri possessor eas vehere teneatur (1).

## §. 213. *Immunitas a solvendis decimis.*

Generatim decimas omnes solvere debent; et canones poena excommunicationis plectunt eos, qui decimas praestare recusant, aut, ut praestentur, impediunt. Nihilominus plures a solvendis decimis immunes evadere possunt variis modis, et quidem: 1 *Privilegio* a Superiore ecclesiastico legitime impetrato. 2 *Pacto convento*, quo decimator juri suo quidem renuntiare potest, nequaquam vero successores suos obligare, nisi consensus legitimi Superioris accedat. 3 *Praescriptione* et *observantia*; et quidem quoad laicales requiritur praescriptio triginta annorum, ut nimirum decimae tanto temporis spatio praestitae non sint; quoad ecclesiasticas contra parochum praescriptionem quadraginta annorum cum titulo, immemorialem sine titulo omnes adsignant. 4 *Consuetudine legitima*; quoad ecclesiasticas requiritur consuetudo quadraginta, quoad laicales triginta annorum. Clerici saeculares sunt immunes a praestandis decimis ex bonis, quae habent titulo spirituali, puta beneficii; Regulares autem ex fructibus bonorum suorum, nutrimentis animalium, atque ex novalibus, quae fiunt ex terra prorsus inculta, quam ipsi proprio labore, sumptuque colunt (2).

## §. 214. *Testamenta Clericorum.*

Si Clerici habent bona temporalia privata, seu patrimonialia, quae haereditate, legato, contractu, aliove jure acquisiverunt, de his libere testari possunt. Moriente clerico sine

(1) Schenkel Inst. J. C. P. II. Sect. 2. c. 3. art. 1. p. 609. §. 805.

(2) Can. 5. caus. 16. q. 7., C. 5. de Decim., Concil. Trid. Sess. 25. c. 12. de reform. Cap. 24. ibiq. Glossa verb. Exemptus de Decim. Cap. 15. de Privileg., c. 4. 6. 8. de praescript. Cap. 1. eod. in 6 Cap. 8. de Transact. Cap. 2. de Decim. Cap. 10 et 11. de Decim, Vid. Devoti t. 2. Tit. XVI De Decimis.

testamento, ejus bona privata ad cognatos proximos transeunt; quod si nulli fuerint haeredes legitimi, ad Ecclesiam deferuntur. Ad bona vero ecclesiastica quod attinet, juxta SS. Patrum doctrinam Clerici non sunt domini, sed usufructuarii tantum; idcirco quidquid, deductis expensis ad honestam sustentationem necessariis, de fructibus beneficii superest, in pios usus, et potissimum in bonum pauperum impendendum est, juxta illud tritum adagium: « superflua Sacerdotum sunt » patrimonia pauperum ». Haec est obligatio justitiae proprie talis cum officio restitutionis conjuncta et nititur inprimis natura bonorum ecclesiasticorum, quae non solum in sustentationem cleri, verum etiam inopum semper impendebantur, deinde voluntate fundatorum sive tacita sive expressa. Quamobrem antiqui canones vetabant possessoribus beneficiorum ecclesiasticorum de facultatibus ex iisdem acquisitis testari, quae ad Ecclesiam, unde venerant, redire debebant. Lapsu temporum concessa fuit ipsis facultas testandi solum ad pias causas. Tandem quia difficile erat bona ex reditibus ecclesiasticis acquisita discernere a bonis patrimonialibus, et certum judicium ferre de dispositione testatoris ad piam causam, ad evitandas lites sensim etiam Clerici nacti sunt jus conficiendi testamenta pro foro externo veliturum; sed in foro conscientiae sub gravis peccati onere tenentur bona ecclesiastica ad pios usus legare. Si clericus ab intestato discedat, jure communi in bona ex proventibus ecclesiasticis acquisita succedit Ecclesia, cui deservit (1).

## ARTICULUS II.

### DE BONIS, AC REDITIBUS ECCLESIARUM.

### §. 215. *Bona singularum Ecclesiarum.*

Primis Ecclesiae saeculis ex fidelium oblationibus alebantur Clerici, et pauperes, eaque procurabantur, quae ad cultum Religionis externum erant necessaria. Furentibus ethnicorum persecutionibus bona Ecclesiarum erant potissimum res mobiles, quae facile poterant celari, asportari, distribui. Extructis probabiliter sub imperatoribus Alexandro Severo, et Philippo Arabe templis, pars oblationum ad conservationem, et

(1) Can. 4. c. 12. q. 5., cap. 9 et 21 de Testament. Cap. 1. de eod., c. 1. de Success. ab intest. Can. 40. Apostol., c. 2. de Pecul. Cleric. c. 7. de Testam., Vide Benedict. XIV de Synod. Dioec. l. 7. c. 2. et Concil. Trid. Sess. 25. cap. de reform.

restaurationem aedium ecclesiasticarum reservabatur. Pace et libertate a Constantino M. Christianis data, singulae Ecclesiae, partim per actum donationis inter vivos, partim per testamenta post mortem, nactae sunt bona temporalia immobilia, uti domos, agros, vineas, sylvas, prata etc. Ut nihil dicam de liberalitate principum christianorum, saepe evenit, ut Gentilium templa, eorumque reditus Ecclesiis Christianorum adscriberentur. Oblationes et bonorum ecclesiasticorum proventus, saeculo V dividebantur in quatuor partes, quarum prima et major Episcopo, quem hospitalitatem exercere oportebat, altera Clericis, tertia pauperibus obveniebat, et quarta in fabricam Ecclesiae impendebatur. Mos tamen oblationes et reditus ecclesiasticos quadrifariam dividendi haud fuit generalis, quia Synodus Bracarensis I tres constituit partes, quarum unam Episcopo, alteram Presbyteris et ministris, tertiam aedificiis, et Ecclesiae luminaribus adsignavit. Bona Ecclesiarum, etiam post beneficiorum ecclesiasticorum erectionem, non erant a bonis Clericorum segregata. Paulatim Clericis, qui ex Ecclesiae, cui erant adscripti, proventibus alebantur, certi reditus adsignati sunt: item Ecclesiis parochialibus sua bona addicta. Itaque bona beneficiorum a facultatibus Ecclesiarum ex fundationibus specialibus, donis, legatis, oblationibus conflatis sejuncta fuerunt (1).

## §. 216. *Administratio proventuum.*

Ex agris, vineis, silvis, pratis, domibus, aliisque rebus temporalibus Ecclesiae trahunt fruges, vinum, oleum, ligna, foenum, pecuniam, quae earum proventus constituunt. Secundum canones Episcopo jus competit inspectionis circa administrationem redituum omnium Ecclesiarum in sua dioecesi existentium, ejusque est curam gerere, ut bene administrentur, et annuas rationes inspicere. Ad parochum vero spectat omnes proventus Ecclesiarum in suo districtu parochiali sitarum religiose administrare. Quod ad Ecclesiarum parochialium bona adtinet, primariis administratoribus adjungi solent duo vel plures *curatores inferiores*, quos *Vitricos* vocant. Ordinarie eliguntur a plebe cujusvis parochiae viri honesti, bene morati, neque opibus destituti. Horum, sicut omnium administratorum, officium est: 1 inventarium summa cura con-

(1) Simplic. P. ep. 3. ad Florent., Gelasius P. ep. 9. ad Episc. Lucan. cap. 37. S. Gregor. M. ep. 11. l. 4. Synod. Brac. can. 7., Lamprid. vit. Alex. Sever. c. 49. Euseb. H. E. t. 10. c. 6. Leg. 20. cod. Theodos. de Pagan.

ficere; 2 Aerarium, seu armarium seris instructum, litteras fundationum, librum rationum justo ordine censurae subjectarum, aliaque instrumenta majoris momenti fideliter custodire; bona Ecclesiae augere, fundos, pecunias recte collocare; 4 nomina, censusque recto tempore exigere; 5 proventus impendere in fines, in quos destinati sunt; 6 proventuum, et impensarum calculos subducere, et quotannis rationes iis, quibus debent, reddere; 7 in rebus majoris momenti superiorum ecclesiasticorum consensum exquirere. Nullum autem stipendium percipiunt (1).

### §. 217. *Origo, et divisio advocatiae ecclesiasticae.*

Advocatia ecclesiastica generatim est officium juvandi, defendendi Ecclesias, earumque bona, jura, personas etc. Haec duabus causis originem suam debere videtur: 1 Ditiores cum Ecclesias fundarent et dotarent, in litteris fundationis sibi et suis successoribus jus Ecclesias fundatas earumque bona et jura defendendi sibi reservabant; 2 Medio aevo cum homines injusti, et violenti bona ecclesiastica diriperent, Pastores animarum Ecclesias protectioni potentium tradiderunt, ut eas a rapinis et praedis servarent. Advocatia cum jure patronatus connexa esse videtur; distinguitur tamen ab illo, quod jus patronatus saepe jus *reale*, advocatia jus *personale* sit. Plerumque tamen ille qui patronus Ecclesiae, etiam ejusdem est advocatus. Dividitur *a)* in *universalem*, quam imperatores tum olim, tum maxime inde a Carolo M. gerebant ad tuendum patrimonium S. Petri, caeteraque universae Ecclesiae bona defendenda ab injustis direptionibus; *b)* in *generalem*, qua quilibet princeps bona et jura Ecclesiarum in suo territorio sitarum protegit; *c)* in *specialem*, qua quilibet advocatus fundationes, legata, dona, juraque Ecclesiae specialis defendit. *Advocatia* quaecumque potest esse vel *haereditaria*, quae sine revocatione in haeredes transit, nisi advocatus rectorem Ecclesiae spiritualem occidat, proventus ecclesiasticos in suum usum convertat, bona ecclesiastica pessundet, labatur in haeresim, quibus in casibus praevia judicis cognitione advocatia spoliaretur, et *precaria* seu *revocabilis*, dum scilicet Ecclesiae bona et jura cuidam ad tempus, et modo revocabili defendenda traduntur (2).

(1) Schenkl Inst. J. C. P. II. Sect. II. art. 3. p. 625. (2) P. Gallade Dissert. de advocat. Eccl. c. 3. et 4. Thesaur. I. E. t. 5. p. 709 seqq. Schenkl Inst. J. C. P. I. Sect. 2. art. 4. p. 605., Rechberger Enchirid. J. C. A. t. 2. §. 258. p. 225.

### §. 218. *Officia Advocatorum ecclesiasticorum.*

Generatim advocatus est causarum patronus, jurium defensor; in specie advocatus ecclesiasticus est Ecclesiae protector, et sequentia circiter officia habet: 1 Officium bona et jura ecclesiastica tuendi adversus usurpatores; 2 Officium invigilandi administrationi proventuum ecclesiasticorum; 3 officium exercendi nomine Ecclesiae jurisdictionem civilem ubi Ecclesia potestate dominii directi in subditos gaudet, salva semper parocho inspectione negotii, quoties de eo agitur, ut Ecclesiae debitae praestationes obtingant; 4 officium causas civiles in judicio tuendi. Interim vi advocatiae ecclesiasticae advocatus non habet jus quosdam Ecclesiae reditus percipiendi, nisi probet alio titulo id sibi competere, neque excluditur patronus, ubi advocatia a patronatu separata est, a jure comparendi dum rationes proventuum, et expensarum redduntur, et subveniendi remediis, cum proventus Ecclesiae non bene administrantur (1).

### §. 219. *Finis proventuum ecclesiasticorum.*

Proventus bonorum ecclesiasticorum non debent ab administratoribus in usus proprios, aut profanos, sed in ipsius Ecclesiae bonum impendi. Hunc esse eorum finem fluit ex intentione fundatorum, qui Ecclesias fundarunt et dotarunt, ut eisdem necessaria provideantur. Itaque ex reditibus singularum Ecclesiarum procurari debent calices, patenae, ciboria, ostensoria, candelabra, candelae, cerei, thuribula, thura, navicellae, vasa, palmae, organa, tintinnabula, aliaque ornamenta et utensilia, quae in Ecclesia et in cultu Religionis externo adhiberi solent; item pluvialia, casulae, stolae, manipuli, albae, amictus, lineae tunicae, et reliqua. Porro ex reditibus Ecclesiae solvendi sunt aeditui, orgnanaedi, famuli, qui ordinarie mutuo parochi et advocati consilio assumuntur. Si aliae vigent consuetudines quoad modum hos sustentandi, fideliter observari debent.

### §. 220. *Reparationes Ecclesiarum.*

Cum Ecclesia indiget reparatione, nisi specialis obstet loci consuetudo, ex propriis reditibus reparari debet. Quod ad Ecclesiam Cathedralem attinet, si reparatio suscipienda est,

(1) Cf. Rechberger Enchirid. J. C. A. t. 2. p. 225. et 226.

et specialibus careat reditibus, Episcopus tenetur eam reficere, si superfluos habeat proventus. Si autem Episcopus superfluos reditus non habet, tunc obligantur ad reparationem Canonici superfluos reditus habentes. Si vero nec Episcopus, nec Canonici haberent reditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc Episcopus una cum Capitulo posset compellere alios inferiores clericos ad contribuendum de suis superfluis proventibus, vel etiam deputare ad id fructus beneficiorum vacantium. Si Ecclesia est parochialis et sufficientes proventus non habeat, secundum Concilium Tridentinum ad ejus reparationem contribuere debent parochus, habentes beneficia in illa Ecclesia ex reditibus superfluis beneficiorum, et patroni si paroecia est de jure patronatus; si vero non haberent superflua, in eorum locum adigendi forent parochiani, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota. « Quodsi nimia egestate omnes laborent, pergit Synodus, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, » cum facultate tam dictas parochiales, quam alias Ecclesias » dirutas, in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi » Cruce, convertendi ». Et si Ecclesia non sit parochialis, ad eam reparandam tenentur omnes in illa beneficium habentes. Qui tenentur ad Ecclesiae reparationem, obligantur etiam ad reparationem aedium Rectoris Ecclesiae (1).

# SECTIO III.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

### DE FORMA JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM.

### §. 221. *Divisio materiae.*

Circa res inter personas ecclesiasticas oriri possunt lites, quibus oportet finem imponere per judicia, ut bono societatis ecclesiasticae consulatur. In Ecclesia Jesu Christi tanquam societate visibili et perfecta esse potestatem leges ferendi, actiones subditorum cum legibus conferendi, et legum transgressiones puniendi in Jure Canonico publico sat superque demonstratum est. Potestas haec externa est vel *juridica*,

(1) Cap. 1. de aedif. Eccl. cap. 10. caus. 10. q. 1. et cap. 27. caus. 12. q. 2. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 7. de ref., Benedictus XIV Inst. Eccl.

vel *criminalis*, prout liberae subditorum actiones vel injustae, vel criminales sunt; illa bonum privatum respicit, juraque partium contendentium definit; haec punit delicta, quae bono Ecclesiae publico opponuntur. Ex hac duplici potestate duplex enascitur *judicium ecclesiasticum, juridicum* nimirum, quod jura ecclesiastica inter partes litigantes discernit, et *criminale*, quod de accusato ob delictum canonicum, praevia inquisitione, jus dicit. Videndum itaque quo modo in judiciis ecclesiasticis procedere oporteat, quae delicta judiciorum ecclesiasticorum materiam constituant, et quibus poenis castigentur, adeoque tota Sectio tribus absolvitur capitibus: 1 de forma judiciorum ecclesiasticorum; 2 de delictis ecclesiasticis; 3 de poenis ecclesiasticis.

## §. 222. *Judex competens.*

Ad formam judiciorum ecclesiasticorum in primis spectat, ut judex sit competens, quia secus omnia acta sunt nulla et irrita. Judex competens vero ille est, cujus jurisdictioni reus conventus ratione causae controversae subjectus est, atque *forum*, ut ajunt, apud ipsum sortitur. Judex competens potest esse vel *ordinarius*, qui jurisdictionem ordinariam, et vi officii competentem, vel *extraordinarius*, qui delegatam, non vi officii, sed ex speciali Superioris, legisve concessione exercet. An judex competens sit, ex natura causae, et persona rei, quae convenitur, erui debet. Ex rerum natura fluit, causas spirituales, vel rebus spiritualibus adnexas, uti de fide, de religione, aut cultu divino, de Sacramentis, de sacris ritibus, de disciplina Ecclesiae a judice ecclesiastico noscendas, ac definiendas esse. Ad personam rei quod attinet, judex competens esse potest, *a) ratione domicilii; b) ratione contractus; c) ratione delicti; d) ratione rei sitae. Ratione domicilii* competens est judex loci, in quo quis habitat cum animo vel perpetuo, vel ad longum tempus ibidem commorandi. *Ratione contractus* est competens judex loci, ubi contractus celebratus est, aut quis se soluturum promisit; modo reus ibi reperiatur, vel bona possideat. *Ratione delicti* est competens judex loci, ubi reus delictum commisit, et fuit deprehensus; quare Clericus delinquens in aliena dioecesi ab hujus Ordinario castigari potest. Tandem *ratione rei sitae* est competens judex loci, in quo res controversa sive mobilis sive immobilis sita est; ideoque in causis beneficiariis Clerici ab Episcopo beneficii recte judicantur. Ex juris canonici praescripto in causis spiritualibus, matrimonialibus, beneficiorum, decimarum, usurarum, pauperum, et viduarum processus sum-

marius instilui debet, idest, omissis solemnitatibus, tantum substantialia judicii sunt observanda, ne lites nimis in longum protrahantur (1).

§. 223. *Auditio Actoris, et Rei.*

Ut Judex competens queat administrare justitiam audire debet *Actorem*, qui in judicio jus suum persequitur, seu agit, et *Reum*, qui convenitur. Jus agendi competit cunctis, qui natura, vel lege non prohibentur. Conveniri possunt communiter omnes etiam excommunicati, ne ex peccato commodum reportare videantur. Actor judici speciem facti, fundamentum agendi, suumque desiderium clare et distincte, servato veritatis studio, exponere tenetur. Libello ab actore oblato, audiendus est reus; etenim nemo condemnari potest nisi prius auditus. Reus auditur cum a judice citatus in foro comparet, vel cum jussus defensionem litteris consignatam tradit, aut cum commissario potestas delegatur eum audiendi in loco, ubi causae cognitio instituenda est. Reus conventus iis, quae ab actore in medium sunt prolata, sine sermonis ambiguitate respondeat oportet, neque in alium sensum verba detorqueat, neque inutili verbositate utatur. Judex tenetur: 1 audire petitiones actoris, et exceptiones, quibus reus adversus actorem se defendit; 2 investigare veritatem, et contendentium contradictiones animadvertere; 3 examinare testes, omnesque illos, qui rei notitiam habere posse videntur; 4 materiam litis bene inspicere; 5 instrumenta ad rem apta deposcere; 6 postulare confessionem partium, ubi dicta cum testibus aliisque probationibus non concordant; 7 audire vel unam vel alteram partem, aut ab utraque scriptam exigere declarationem, quoties opus visum fuerit; 8 dare operam, ut partes, quatenus de juribus duntaxat privatis agitur, amicabiliter litem componant. Qui legitimae citationi aut aliis justis mandatis perfracte non obedit, contumax est, et intentatis gravioribus poenis, censurisque ecclesiasticis ad comparendum compellitur (2).

(1) L. ult. ff. de Jurisdict., L. ult. Cod. si a non compet. jud. can. 7. caus. 2. q. 1., can. penult. caus. 11. q. 1., L. 19. ff. de Jurisd. Cap.ult. de For. compet., Leg. 2. Cod. de Incolis lib. 10., Leg. 7. cod. loc. et 22. ff. de Accusant. Leg. 1. ubi de crim. agere oport., Leg. 3. c. 3. de for. compet., Leg. 2. Cod. ubi in rem actio. C. 1. §. 3. de for. compet., Clem. 2. de judic.

(1) C. ult. de jud. in 6. et c. 14. de restit. spoliat., C. 21. de rescript. c. 5. de rescript. c. 29. de offic. et potest. jud. deleg.. Clem. 2. ut lite pendente c. 2. de dilat. cap. 10. de dolo et contum., Clem. unic. de foro compet. c. 19. de foro compet. c. 1. et 2. de eo qui mittit. in possess. etc. c. 3. ut lite non contestata Vid. Schenkl Inst. J. C. P. II. Sect. 3. c. 1. art. 2. et Devoti t. 3. tit. 5. et tit. 6.

## §. 224. *Notio, et species probationis.*

Lite contestata probatio adhibenda est, ut judex in rei controversae cognitionem veniat. Est autem probatio actus, quo judici per argumenta idonea de re, aut facto dubio, vel controverso fit fides. Substantialia probationis sunt, quae ex natura et essentia probationis intelliguntur; solemnia ejus dicuntur, quae lex addidit ad probationem exactiorem efficiendam. Est itaque probatio alia *ordinaria*, in qua praeter substantialia etiam solemnia; et alia *summaria*, in qua sola substantialia observantur. Praeterea probatio est vel *plena* seu *perfecta*, quae ad facti veritatem evincendam sufficit, vel *semiplena* seu *imperfecta*, qua sola facti veritas non demonstratur. Semiplena iterum est vel *major*, cum testi omni exceptione majori accedit alter omni exceptione haud major; vel *minor* cum unus aut plures testes omni exceptione haud majores adsunt. In judiciis ecclesiasticis ubi processus summarius locum habet, probatio nonnisi summaria adhibetur. Generatim onus probandi ad eum spectat, qui factum in sui ipsius favorem adducit, cui altera pars contradicit, alias a judice pro vero haberi nequit; qui factum negat, ad probationem negationis non tenetur, nisi praesto sit actori juris praesumptio, aut reus actor efficiatur. Inde liquet subinde et actorem et reum onere probandi teneri posse. Species autem probationum ordinariae sunt: 1 Confessio; 2 Attestatio; 3 Instrumenta; 4 Praesumptio; 5 Jusjurandum (1).

## §. 225. *Confessio.*

Affirmatio facti est ejusdem *confessio*. Confessio proprii facti in judicio facta plenam efficit probationem ita, ut ulteriori opus non sit. Ut confessio talem vim exerat, debet libere, sponte, scienter, clare, certe, serio, non erronee, et coram judice competente fieri. Extrajudicialis plenam probationem constituit, si coram adversario, et idoneis, rogatisque testibus emittitur. Quum confessio judicialis vim plenae probationis habeat, actorem ab onere probandi liberat. Ad eliciendam partis adversae confessionem introductus est usus *positionum* seu articulorum, in quos factum litigiosum dissolvitur, quosque pars altera veros esse asserit, et adversario

(1) Can. 10. q. 5., Leg. 31. ff. de jurej., Leg. 3. cod. de reb. credit., C. 2. de probat., Cap. 2. de rest. spoliat. in 6., Leg. 9. et 19. ff. de prob., cap. 3. et 9. de probat.

ad respondendum proponit. Competit autem jus positiones proponendi tam actori, quam reo. Qui a judice jussus ad positiones respondere recusat, aut ne respondeat, a judicio discedit, convictus judicatur. Qui vero discedit, antequam judex jubeat, non convictus, sed contumax existimatur. Ad captiosas, obscuras, dubiasque petitiones, aut ad causam non pertinentes nemo respondere obligatur; quam ob rem judex considerare debet admittendae ne, an rejiciendae sint positiones (1).

## §. 226. *Attestatio.*

*Attestatio* est probatio per testes, quorum nomine veniunt personae fide dignae ad judicium evocatae, ut rei controversae, quod cognitum habent, sincere edicant, quodque ab iis dicitur, testimonium appellatur. Omnis quaestio de testibus facile redigitur ad *qualitatem*, *numerum*, et *examen*. Ad qualitatem quod attinet, generatim debent esse testes habiles, qui veritatem dicere et *posse* et *velle* praesumuntur, seu qui nec *scientiae*, nec *sinceritatis* defectu laborare creduntur. Inhabiles ad ferendum testimonium sunt furiosi, amentes, scientia facti destituti, testes auriti, nisi forte agatur de probanda fama, perjuri, infames, excommunicati, criminosi, qui in sceleris contagione versantur, de falso convicti, pretio corrupti, alterutri parti inimici, qui ex causae decisione lucrum, aut damnum sperant. Circa numerum notandum, duos saltem testes fide dignos, et in eodem facto consentientes esse necessarios, ut plena probatio habeatur. Testes singulares, qui diversos ad idem factum pertinentes actus referunt, saltem probationem semiplena majorem conficiunt. Tandem testes habiles et fide digni de articulis tum a partibus oblatis tum a judice additis examinandi sunt, et ad testimonium jurejurando confirmandum adigendi. Fides testimoniorum labefactatur, si dubia, contradictiones, aut mendacia contineant (2).

## §. 227. *Instrumenta.*

*Instrumenta* sunt scripturae, quae judici fidem faciunt rei, quam continent. Instrumenta sunt vel *publica*, si a per-

(1) C. 16. de offic. et potest. jud. deleg., C. 7. de testib. cog., C. 3. de confessis, C. 10 de transact., c. 2. de confessis in 6. et Clem. unic. de verb., C. 2. de testib. in 6., C. 2. de confess. in 6., C. 1. de confess. in 6.

(2) C. 33. de testib., Cap. 9. de prob., Cap. 23. et 32. de elect. C. 5, 27, 47. de Testib., Leg. 20. §. Ne furiosus ff. Qui testim. fac. pos., Can. 1 et 3. cap. 4. q. 3., Cod. 47 de testib. Cap. 54 et ult. de test. C. 23. de testib., Leg. 12. ff. eod.

sona publica, cui id munus commissum est, uti instrumenta a notario rite conscripta, acta judicialia, scripturae ex publicis archiviis eductae, et a publica persona confectae, vel *privata*, quae a privatis hominibus nulla publica auctoritate interveniente conficiuntur, quo spectant epistolae, apochae, chirographa etc. Instrumenta publica, modo authentica sint, plenam in judicio fidem faciunt. Privata nonnisi contra scribentem, modo ab eodem sint agnita, vim probandi plenam habent; contra tertium ad summum testimonii scripti locum tenent. Instrumenta rursus sunt vel *originalia*, seu scriptura primigenia, aut primitus condita, vel *transumpta*, seu exempla ex originalibus desumpta, seu *copiae*, quae, si a persona publica cum originali sint collatae, a *vidimus vidimatae* dicuntur. Tam originalia, quam copiae vidimatae plenam vim probandi habent. Si instrumentum dicitur suppositum, interpolatum, mutilatum, inspectione originalis, comparatione litterarum, sigillorumque, examine testium, similibusque modis dubium tollendum erit (1).

## §. 228. *Praesumptio.*

*Praesumptio* est judicium de probabilitate facti, sive ex certis indiciis, sive ex eo, quod ut plurimum fieri et contingere solet, deductum, eaque est vel *juris*, vel *hominis*, prout a lege ipsa procedit, vel a judicis arbitrio pendet. Praesumptio juris alia est *juris tantum*, quae probationem in contrarium admittit, et onus probandi transfert in eum, qui habet contra se praesumptionem, alia *juris de jure*, quae omnem contrariam probationem excludit. Praesumptio hominis quae semper probationem contrarii admittit, est vel *levis*, vel *probabilis*, vel *vehemens*, vel *violenta*, prout levibus, gravibus, aut indiciis fere evidentibus nititur, vel nullam, vel semiplenam, vel plenam probationem efficit. Ad leves et temerarias praesumptiones referri possunt *judicia Dei*, seu probationes medio aevo usitatae per aquam frigidam, vel ferventem, ferrum candens, offam, crucem, sacram coenam, singulare certamen etc. Praesumptiones ex principiis universalibus derivatae sunt: « quilibet censendus est bonus donec probetur contra-» rium: quaecumque res versatur in statu naturali et consue-» to: nemo absque necessitate juri suo renunciat » etc. Plures praesumptiones probabiles in idem consentientes probatio-

(1) Leg. 1. de fid. Instrum. Leg. 15. cod. de fid. Instr. auth. ad hace de fid. Instr. C. 1. et 16. de fid. Instrum. Cap. 1. et 16. eod. Cap. 10. eod. Cap. 15. eod. Leg. 25. §. ult. ff. de prob. cod. 14. de fid. instrum.

nis vim augent, eamque aliquando plenam reddunt. Caeterum a prudenti judicis arbitrio pendet judicare in singulis praesumptionibus quanta vis probandi insit, et quanta eis fides sit tribuenda (1).

## §. 229. *Jusjurandum.*

Probationibus judicialibus adnumeratur quoque *jusjurandum*, quod est advocatio divini Numinis in testem rei, quae promittitur, aut facti, quod asseritur. Inde patet juramentum esse vel *promissorium*, vel *assertorium*. Assertorium est *voluntarium*, quod sponte, et *necessarium*, quod judicis auctoritate praestatur. Voluntarium rursus potest esse vel *extrajudiciale*, vel *judiciale*. Voluntarium extrajudiciale dicitur illud , quod pars parti extra judicium per modum conventionis defert , et speciem transactionis habet. Voluntarium judiciale est, quod in judicio, judice non cogente, sed approbante, alter litigantium alteri defert , cum nulla alia probationis via patet. Si hoc juramentum acceptatur , et praestatur, judex debet pro jurante ferre sententiam, quae vim rei judicatae habeat , et appellationem excludat. Jusjurandum necessarium judiciale sola judicis auctoritate vel actori, vel reo defertur in probationum supplementum, et *suppletorium* appellatur; vel parti, contra quam praesumptiones, aut probatio semiplena minor adest, ad se ab iis purgandum, et *purgatorium* dicitur. Jusjurandum suppletorium in causis civilibus arduis nonnisi circumspecte, in criminalibus contra reum, vel in matrimonialibus ad dissolvendum conjugii vinculum, ubi probationes conspicuae adesse debent, nullatenus est deferendum. Juramentum purgatorium in omni causa adhiberi potest. Delato, et emisso juramento pro jurante sententia est ferenda. Qui autem jurare recusat, pro confesso habetur (2).

## §. 230. *Conclusio in causa.*

Auditis partibus contendentibus, probataque vel per confessionem, vel per testes, vel per instrumenta, vel per praesumptionem, vel per jusjurandum facti veritate, fit *conclusio*

(1) Leg. 16. Cod. de prob., cod. ult. de praesumpt., Cod. 7. de haer. in 6., Cap. 30. de spons., cap. 4. Qui matrim. accus. , Cap. 6. de condit. appos. C. 10. et 16. de praesumpt., C. 44. de sent. excom., C. 12. de praesumpt. (2) Leg. 3. 4. 5. 9. et 11. dig. de juram. sive volunt. sive necess., C. fin. de jurej. c. 2. de prob., C. 5. seqq. caus. 22. q. 5. et Leg. 34. §. 7. Pand. de jurej., C. 24. de jurejur., C. 1. 4. 8. 16. de purg. L. 51. de jurej. l. 1. §. 1. de appell.

*in causa*, seu legitima declaratio, qua actor et reus ulterioribus probationibus renuntiant, et causam controversam judicis decisioni submittunt. Conclusio in causa dividitur in *generalem*, quae totam causam complectitur, *specialem*, quae aliquem causae articulum respicit, *absolutam*, quae sine ulla conditione, *conditionatam*, quae cum conditione fit, *expressam*, qua partes vel expressis verbis sententiam petunt, vel sine reservatione ulterioris probationis causam arbitrio judicis relinquunt, et *tacitam*, qua terminum perentorium elabi sinunt, indeque conclusionem in causa fecisse censentur, quae novam probationem excludit. In causis tamen criminalibus pro reo, matrimonialibus, si peccati periculum subsit, pupillorum, viduarum, Ecclesiae; item si nova instrumenta reperiuntur, si pars altera confitetur, vel probari potest per facti evidentiam, etiam post conclusionem in causa admittuntur probationes (1).

## §. 231. *Sententia.*

Conclusionem in causa sequitur *sententia*, quae est judicis pronuntiatio causae controversae, et rite disceptatae decisionem continens. Haec judicis decisio, seu sententia est vel *interloquutoria*, vel *definitiva*. Interloquutoria est, quae articulum quendam inter causae cursum incidentem definit, et vocatur ita, quia judex, dum de primaria causa quaeritur, interea loquitur, et ea tantum dicit, quae ad causam promovendam pertinent, ut judicium ad propositum finem perducatur. Definitiva autem illa vocatur, quae totum negotium definit, pleneque controversiam dirimit. Interloquutoria sententia ab eodem judice revocari potest, definitiva revocari nequit; haec scribi debet, illa non scribitur; a definitiva appellatur, ab interloquutoria appellare non licet, nisi vim habeat definitivae, aut magnum inferat detrimentum, quod alio modo removeri non potest. Causae controversae decisio adhibitis solemnitatibus clare et distincte ad id citatis a judice ipso ( nisi sit Episcopus aut persona illustris ) pro tribunali sedente, die non feriato publicari debet. Sententia lata et publicata, si partes acquiescant, vel pars gravata appellationem intra decem dies non interponat, vim rei judicatae consequitur ita, ut actionem oppositam, nisi in casibus exceptis, excludat. Casus autem excepti sunt, si sententia est interloquutoria, vel defi-

(1) C. 1. §. de caus. possess. et prop. C. 9. 19. de fid. instr. C. 7. 11. de sent., C. 4. de excep. Schenkl Inst. I. C. P. II. Sect. 3. cap. 1. art. 5. p. 746 §. 870.

nitiva contra valorem matrimonii, vel a judice incompetente pronuntiata vel ex falsis instrumentis lata, vel pretio empta (1).

## CAPUT II.

### DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.

### §. 232. *Notio, et divisio delictorum ecclesiasticorum.*

Judiciorum ecclesiasticorum criminalium materiam conficiunt delicta ecclesiastica, quorum nomine pro foro poenitentiae interno veniunt omnia peccata gravia: immo etiam pro foro externo peccator publicus cujuscumque generis ex veteri disciplina ad agendam poenitentiam, reparandumque scandalum adigebatur, idque detrectans, Ecclesiae communione privabatur. Juxta Concilii Tridentini praescriptum etiam hodie qui publice, et in multorum conspectu crimen committit, unde alios scandalo offensos fuisse constet, publicae poenitentiae est subjiciendus, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Nihilominus in sensu strictiori delicta ecclesiastica sunt publica peccata in canonibus notata, quae in primis bono Religionis, et saluti Ecclesiae repugnant, quaeque a Canonistis dividi solent in delicta 1 contra fidem, 2 contra cultum divinum publicum, 3 contra status clericalis officia. Ad primam classem spectant *Apostasia perfidiae, Haeresis, Schisma.* Ad secundam spectant *Simonia, Blasphemia, Perjurium, Pejeratio, Divinatio, Magia, Sacrilegium.* Ad tertiam referuntur *Abusus ordinum, Apostasia a statu clericali et Ordine regulari, Sollicitatio, violatio sigilli sacramentalis, Concubinatus.*

### §. 233. *Apostasia perfidiae.*

*Apostasia* graecum est nomen, quod generatim latine significat defectionem a priori vitae instituto. Apostasia, quam vocant perfidiae, ut ab apostasia a statu clericali, aut ab Ordine religioso distinguatur, est defectio a fide, seu omnimoda fidei christianae desertio, et ad religionem a christiana alienam, aut aliam falsam transitus. Itaque qui a fide Jesu Christi ad Judaeorum, vel Paganorum, aut Musulmanorum

(1) Leg. 1. ff. de re jud., Leg. 14. ff. de re jud., C. 60. de appell., Leg. 9. Cod. de sent. interloq., Leg. 55. ff. de re jud., Clem. de sent. c. 5. in 6., c. 1. de fer., C. 13. 15. 25. de sent. et re jud.

castra transeunt, apostatae a fide nominantur. In horum numerum illi quoque referuntur, qui Religionem christianam deserunt, quamquam ad nullam aliam transeant, quales sunt athei. Secundum antiquos canones qui a Religione christiana deficiebant, et idolis sacrificabant, non solum excommunicabantur, verum etiam in quibusdam Ecclesiis absolutio usque ad vitae exitum differebatur, imposita ipsis, pro criminis gravitate et adjunctis, publica poenitentia. Ex hodierna disciplina Apostatae Ecclesiae communione, et si clerici etiam beneficio privantur, irregularitate notantur, et ab ecclesiastica sepultura excluduntur (1).

## §. 234. *Haeresis, et Schisma.*

*Haeresis,* ethymologice *electionem,* vel *sectam,* ex hodierno autem usu errorem contra fidem in homine ceteroquin christiano designat. Haereticus itaque est homo baptizatus, qui doctrinam Salvatoris divini ab Ecclesia definitam, et ad credendum propositam, vel corrumpit, vel negat, vel novam eidem contrariam praedicat. Qui errori contra fidem voluntarie et pertinaciter inhaeret, *haereticus formalis*, qui vero ex mera ignorantia, et absque voluntatis pertinacia errat, *haereticus materialis* audit. Poenae a jure canonico in haereticos formales statutae sunt: 1 excommunicatio latae sententiae Papae reservata; 2 irregularitas, et inhabilitas ad dignitates et beneficia ecclesiastica, quae ex parte patris ad nepotes, ex parte matris ad filios se extendit; 3 privatio beneficiorum, quam haeretici ipso facto, eorum defensores post sententiam incurrunt; 4 amissio jurisdictionis ecclesiasticae, et exercitii Ordinum; demum 5 eorum cadavera sepultura ecclesiastica non donantur; et qui auderet hoc facere excommunicaretur, neque absolveretur priusquam illa a tumulo erueret. Schisma est illegitima recessio ab obedientia legitimis Pastoribus, potissimum Romano Pontifici ceu unitatis ecclesiasticae centro debita. Inde fluit, schisma posse esse vel *universale,* vel *particulare,* prout ab unitate Ecclesiae universalis, vel particularis disceditur. Qui ab obedientia supremi Ecclesiae Pastoris recedit, schisma universale, qui obedientiam negat legitimo Episcopo, schisma particulare condit. Schisma est vel *purum,* vel cum *haeresi conjunctum*: si recedentes ab obedientia Pastoribus Ecclesiae debita intactam relinquunt doctrinam Jesu Christi, schisma est purum, quale fuit

(1) Cap. 8. de haeret., cap. 2. ibid. in 6., Tertullian. lib. de poenit. c. 7., S. Cyprian. ep. 62.

Anglicanum tempore Henrici VIII regis; si unum, alterumve fidei articulum impugnant, schisma est cum haeresi conjunctum, uti erant illa Novatianorum, et Donatistarum. Si purum est, schismatici incurrunt excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam, inhabilitatem ad beneficia, privationem potestatis ecclesiasticae, et suspensionem ab ordinum exercitio si a schismaticis fuerint ordinati; si cum haeresi conjunctum, iisdem ac haeresis poenis mulctatur (1).

### §. 235. *Simonia, ejusque species.*

Sacrarum rerum venerationi quam maxime repugnat *Simonia*, quae nomen accepit a Simone Mago primo in lege evangelica hujus sceleris auctore, quamque canones simoniacam haeresim, execrabile flagitium, lepram spiritualem, capitale crimen, et thesaurum criminum appellant. Est autem Simonia actus, quo quis vel bonum spirituale per temporale, vel temporale per spirituale obtinere conatur, hacque permutatione bonum spirituale casu priore in mercium venalium numerum reponit, posteriore in medium faciendi lucrum transmutat. Simoniae malitia in eo sita est, quod non sine Dei ignominia, et Religionis contemptu spiritualia in rerum profanarum classem reponat, ac sive pro merce venali, sive pro modo acquirendi pecuniam habeat; quod res sacras, quae inopi aeque ac diviti in promptu esse debent, quaestui, et quasi plus offerentibus exponat; quod beneficia cum ingenti Ecclesiae detrimento non pro meritis, sed pro pretio conferat; quod sub ea crimen ambitus, sacrilegii, imo et haeresis latere pluribus sit visum. Solitae excusationes, quod pecunia non pro munere sacro, sed pro reditibus temporalibus eidem adnexis, aut quod non detur ut pretium, sed ut motivum, vel ad redimendam vexam, vel titulo pietatis, vel remuneratonis gratuitae, nonnisi praetextus sunt, quibus homines Simoniae malitiam frustra tegere conantur. Variae dantur Simoniae species, quippe alia est *juris divini*, alia *juris ecclesiastici*, alia *mentalis*, alia *conventionalis*, et alia *confidentialis*. Si bonum spirituale pro temporali, aut vicissim datur, accipiturve, simonia *juris divini* dicitur: si bonum spirituale cum spirituali, vel temporale ecclesiasticum cum alio temporali permutatur Simonia *juris ecclesiastici* audit. *Mentalis* ea vocatur, quae mente concipitur, quin externa actione significetur, v. g. si quis per officii simulationem collatori spe

(1) C. 2. de haeret., in 6. C. 9. de haeret., C. 15. eod. tit., C. 8. 19. 3. 15. de haeret., et c. 2. 8. 13. eod. in 6., C. 1. 2. de schism., etc. un. eod. in 6.

beneficii ab eo impetrandi quidpiam offerat; sed haec simoniae species cum sit occulta non mortalem hominem, sed Deum ultorem habet. *Conventionalis* appellatur, si in pactum tacitum, vel expressum deducitur, eaque *pure talis*, si ex neutra parte, *realis* si ex utraque parte, *mixta* si ex alterutra parte per traditionem rei completur. Tandem *confidentialis* est pactio circa beneficia, qua quis alteri beneficium vel resignat, vel procurat, vel confert ea lege, ut citra legitimae auctoritatis interventum pensio ab eo sibi detur, vel ut hoc beneficium sibi, aut alteri designato cedat; quae reservatio prout quis beneficium resignat, aut procurat, vel solum sibi oblatum, vel sibi collatum nondum possessum, vel actu jam possessum, reservatio *accessus*, *ingressus*, *regressus* dici consuevit. Tribus autem modis simonia committitur, scilicet munere a *manu*, a *lingua*, ab *obsequio*, nam his tribus modis datur pretium simoniacum. Munus a manu est pecunia, vel quidpiam aequipollens; munus a lingua commendatio, patrocinium, favor hominum; munus ab obsequio, quodvis obsequii genus alteri praestitum ad res spirituales obtinendas. Poenae in simoniacos decretae sunt sequentes: 1 Ob simoniam in collatione Ordinum commissam, praeter excommunicationem Papae reservatam, *Ordinans* ab exercitio pontificalium, et collatione ordinum suspenditur, *ordinatus* suspensione a receptis et a recipiendis ordinibus perstringitur. 2 Propter simoniam in provisione beneficiorum ad missam, praeter excommunicationis poenam in provisorem et provisum, omnesque ad simoniam concurrentes decretam, item nullitatem provisionis, simoniacus ad hoc beneficium ipso jure, ad alia vero post judicis sententiam fit inhabilis. 3 Si crimen simoniae committitur, dum quis habitum religiosum induit, vel professionem religiosam emittit, praeter excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatam, Superior regularis de simonia convictus deponendus, religiosus professus in arctius monasterium detrudendus decernitur, Capitulum consentiens suspensione ab officio quoad actus capitulares, et jurisdictionis plectitur. 4 Iisdem poenis subjacent simoniam confidentialem committentes; Praelati autem ob hoc vitium ingressu in Ecclesiam prohibentur (1).

(1) Can. 3. 11. 13. 20. 21. 28. 105. 117., C. 1. q. 1. C. 32. de Simon. Act. 8. 9-24.,C. 9. caus. 1. q. 3., C. 7. 11. 14. 16. caus. 1. q. 1., Concil. Trid. Sess. 21. cap. 1. et Sess. 25. cap. 7. de reform. C. 2. de Sim. Extrav., C. 2. de Sim. Extrav. comm., c. 27. eod. tit. et c. 59. de elect., C. 1. de Sim. Extrav. comm., Cap. 19. 25. 30. de Sim. Const. Pii IV *Romanum*, et Pii V *Intollerabilis*.

## §. 236. *Blasphemia, Perjurium, Pejeratio.*

Cultui divino externo proxime adversantur *blasphemia, perjurium, pejeratio.* Blasphemia est dictum vel factum in Dei contemptum sive immediate, sive mediate admissum; hinc blasphemia est *verbalis*, cum dictum, *realis*, cum factum, *immediata* cum immediate, *mediata* cum per rem vel personam interpositam in Deum conjicitur. Cum Deo negantur attributa, v. g. omnipotentia, justitia, immensitas etc., vel ei tribuitur injustitia, insipientia, defectus providentiae etc., blasphemia appellatur *haereticalis*, quia manifestum continet errorem; cum vero quis Deum insectetur maledictis, conviciis, imprecationibus, blasphemia *imprecativa* dicitur. Criminis blasphemiae rei censentur omnes, qui in Deum, in sacra mysteria, in divinam Scripturam, in Deiparam Virginem, in Sanctos convicia eructant, aut factis, picturis, aliisque modis contumelia eos afficiunt. Blasphemi haereticales olim iisdem, quibus haeretici, poenis perstringebantur. Jure canonico poena in blasphemos clericos est depositio ab officio, in laicos excommunicatio. S. Pius V vero sancivit, ut laicus, qui Deum et D. N. Jesum Christum, vel B. V. Mariam expresse blasphemaverit pro prima vice poenam 25, pro secunda 50, pro tertia 100 ducatorum incurrat, et ignominia notatus exilio mulctetur. Clericus blasphemus ex eadem S. Pii constitutione pro prima vice fructibus unius anni omnium beneficiorum, pro secunda ipsis beneficiis, pro tertia demum omnibus etiam dignitatibus privatus, deponendus, atque in exilium mittendus est. Quod si beneficium non possidet, pro prima vice pecuniaria, vel corporali poena plectendus, pro altera carceri mancipandus decernitur. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius judicis arbitrio, ratione criminis, ac personarum habita, puniri voluit. — Ad blasphemiam quodammodo refertur *Perjurium*, seu iniqua violatio juramenti rite praestiti, et *Pejeratio*, seu juratum mendacium, quo falsitas cognita jurejurando asseritur. Jure canonico et civili perjuri infamia notantur, a ferendo testimonio arcentur, a beneficiis ecclesiasticis excluduntur, aliisque etiam poenis perstringuntur (1).

## §. 237. *Divinatio, Magia, Sacrilegium.*

*Divinatio* est expressa vel tacita petitio, qua quis opem daemonis implorat ad cognoscendas res per vires humanas

(1) S. Thom. Aquin. 2. 2. q. 13. art. 1., C. 10. caus. 27. q. 1., Cap. de maled. S. Pius V. Const. *Cum primum. Leg.* 8. Cod. Theod. de pactis. Can. 9. caus. 3. q. 5., Can. 17. caus. 6. q. 1.

exploratu impossibiles. Si ex situ, vel astrorum motu praedicitur, quo quisque fato natus, et quid cuique eventurum sit, *Astrologia judiciaria*, si per apparitionem vel colloquium personarum mortuarum quis occulta eruere, vel aliquid praedicere conatur, *Negromantia*, si ex volatu avium, *Augurium*, si ex lineamentis manuum, *Chiromantia*, si per sortes *Sortilegium* dicitur. Medio aevo nonnulli superstitiosi christiani habebant *Sortem Biblicam*, qua a primo Bibliorum fortuito apertorum versu prognostica sumebant. Hodie inter alios sub multiplici ratione reprehendendi sunt, qui chartas lusorias juxta certas regulas disponunt, tumque ex illis augurantur. *Magia* diabolica est conatus ope daemonis effectus mirabiles et insolitos contra naturam producendi, vel res incognitas comperiendi. *Magia* dividitur in *beneficam*, et *maleficam*; si ad obsequia homini grata praestanda exercetur, *benefica*, si ad eidem nocendum *malefica* dicitur. Magi saepe *venefici*, et *malefici* vocantur, quoniam veneno, atque praestigiis mala afferre conantur. *Sacrilegium* in sensu latiori est quaecumque violatio, seu injuria *personis*, *rebus*, aut *locis sacris* illata, idcirco sacrilegium est *personale*, si injuria clerico sive saeculari sive regulari infertur, *reale* si contra res sacras committitur, *locale* si sacro loco debitus honor et reverentia denegatur. Sacrilegium personale committit, qui in clericum violentas manus injicit, quique commercium carnis cum persona Deo dicata habet. Reali sacrilegio se contaminat, qui in pravos, turpesque usus res sacras, uti Sacramenta, reliquias, imagines Sanctorum, sacra vasa, convertit, aut res sacras furatur. Localis sacrilegii reus est, qui in loco sacro committit homicidium, sanguinem vel semen humanum effundit, infidelem aut excommunicatum vitandum sepelit. Clerici divinationis et magiae rei a ministerio altaris suspendi, aut deponi, laici communione fidelium privari jubentur. Sacrilegi ipso facto incidunt in excommunicationem, aliisque poenis pro criminis gravitate judicis arbitrio plectuntur (1).

### §. 238. *Abusus Ordinum, Apostasia a statu clericali et Ordine regulari.*

Ad delicta contra status clericalis officia referuntur in primis *abusus ordinum*, et *apostasia a statu clericali et Ordine regulari*. Ordinibus abuti censentur, qui illos furtive, aut

(1) S. Thomas Aquin. 2. 2. q. 99. art. 1., C. 1. caus. 26. q. 5., C. 1. caus. ead. q. 3. et 1. et C. 15. caus. ead. 7., C. 1. 2. de Sortil., Cap. 22 de sent. excom., Cap. 19. eod., Cf. Scarpazza Teol. M. t. 2. §§. 2. 3. 5.

per saltum, aut in apostasia, aut ab Episcopo excommunicato, haeretico, schismatico, aut ordines minores eadem die cum Subdiaconatu suscipiunt, aut qui ordines exercent, dum censura ecclesiastica sunt constricti, vel tales exequuntur, quos nunquam susceperunt. Praeter irregularitatem, qui censura ecclesiastica irretiti Ordines suscipiunt, deponuntur, qui ordinem non receptum exercent, per triennium suspenduntur, qui cum presbyteri non sint, Missam legere, vel confessiones excipere audent, degradantur. Apostasia a statu clericali post susceptos Ordines sacros, quam *apostasiam irregularitatis* vocant, est transitus a statu clericali ad statum laicalem. Apostasia ab Ordine regulari post emissam professionem religiosam, quam *apostasiam obedientiae* appellant, est desertio Ordinis religiosi absque animo redeundi facta. Apostatae a statu clericali censuris ecclesiasticis ad habitum clericalem recipiendum adiguntur, et si post trinam admonitionem non parent, privilegio fori et canonis privantur. Apostatae ab Ordine religioso excommunicationem incurrunt, ab Ordinum in apostasia susceptorum exequutione suspenduntur, privilegiis Ordinis privantur, et in arctam custodiam conjiciuntur (1).

### §. 239. *Sollicitatio ad turpia, violatio sigilli sacramentalis.*

Si Sacerdos suae dignitatis immemor, et sancto abutens ministerio, ex doctore veritatis magister sceleris, ex medico corruptor, ex pastore lupus rapax evaderet sollicitando poenitentes ad peccata turpia et inhonesta vel in actu, vel ante, vel immediate post, vel occasione, vel praetextu Confessionis Sacramentalis, etiam confessione non secuta, enorme committeret crimen. Benedictus XIV statuit, ut etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit, poenitentes sollicitati debeant sollicitantem Episcopo denunciare. Quamobrem Confessarii teneantur monere poenitentes, qui se sollicitatos confitentur, ut huic officio satisfaciant, nisi excommunicationem majorem Papae reservatam incurrere velint. Criminis sollicitationis rei degradandi sunt. Confessarius absolvens complicem peccati contra sextum praeceptum commissi, excepto mortis articulo et in defectu alterius Sacerdotis etiam simplicis, ipso facto excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam incurrit. — Sigillum sacramentale est officium religiose et inviolabiliter servandi secretum circa ea, quae Confessarius a poenitentibus in sacro tribunali poenitentiae audit. Ad

(1) Can. 3. et 5. de apost., C. 3. ne cleric. et Monach., c. 3. de apost.

id tenetur Confessarius jure naturali, divino, et ecclesiastico, quia poenitens sub hac tantum conditione conscientiam suam aperit, et peccata occulta manifestat. Violatio sigilli sacramentalis est grave delictum, quod qui committit, poena depositionis perstringitur, et perpetuo carceri mancipatur (1).

### §. 240. *Concubinatus.*

Concubinatus est continuata fornicatio cum una eademque persona. Ecclesia omnia veneris incentiva Clericis ad legem coelibatus adstrictis nunquam non severe prohibuit, potissimum cohabitationem et familiarem conversationem cum mulieribus, quae eos in suspicionem adducere possent; turpissimum autem incontinentiae et maxime concubinatus vitium semper execrata, poenisque acerbissimis insectata est. In Clericos concubinarios Concilium Tridentinum sequentes poenas statuit: 1 Clerici beneficiati concubinarii *a)* a Superioribus moniti, nec emendati, tertia parte fructuum suorum beneficiorum ipso facto privantur; *b)* in eodem crimine perseverantes, vel relapsi, omnes fructus amittunt, et a beneficii administratione suspenduntur; *c)* non resipiscentes, fructibus et beneficiis perpetuo destituuntur, et ad eadem inhabiles fiunt, nec potest cum ipsis dispensari nisi post manifestam vitae emendationem; si emendati in idem vitium relabuntur, excommunicantur. 2 Clerici beneficia non possidentes ab Episcopo suspendendi, ad beneficia inhabiles declarandi, et carceri mancipandi sunt. 3 Episcopi concubinarii a Synodo provinciali admoniti, nec emendati, ipso facto sunt suspensi; et si perseveraverint, ab eadem Synodo ad Summum Pontificem deferri debent, qui eos suis beneficiis privabit (2).

## CAPUT III.

### DE POENIS ECCLESIASTICIS.

### §. 241. *Poenarum ecclesiasticarum species.*

Quodlibet delictum ecclesiasticum per processum criminalem detectum, condigna castigatur poena, quae vel legis determinatione, vel judicis arbitrio dictatur, infligiturque. Sunt vero poenae ecclesiasticae vel *spirituales*, si jus aut bo-

(1) Const. Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*, et Const. *Apostolicis muneris*. Cap. 12. de poenit. et remiss.
(2) Concil. Trid. Sess. 25. cap. 14. de reform.

num spirituale adimunt, vel *temporales*, si vel malum infligunt, aut bono temporali privant, et si corpus affligitur, *corporales* dici solent. Tam spirituales, quam temporales sunt vel *positivae*, vel *privativae*, prout vel malum positivum infligunt, vel bonum subtrahunt. Praeterea aliae sunt poenae *vindicativae*, quae criminis vindictam proxime respiciunt, et aliae *medicinales*, quae in primis delinqnentis emendationem intendunt. Poenae vindicativae ecclesiasticae sunt: 1 Privatio beneficii vel a jure, vel per sententiam judicis decreta. 2 Depositio simplex, qua clericus salvo statu clericali ab ordinis exercitio in perpetuum removetur, seu potestate sacra privatur, et ad omnia beneficia incapax redditur. 3 Degradatio, qua Clericus propter atrociora crimina non solum ordinis exercitio et beneficio, sed et ipso statu atque dignitate clericali exuitur: degradatio dicitur *verbalis*, cum per sententiam promnlgatur, *realis*, quando reapse inter sat lugubres caeremonias executioni datur. 4 Irregularitas ex delicto orta aliqnando poenae locum obtinet, uti observavimus ( §. 8 ). Poenae medicinales vocantur censurae ecclesiasticae. Censura ecclesiastica est poena spiritualis homini baptizato delinquenti et contumaci a potestate ecclesiastica inflicta, qua, donec resipiscat, nonnullorum bonorum spiritualium usu privatur. Censura alia est a *jure*, quae per ipsam legem statutumve in omnes certae legis praevaricatores fertur ; alia ab *homine*, quae a Superiore certae ac determinatae personae infligitur: utraqne est vel *latae*, vel *ferendae sententiae*. Censura *latae sententiae*, ea dicitnr, quam ipso facto, ant criminis admissione quis incnrrit: *ferendae sententiae*, quae etiam comminatoria audit, est illa, quae non ipso facto vel delicto incurritur, sed per sententiam condemnatoriam infligitnr. Censura latae a censura ferendae sententiae distinguitur ex formulis; v. g. *latae*: *ipso jure, ipso facto, confestim, illico sit excommunicatus, suspensus, noverit se esse excommunicatum, suspensum; ferendae: excommunicabitur, sub interminatione anathematis, jubemus, volumus excommunicari, suspendi* etc. Species censurarum sunt: 1 Excommunicatio; 2 Interdictum; 3 Suspensio (1).

## §. 242. *Excommunicatio.*

Cunctis censuris ecclesiasticis gravior est *excommunicatio*, seu exclusio a communione Ecclesiae. Est itaqne excom-

(1) Apud Sozomen. H. E. l. 2. c. 5. p. 72., Siricius P. ep. 1. c. 6. Concil. Tolos. II. cap. 6. apud Labbaeum t. 7., Reg. Jur. 49-in 6., C. 14 de elect. in 6., Cf. Schenkl Inst. J. C. P. II. Sect. 3., Cap. 2. art. 2. §. 896. p. 780.

municatio poena ecclesiastica, quae hominem baptizatum, delinquentem, et contumacem a communione reliquorum fidelium excludit; estque duplex, scilicet si communione ecclesiastica, omnibusque bonis spiritualibus hominem privat, *excommunicatio major*, si parte tantum, uti jure recipiendi sacramenta, *minor* vocatur. Excommunicatio major ex disciplina recentiori est vel *solemnis*, quae adhibitis quibusdam formulis, et ritibus in Pontificali Romano contentis pronuntiatur, vel *simplex*, quae absque istis infligitur. Excommunicatio major ceu summum coercitionis ecclesiasticae genus nonnisi propter grave delictum Ecclesiae noxium, et cum contumacia conjunctum, aliis remediis frustra adhibitis, causa diligenter cognita, maturo consilio et caute est infligenda, cum inter culpam et poenam proportionem servare sit necesse. Effectus excommunicationis majoris intuitu ipsius excommunicati est jactura omnium bonorum spiritualium universis Ecclesiae membris communium; respectu vero aliorum fidelium est obligatio, omnem communionem cum eo vitandi, cujus actus prohibiti noto illo versiculo exprimuntur: « Os, orare, » vale, communio, mensa negatur ». Excommunicationem minorem contrahit, qui absque causa excusante legitima communicat cum excommunicatis vitandis, in quos censura a judice publicata et denuntiata est, vel cum notorio Clericorum percussore, quem etiam a judice non denuntiatum vitare oportet. Causas excusantes solent exprimere sequenti versiculo: « Utile, lex, humile, res ignorata, necesse ». adeoque sunt: 1 Necessitas excommunicati, vel alterius; 2 Ignorantia; 3 Vinculum matrimonii; 4 Nexus subjectionis; 5 Utilitas spiritualis, vel corporalis. Communicantes in rebus civilibus cum haereticis, schismaticis, ceterisque, qui *expresse*, ac *speciatim* excommunicati non sunt, non incurrunt excommunicationem; vetitum autem est catholicis communicare cum haereticis, quamvis non denuntiatis, in rebus sacris, et divinis (1).

## §. 243. *Interdictum.*

*Interdictum* est censura ecclesiastica, qua vel quibusdam personis, vel certis locis usus quarumdam functionum, rerumque sacrarum interdicitur. Proinde interdictum vel *personale* est, quod personam attingit, eamque quocumque se-

(1) S. Thom. Aq. Suppl. q. 21. art. 1., Concil. Trid. Sess. 25. c. 3. de reform., Van Espen J. E. U. P. III. tit. 11. c. 5., Martinus V Extrav. ad evitanda., Benedictus XIV de Synod. dioec. l. 6. c. 5. n. 2.

quitur; vel *locale*, quod locum afficit; vel *mixtum*, quod personam, et locum comprehendit. Interdictum tam personale, quam locale est vel *generale*, vel *particulare*. Interdictum generale personale illud dicitur, quod in corpus ex pluribus personis compositum, v. g. in totum clerum fertur: interdictum generale locale illud est, quod locum generalem plura loca particularia complectentem, uti regnum, provinciam, dioecesim obstringit. Interdictum particulare personale certas personas nominatim expressas tangit; particulare locale ad unam tantum Ecclesiam pertinet. Si interdictum est personale, personis solum usus rerum sacrarum prohibetur, in Ecclesiis vero ministro non interdicto licet mysteria celebrare. Si est locale, in loco interdicitur sacris operari, sed extra illum incolae et Missam audire, et Sacramenta recipere, et functionibus ecclesiasticis possunt interesse. Medio potissimum aevo Romani Pontifices civitates, provincias, et regna ipsa ob atrox aliquod Regum, et Magistratuum facinus interdicto subjecerunt, ut populi taedio victi, luctu et quaerelis principes ad officium revocarent. Si clerus interdicto subjicitur, huic populus non est obnoxius, et vice versa; immo interdicto clero, nec Praelati majores, nisi eorum specialis fiat mentio, censentur esse interdicti. Effectus interdicti sunt sequentes: 1 Non licet administrare Sacramenta, exceptis Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Poenitentiae, et Viatici pro infirmis. 2 Vetitum est ingredi Ecclesiam, et publice divina celebrare, nisi in praecipuis festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariae, Corporis Christi, et octavae ejusdem: licet tamen verbum Dei praedicare, et clericos interdictum servantes ecclesiastica donare sepultura (1).

## §. 244. *Suspensio.*

*Suspensio* est censura ecclesiastica, qua Clericus usu, aut functionibus Ordinis, officii, vel beneficii interdicitur. Hinc suspensio est vel ab *Ordine*, quae ordinis exercitio, (vel ab *officio*, quae jurisdictionis usu, vel a *beneficio*, quae fructibus beneficii clericum privat. Illa (suspensio, quae ab usu tum ordinis, tum officii, tum beneficii prohibet, *totalis*; quae ab usu vel solius ordinis, vel solius jurisdictionis, vel solius beneficii, *partialis* dicitur. Quare suspensio ab officio vulgo etiam

(1) Cap. 10. et 17 de sent. excomm. in 6., Can. 39. Apostol., C. 43. de sent. excom. etc. 19. eod. in 6., C. 11. de poenit. et remiss. Bonifacius VIII Cap. *Alma* de sent. excom. in 6., Benedictus XIV Const. *Quoniam* 86. §. 3.

suspensionem ab ordine, non tamen a beneficio complectitur; ast suspensus potest a beneficio non eo ipso suspenditur ab officio. Suspensio potest esse vel *perpetua*, vel *temporaria;* illa Clericum perpetuo, salva tamen clericali dignitate, haec solum ad tempus a sacris officiis excludit. Suspensio perpetua relaxari debet ab eo a quo inflicta est. Suspensio temporaria, elapso tempore, ad quod erat indicta, expirat ipso jure, quin hominis sententia opus sit, ut amoveatur. Suspensio differt ab excommunicatione et interdicto, quia illa solis Clericis infligitur, hae autem censurae omnes fideles ferire possunt: differt a depositione, quia suspensio non inducit privationem officii et beneficii in perpetuum sine ulla spe veniae, depositio vero Clericum ab officio et beneficio perpetuo privat: differt tandem a degradatione, quia suspensio non exuit Clericum dignitate clericali, et fori canonisque privilegio, sicut degradatio. Suspensio non est ferenda sine gravi causa, quae in scriptis a Superiore exprimi debet; verum in suspensionibus latae sententiae lex ipsa judicis instar est. Si Clericus, durante suspensione, munus exercet, quo prohibitus est, irregularitatem incurrit (1).

### §. 245. *Potestas censuras ecclesiasticas infligendi, et relaxandi.*

Potestas censuras ob delicta ecclesiastica infligendi et relaxandi est penes Ecclesiam. Christum Dominum talem potestatem Ecclesiae suae tribuisse, luculenter patet ex sacris Litteris. Sic apud Matthaeum (2) legitur: « Si peccaverit in te » frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum ...; » si autem te non audierit, adhibe unum vel duos testes .... » Quod si non audierit, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam » non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus. Amen » dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt » alligata et in caelo, et quaecumque solveritis super ter» ram, erunt soluta et in caelo ». Ethnici et Publicani communione ecclesiastica non gaudebant; adeoque christianum redigere ad conditionem Ethnicorum et Publicanorum, idem erat ac a corpore Ecclesiae ejicere, seu excommunicare. Item verba *ligare*, et *solvere* non solum significant potestatem legem ferendi, et a legis obligatione solvendi, sed etiam deno-

(1) Cap. 1. de sent. excom. in 6., Cap. 1. de sent. et re jud. in 6., Cf. Benedictum XIV de Synod. dioec. l. 12. c. 8. n. 3. 4. 5., et Devoti l. 4. tit. 20. de susp. (2) C. 18.

tant potestatem censuras infligendi, et relaxandi. Hanc potestatem censuras ecclesiasticas infligendi, et relaxandi a Christo Domino acceptam semper exercuit Ecclesia. S. Petrus Simonem Magum excommunicavit (1), S. Paulus Alexandrum, et Hymenaeum Satanae tradidit, id est vinculis anathematis alligavit (2). Idem Apostolus incestuosum Corinthum a communione ecclesiastica exclusit, quem postea, cum resipuisset, poena solvit, et in communionem Ecclesiae recepit (3). Vestigiis sanctorum Apostolorum insistentes Summi Pontifices, Concilia generalia, et particularia, nec non singuli Episcopi semper apostatas, haereticos, schismaticos, aliosque delictorum canonicorum reos anathematizarunt, et emendatos vinculis anathematis solverunt. Quare Concilium Tridentinum (4) hanc potestatem coercitivam, et criminalem vocat gladium spiritualem, et nervum disciplinae ecclesiasticae ad populos in officio continendos. Ex hodierna disciplina hanc potestatem exercent S. Petri Successores in universa Ecclesia, Patriarchae, et Metropolitae in territorio suae jurisdictioni subjecto, Episcopi in suis dioecesibus, Vicarii Capitulares sede vacante. Qui potestatem habet censuras infligendi, eidem quoque jus competit censuras relaxandi, quia qui potest ligare, potest etiam solvere. Presbyter pro excipiendis confessionibus approbatus potest removere excommunicationem minorem; in articulo vero mortis quilibet presbyter jus habet censuras relaxandi. Verum qui ita absoluti sunt, sublato mortis articulo, Superiori se sistere debent, ni velint eandem excommunicationem incurrere. Episcopo jus est relaxandi censuras Papae reservatas, quibus constricti sunt ii, qui Romam petere nequeunt, uti sunt senes, valetudinarii (5).

## §. 245. *Finis poenarum ecclesiasticarum.*


Ecclesiae Jesu Christi, quae Spiritu Dei regitur, et cujus spiritus est spiritus lenitatis, et charitatis, in irrogandis poenis mens alia esse nequit, nisi ut vel reus criminis ad agnitionem culpae atque emendationem vitae impellatur, aut si emendationis spes nulla effulgeat, saltem scandalum e medio fidelium tollatur, ne alii seducantur, neve bona spiritualia Ecclesiae secus, ac illorum fert natura et conditio, indignis projiciantur. Itaque Ecclesia suis censuris delinquen-

(1) Act. 8, 5-25. (2) I. Tim. 1, 19. (3) I. Cor. I, 5 et seq. et ad Corinth. II, 6. et seqq. (4) Sess. 25. cap. 3. (5) Vid. Scarpazza Teol. Moral. t. 7. cap. 8. p. 212. et seqq.

tibus interitum non parat, neque injurias sibi illatas ulciscitur; sed curat, ut reus delicti ecclesiastici ad bonam frugem redeat, et caeteri fideles exemplo poenae irrogatae sese a criminibus abstineant. Quam ob rem, antequam censuras infligat, praemittere solet binam saltem admonitionem, et modum quendam, atque rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus poenas constituat.

FINIS.

LAUS DEO.



# INDEX

## ISAGOGE

### CAPUT I.

DE NOTIONE, OBJECTO, SUBJECTO INTERPRETATIONE ET CESSATIONE LEGIS ECCLESIASTICAE.



### CAPUT II.

DE LEGIBUS NATURALIBUS ET POSITIVIS.



### CAPUT III.

DE LEGUM ECCLESIASTICARUM COLLECTIONIBUS.

## CAPUT IV.

DE NOTIONE, DIVISIONE, NECESSITATE ET ORDINE JURIS ECCLESIASTICI.



# JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM

## PARS PRIMA

## JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM INTERNUM

## SECTIO I.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA GENERATIM.

## CAPUT I.

DE NECESSITATE, INSTITUTIONE, NATURA, DIVISIONE, ET PRIMATU POTESTATIS ECCLESIASTICAE.

### CAPUT II.

DE FORMA REGIMINIS SPIRITUALIS, ET GRADIBUS HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE.



## SECTIO II.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA UNIVERSALI.

### CAPUT I.

DE ECCLESIA IN STATU EXTRAORDINARIO, SEU DE CONCILIIS GENERALIBUS.

## CAPUT II.

DE ECCLESIA IN STATU ORDINARIO, SEU DE JURIBUS PRIMATIS UNIVERSALIS.



## DE ADJUTORIBUS, ET VICARIIS PRIMATIS ECCLESIAE.

## ARTICULUS I.

DE CARDINALIBUS.

### ARTICULUS II.

DE TRIBUNALIBUS SUMMI PONTIFICIS.



### ARTICULUS III.

DE CONGREGATIONIBUS.



### ARTICULUS IV.

DE LEGATIS.



## SECTIO III.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA RELATE AD ECCLESIAS PARTICULARES.

### CAPUT I.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS NATIONUM, ET METROPOLITIS.

## CAPUT II.

### DE EPISCOPIS.

### ARTICULUS I.

#### DE ORIGINE, QUALITATIBUS, JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.



### ARTICULUS II.

#### DE ADJUTORIBUS ET VICARIIS EPISCOPORUM.



## CAPUT III.

### DE CAPITULIS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM.

## CAPUT IV.

### DE PRAELATIS NON EPISCOPIS.



## CAPUT V.

### DE PAROCHIS.



# JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

## PARS SECUNDA

### JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM EXTERNUM.

## CAPUT I.

### DE MUTUO ECCLESIAE ET CIVITATIS NEXU GENERATIM.

## CAPUT II.

DE JURIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE RELATE AD CIVITATEM.



## CAPUT III.

DE JURIBUS CIVITATIS RELATE AD ECCLESIAM.



# SECTIO II.

JUS PUBLICUM EXTERNUM RELATE AD ALIENARUM CONFESSIONUM HOMINES.

## CAPUT I.

DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE AD ALIAS SECTAS.



## CAPUT II.

JURA, QUAE ECCLESIA CATHOLICA TENEBAT IN AUSTRIA RELATE AD ALIENARUM CONFESSIONUM ASSECLAS.

## CAPUT III.

JURA ALIARUM CONFESSIONUM RELATE AD ECCLESIAM CATHOLICAM.



# JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM



## SECTIO I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SENSU STRICTO, SEU DE CLERICIS.



## ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD STATUM CLERICALEM.

## ARTICULUS II.

### DE OFFICIIS AC JURIBUS CLERICORUM.



## ARTICULUS III.

### DE CLERO REGULARI.

## CAPUT II.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SENSU STRICTISSIMO SEU DE OFFICIIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.



### ARTICULUS I.

DE OFFICIIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.



### ARTICULUS II.

DE ERECTIONE, ET INNOVATIONE BENEFICIORUM.



### ARTICULUS III.

DE MODIS, QUIBUS BENEFICIA ECCLESIASTICA VACANT, ET PROVIDENTUR.

## ARTICULUS IV.

DE MODIS PERVENIENDI AD BENEFICIA MAJORA ET MEDIA.



## ARTICULUS V.

DE MODIS PERVENIENDI AD BENEFICIA MINORA.



# SECTIO II.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

DE REBUS SPIRITUALIBUS, SACRIS, BENEDICTIS, ET RELIGIOSIS.



## ARTICULUS I.

DE REBUS SPIRITUALIBUS.

ARTICULUS II.

DE REBUS SACRIS, BENEDICTIS, ET RELIGIOSIS.



CAPUT II.

DE MATRIMONIO IN SPECIE.



ARTICULUS I.

DE MATRIMONII NOMINIBUS, INSTITUTIONE, FINIBUS, RESPECTIBUS, DIVISIONE, ESSENTIA, ET REQUISITIS ACCIDENTALIBUS, ET ESSENTIALIBUS.

## ARTICULUS II.

### DE IMPEDIMENTIS ACCIDENTALIBUS, SEU IMPEDIENTIBUS.



## ARTICULUS III.

### DE IMPEDIMENTIS ESSENTIALIBUS, SEU DIRIMENTIBUS.



### A. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIO DIRIMENTIBUS EX DEFECTU CONSENSUS MANANTIBUS.



### B. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII ESSENTIALIBUS EX DEFECTU HABILITATIS CORPORALIS AD COPULAM PERFECTAM PROVENIENTIBUS.

C. DE IMPEDMENTIS MATRIMONII ESSENTIALIBUS EX DEFECTU HABILITATIS MORALIS EMANANTIBUS.



D. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EX DEFECTU SOLEMNITATUM PRAESCRIPTARUM PROVENIENTIBUS.



## ARTICULUS IV.

DE POTESTATE IMPEDIMENTA MATRIMONII CUM IMPEDIENTIA, TUM DIRIMENTIA CONSTITUENDI, ET RELAXANDI.

## ARTICULUS V.

### DE EFFECTIBUS MATRIMONII VALIDE CONTRACTI.



## ARTICULUS VI.

### DE DIVORTIO ET SECUNDIS NUPTIIS.



## CAPUT III.

### DE BONIS ECCLESIASTICIS.



## ARTICULUS I.

### DE BONIS ECCLESIASTICIS.

## ARTICULUS II.

DE BONIS, ET REDITIBUS CLERICORUM.



## ARTICULUS III.

DE BONIS, AC REDITIBUS ECCLESIASTICORUM.



# SECTIO III.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

DE FORMA JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM.

## CAPUT II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.



## CAPUT III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.



---

NIHIL OBSTAT

Fr. Antonius M. ab Arignano Theologus Deputatus.

NIHIL OBSTAT

Fr. Josephus a Bosco-mari Ord. Min. Ref. Censor. Theol. Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. Pal. Apost. Magister.

IMPRIMATUR

F. L. Ligi Archiep. Iconii Vicesg.

